
M HENRICI KIPPINGI
INSTITUTIONES
POLITICÆ
METHODICÆ
LIBRI DUO
In quibus Theoremata
proponuntur e· Contro-
versiæ Veteres, novæ,
resolvuntur.
BREMÆ
Sumptibus
Erhardi Bergeri
Bibliopolæ.
PRUDENTIA
FORTITUDO
Majestas
Libertas

M. HENRICI KIPPINGI
INSTITUTIONES
POLITICÆ
METHODICÆ
LIBRI DUO.

In quibus

Theoremata proponuntur, additisque
Commentariis prolixis exponuntur,
Inſuper
Controverſiæ veteres, novæ, reſolvuntur, firmatis rationibus illis quæ pro veriore ſententiâ adduci ſolent, & confutatis argumentis melioribus quæ pro adversâ parte ingeruntur.
Prolatis ad fidem abundè faciendam teſtimoniis Hiſtoricorum, Faſtorum, veteris recentiorisq; ævi Annalium, & immixtis Diatribis plurimis, quæ pro reconditæ Antiquitatis notitiâ explorandâ commodè inſervire poſſunt.



BREMÆ ET FRANCOFURDI.
Sumptibus ERHARDI BERGERI
M. DC. LXVII.

SERENISSIMO
PRINCIPI ET DOMINO
CAROLO XII.

SUEDORUM, GOTTORUM ET VANDALORUM
REGI POTENTISSIMO,
MAGNO PRINCIPI FINLANDIÆ,
DUCI SCANIÆ, ESTONIÆ, LIVONIÆ, CARELIÆ,
BREMÆ , VERDÆ , STETINI POMERANORUM,
CASSUBIÆ ET VANDALIÆ,
PRINCIPI RUGIÆ,
DOMINO INGERMANNIÆ ET VISMARIÆ, NEC
NON COMITI PALATINO RHENI, BAVARIÆ, JU-
LIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM DUCI,

PIO. BENEFICO. INCLYTO.
REGI ET DOMINO SVO CLEMEN-
TISSIMO.

FELICIA OMNIA!

DEDI-

tantum gignit,sed unà sese admiscet cœlestium siderum virtus,quæ ad naturas infrà se positas vim suam, uberrimæ feracitatis irritamenta, ultrò deferunt. Perinde Musæ carent invidiâ, & ad eas excolendas ingenia Virorum doctorum non à se tantum atque sponte feruntur, sed vestrâ etiam, REGES, PRINCIPES, MAGNATES,benignitate sustentari atq; erigi volunt,à quibus sibi præsidium accipiunt atque solatium. Et verò

REX FELICISSIME

qui in maturescente ætate Tuâ,à verâ pietate orsus,optimis literis instructus,jam tum novisti,*vitam Principibus ad benè de mortalibus merendum datam esse*,quodque beneficium se accipere existiment, cum in hominem opis indigum illud conferunt,perge non segniter, quò Regia Tua virtus Te ducit,adeoq; Regum Suediæ, Germanico sanguini propinquorum, Majorum Tuorum,quorum indolem cœlestem cum primo vitæ ortu & nascendi fortunâ adscivisti,mores præclaros semper imitare,ut in Regno citrà servitutem vivant subditi. Non semper profectò hæ procellæ, & erit tempus, quo

redeat Concordia, Virtus,
Cumq; Fide pietas altâ cervice vagetur.

Deus pacis,Deus Justitiæ,Gottici Regni perpetuus Stator,

REX PIE, REX INCLYTE

servet Te incolumem, concedat securum Imperium, domum tutam,exercitus fortes,Senatum fidelem,populum probum, & quantum ubique Regibus Magnis in voto esse solet atque debet, ut mortalium rebus felicissimè præsis ad plenissimam usque senectutem. Velitque à Tuâ familiâ superstites esse

Natorum natos & qui nascentur ab illis,

qui gloriam Majorum factis cœlo dignis referant, atque nomen indelebile sortiantur.ScribebamBremæ Saxonum è Collegio Regio divi Petri, die VIII. Septembris, Anno M. DC. LXVII.

REGIÆ MAJESTATIS VESTRÆ

Servus humilimus

M. HENRICUS KIPPING.

PRÆFA-

PRÆFATIO.

LECTORI BENIVOLO SALVTEM.

QVerela non vana eſt, quòd hoc ſeculo aut omninò pauci reperiantur ſolidæ eruditionis amantes, aut ſaltem amore erga eam multò inferiores Antiquis. Quotuſquiſque nunc ſublimitate Platonem, diligentiâ Ariſtotelem, facundiâ Ciceronem, ubertate Plutarchum adæquat? Nimirum quia pauci inſiſtunt vero tramite, quo itur ad Sapientiæ delubrum. Priſci artibus illis, quæ ad lites ocioſas ferendas aptæ natæ ſunt, parum temporis impendebant, magiſque invitabant rudes adoleſcentium animos, & velut exploratores in caſtris alienis, parcius Dialecticis argutiis, Metaphyſicis ſpinis inhærerent, plus operæ deinceps adhiberent ad Mathematicas ſcientias, Naturæ contemplationem, Rerumpublicarum, Antiquitatis notitiam, Poëtarum monumenta, unde hauriri poterat melioris Philoſophiæ liquor puriſſimus, quo non leviter perfuſi ad intimam Sapientiæ profeſſionem admittebantur facilius, haud ſecus ac panni glaſto inebriati cupidius hauriunt, te-

)( )(nacius-

naciusque retinent purpurissum aut cœrulium. Nunc hac consuetudine ad internecionem occisâ, eam ob causam, quòd rejectis viris doctis, aut pulsis etiam, Scholasticæ operæ minimùm lucrosæ, multùm onerosæ, aut semieruditis Stentoribus, aut Barbarorum spelæis innutritis Sophistis petasatis commendantur, literarum bonarum situs, marcor & contemptus invaluit. Latini sermonis venustas apud paucos rectè excolitur, liticulas in medium projectas certatim velut factis infectis resolutionibus discerpere posse, Logicæ artis & Philosophiæ cognitio perfecta esse perhibetur, neque curant Vitilitigatores isti, cùm hircum mulgent & cribrum supponunt. Perinde uti Agyrta Planetarius nunquam sese alio vocaverit nomine quàm Mathematicum, de vera Mathematica interim prorsus ignarus, aut saltem apud Bardos, rerum Censores ineptos, atque inter aniculas volarum inspectioni credulas, ad miraculum eruditus, Historiæ neglectus quasi pestilens sidus afflavit animos plerorumq;. Quæ causa? Oblivio moris antiqui. Vt primi mortales illi tum longævi tum undiquaque sanitatis compotes ea potissimùm de causa fuisse creduntur, quod non avidius ingurgitando herbas, in esum à natura præparatas, plus devorarent quàm concoquere possent: Ita prisco illo ævo, cùm Scholis honos suus, cultus suus constaret, Artes verè liberales docebantur à Magistris, non quidem iis, quibus omnis sapientia in barbam & pallium defluxit, quos luxus domesticus jubet inhonestis modis, impostoriis artibus, mensæ delicias, vestium ornamenta quærere, qui assentando coram

ram mollibus auriculis virorum bonorum famam lacerare prolubium habent: Sed à viris doctis & nullarum fraudulentarum rerum intelligentibus. Hodiè quia neglectui sunt hæc studia, inde est, quòd eruditionis penuriâ & ineptâ proficiendi ratione,

Qui sibi non sapiunt semitam, aliis viam monstrare volunt,

velut morbis laboramus. Hodiè, iterùm dico, quia nihil propemodum retinent hæc studia ex pristina majestate, præter umbram magni nominis haud quicquam ferè superest.

Virtutem incolumem odimus improbi,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Non dicam hac vice plura adversus malignam ævi nostri consuetudinem, quam fortè expugnare velle,

Herculis est decimus tertius ille labor.

Plura meditor peculiari libello, quem voco SCENAM Mundi, in quo, Deo volente, multorum cogitationes hactenus altâ mente repostas, ad Solis clarissimam lucem exponam, nullius offensam,

Tros Rutulusve fuat,

veritus, unius veritatis amore adactus, præ qua nihil potius in omni vita mea habui, licèt hominum lupini ingenii, canini oris impurissima, fervente Sirio, crania non semel turbaverim. Cæterùm Lector Benivole, offero tibi INSTITUTIONES POLITICAS, quas publicæ utilitati me consecraturum in quodam Indiculo ante paucos annos spopondi. Atqui post Recensum Historiæ Universalis editum sustinui me paulisper à scribendo, & haut scio an expediverat,

etiam nunc abſtinere ; adeò non ſolùm tempora Sinoniis præſtigiis maculata, iniqua bonis literis ſunt, ſed judicia quoque hominum. Vti enim lætiores agros denſa virgulta & labruſca ſentibus innexa citius occupant, ita magno animo veræ virtutis & optimæ mentis amanti livor & odium inſidias ſtruunt. Angit multos, etiam illos, qui cùm docti ſunt, cùm Patronorum ope ſubvecti ſunt ad munus aliquod gerendum, ob id doctrinis impenſius favere, patrocinio ſuo doctos fovere debebant, immemores gratiæ antiquæ, meritorum propriorum falsâ perſuaſione infecti, tantùm quòd ipſi non poſſunt omnia, deſerunt, inſuper premunt livore, calumniis opprimunt Epictetos alios, unius fortunæ inclementiâ eis minores. Vtinam fallar! Domitiani Principis edicto opus non eſt, bonæ artes brevi in exſilium ibunt ſuâ ſponte. Attamen in privatis, in publicis moleſtiis, quæ & plurimæ & acerbæ admodum in Scholaſtica tot annorum functione obvenerunt mihi, non deſivi hactenus prodeſſe Rei literariæ, & niſi me impediviſſet graviſſimus quidam morbus nec opinatò oblatus, jamdudum liberaviſſem datam fidem. Certè erat is rerum mearum ſtatus longè afflictiſſimus, ut ferè dixiſſem:

Ne amplius à miſero dona beata petas!

Cùm ego iis, quibus meam ſalutem chariſſimam eſſe arbitrabar, inimiciſſimis crudeliſſimiſque uſus ſum, qui ut me paulùm inclinari timore viderunt, ſic impulerunt, ut omni ſuo ſcelere & perfidia abuterentur ad exitium meum. Ego verò patientia verè Philoſophicâ, ea quæ ſupra humanam patien-

patientiam esse videbantur, furores invidorum, superavi, vereque nunc dico,

Estis io Superi!

ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum! Non parvi faciam castigationem DOMINI semper justi, uti filius ejus, non uti spurius.

Ab iniquis haud porrò æquum est, æqua postulem,
Valeant iniqui, & mali habeant magnum malum!

Methodum in conscribendis illis adhibere volui, quæ proximè ad veritatem Logicam accedit, ut eò facilius pervolverentur, animoque fideli continerentur, quæ proponuntur. Multa in iis invenies non vulgata prius, volui enim sæpius recedere ab opinione vulgi, rationibus firmis persuasus, ita verò etiam, ut nemini obtrudam opiniones meas. Quæ vulgata sunt, isto ordine tradita sunt, quem requirit Scientiarum nobilitas. Non omnia, fateor, attuli, quæ de Republica quovis modo poterant doceri, sed tamen Lector Benivole, postquam de candore tuo & libertate censendi mihi satis est prospectum, fateberis mecum, ea quæ sunt omissa, quamvis ab aliis prolata sint locis non suis, aut in Thomisticas vanitates illicò resolvi, aut Iuris Publici complexu obtineri. Illas odi, & mecum oderunt omnes boni, quando veterum Sapientum omnium decretum est:

Nihil debere esse in Arte, quod non est in usu.

In hoc non debui temerè invadere, veritus Legem de regendis artium finibus. Insuper hæc & similia bono consilio præterivi, ne moles accresceret libro. Si quid me fefellit aut

fugit, ſit venia. Nemo ita ingenio aut induſtriâ poteſt, ut omnia colligat, intelligat. Homo hominem docet, ætas ætatem, ego nunc alios, fortaſſe hi & alii me docebunt olim, quando unus non videt omnia. Quicunque verò ſeu mitratus Satyrus ſeu cum retorrida fronte Silenus judicat, antequam legit, & poſtquam legit, intelligere non curat, contemptor ſcilicet honeſtarum artium, ſperno illum generosâ ultione. Benè enim Thebanus ille tibicen, qui cùm de corona cum imperitis contenderet, non flexit cantum ad theatri compoſitos applauſus, ſed decente harmonia legibus artis obtemperans, animosè ajebat: SE SIBI CANERE ET MVSIS. Lector vale & fave.

SERIES

SERIES LIBRORVM ET CAPITVM.

LIBER PRIMVS.

LIBER SECVNDVS.

INSTI-

INSTITUTIONUM POLITICARUM

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Diatriba singularis de Causis Philosophiæ.

SUMMARIA.

1. *Definitio Philosophiæ, & notatio vocis.*
2. *Causa efficiens Philosophiæ.*
3. *Causa instrumentalis Philosophiæ.*
4. *Materia Philosophiæ.*
5. *Definitio artis.*
6. *Definitio scientiæ, prudentiæ, intelligentiæ, sapientiæ.*
7. *An detur peculiaris disciplina, Gnostologia?*
8. *Solvuntur rationes contrariæ.*
9. *Forma Philosophiæ.*
10. *Ostenditur, quòd methodus imitetur naturam.*
11. *Objectum debet esse proprium.*
12. *Quænam sint disciplinæ subordinatæ.*
13. *Tres leges artium regundarum.*
14. *Lex Veritatis.*
15. *Lex Justitiæ.*
16. *Lex Sapientiæ.*
17. *Solvuntur rationes contrariæ.*
18. *Finis Philosophiæ.*
19. *An sit danda Philosophiæ opera?*

I.

P*Hilosophia est cognitio rerum, quas apprehendit ratio*] Nomen Græcum est φιλία τῆς σοφίας, studium sapientiæ. Et quidem σόφος Græcorum à *Sufes* Pœnorum derivat Georgius Hornius *lib.* 1. *de vita & sectis Philosophorum.* Nos haud negamus, quòd Pœni rem simul ac nomen acceperint ab Hebræo שופט, uti diximus libro de Scriptura sacra, *Exercitat. VII. dist.* 2. verùm negamus, quòd à Pœnorum Sufes derivari possit Græcorum σόφος. Nomen istud Græci imposuerunt artium liberalium Doctoribus, non etiam Magistratibus, qui שופטים erant. Proinde Veteres adhibebant nomen simplex, ut Sapientes vel σόφους vocarent eos, quicunque literis melioribus operam industriam navabant. Nomen compositum primus usurpavit Pythagoras Samius, qui apud Leontem Sicyoniorum Tyrannum de rebus sublimibus non ineleganter dicebat, & rogatus, quis esset,

A respon-

respondebat, quòd φιλόσοφος, id est, Sapientiæ studiosus esset, Cicero *lib. 5. Tusculan.* Laërtius *de vitis Philosophorum lib.* 8. Augustinus *lib.* 14. *de Trinitate cap.* 1. Deinceps à tanto exemplo in usu fuit, ac permansit. Hebræi vocabant אשפים, *Daniel.* 1. 20. *cap.* 2. 10. *cap.* 4. 4. *cap.* 5. 11. estque hoc σοφοὶ Græcorum vocabulum, ad Orientis Pronunciationem leviter inflexum. Scilicet Æolum & Jonum commercia etiam ante Thaletis Milesii tempora in plurimis Asiæ populis vocabula Græca sparserant, artesque civiles cum aliquo Barbarorum commodo propagaverant, uti dixi in Recensu historiæ universalis *lib.* 1. *c.* 7. *dist.* 8. Locus est 1. Cor. 1. 20. πȣ̃ σοφὸς, πȣ̃ γραμματεὺς, πȣ̃ συζητητὴς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ. Agit de professoribus artium liberalium, quos Corinthii æstimabant magno. σοφοὶ erant per excellentiam illi, qui artes omnes gnaviter excolebant, & pro civitatum salute in commune consulebant, ut septem illi per Græciam nobiles, Thales, Solon, Pittacus, Bias, alii. συζητητὴς τȣ̃ αἰῶνος est indagator rerum Naturæ seu Physicus, quomodo *Baruchi* 3. 23. appellantur Physici οἱ ἐκζητȣ̃ντες τὴν σύνεσιν ἐπὶ τῆς γῆς. Id studium ab Hebræis dici solet מחקר, quod nullis rationibus impulsus negat Fullerus *lib.* 3. *miscellaneorum sacrorum cap.* 7. Atque inde est cognomen Herculis Phœnicis, de quo Pausanias in Phocicis: *Macerim vocant Herculem Libycum.* Libycum, quia ibi appulit exul à patria, cæterùm oriundus erat Phœniciâ, uti dicemus infrà *cap.* 20. *dist.* 29. Et verò Macerim est genuina vox מחקר, quomodò apud Phœnicas appellabatur ille, qui Græcis erat Philosophus. Cæterùm Orientis populi Chaldæi, Bactriani, Persæ, Arabes vulgò appellabant Magos, Plato *in Alcibiade*, Lucianus *in Longævis*, Cælius Rhodiginus *lib.* 1. *Variarum Lect. cap.* 23. Inde est μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν, *Matth.* 2. 1. Hos Reges fuisse & è Persia advenisse, docent Steph. Forcatulus *lib.* 1. *de Gallorum imperio & Philosophia pag.* 7. *seqq.* Jac. Gordonus *Tomo* 2. *Chronologiæ pag.* 81. Georgius Hornius *lib* 5. *de vita & factis Philosophorum cap.* 2. E Mesopotamia profectos esse, contendunt Aug. Torniellus *in Annalibus sacris, Tomo* 2. *p.* 365. Cornelius Jansenius *in Concordia Evangel. cap.* 9. & Denique ex Arabia accersunt Hugo Grotius *in annotatis Evangelicis pag.* 28. 29. 35. Spondanus *in Epitoma Annal. pag.* 10. Et rectè quidem, uti diximus Auctariis ad historiam Ecclesiasticam *pag.* 259. *seqq.* Summa argumentorum, quæ pro Magis è Perside profectis adferunt Hornius *l. d.* Erasmus Smidius *notatis ad Evangelistas pag.* 11. 12. Georgius Calixtus *diatribâ de Magis pag.* 11. 12. hæc cumprimis sunt: (1.) Quia Persia ad Orientem Judææ sita est. (2.) Quia Persia tantùm habuit Magos in aulis Regum. (3.) Quia Persarum Reges tantùm adorari consueverunt. (4.) Quia munera arguunt opulentiam Persicam. (5.) Quia Persæ tantùm habere poterant indicia Regis apud Judæos nati ex libris Danielis, qui in Persia asservabantur. Hæc illi. *Respondeo:* Non sola Persia est ad Orientem Judææ: nec in Persia tantùm erant Magi: nec soli Reges Persarum adorabantur: nec tantùm apud Persas aurum erat: nec ex libris Danielis tantùm ea discere opus erat, quæ toto Oriente pervulgata erant. Ergò quòd ex Arabia venerint, probatur: (1.) Quia dicit Evangelista, *Magi ab Oriente.* Arabia sita est ad Orientem Judææ, & qui Arabiam habitant, sunt

υιοὶ ἀνατολῶν, Genes. 10. 30. cap. 35. 6. 18. Judicum 6.3.1. Regum 40.30. Jobi 1.3. Esa. 11.14. Jeremiæ 49.28. Itaque Tacitus *lib. 5. histor.* de Judæa accommodatè: *Terra finesq́, quà ad Orientem vergunt, Arabiâ terminantur.* Et commercia Arabum cum Judæis antiquissimæ gloriæ fuerunt semper, Jobi 1.15. Psalm. 74.10.15. Esaiæ 60.6. Jerem. 6. 20. Ezechiel. 38.13. (2.) Quia munera & donaria Regi novo oblata, arguunt, fuisse Arabes, non verò Persas, non Chaldæos. Thus & myrrha unicè propria aromata sunt Arabiæ felicis; apud Persas & Chaldæos non reperiuntur, *Plinius lib. 12. cap. 17. & 24.* Strabo *lib. 16. Geograph.* Pomponius Mela *lib. 3. descriptionis orbis.* (3.) Quia semper habuit Arabia præstantissimos Sapientes, naturæ & Mathematicæ studiosos, 1. Regum 4.31. cap. 10.1.2. Jobi 2.11. Jerem. 49.7. Baruch. 3.22. Magorum Arabiæ meminit quoque Plinius *lib. 30. histor. natur. cap. 1.*

II. *Ejus notentur Causæ & partes. Causæ sunt quatuor, Efficiens, Materia, Forma, Finis. Efficiens est vel prima vel secunda. Prima est Deus author omnis boni in natura.*] Ob id Deum meritò celebrant Plato *in Timæo*, Cicero *lib. 15. Epistol. famil. 4.* Seneca *Epist. 90.* Et Poëtæ ad suum Jovem referunt sapientiæ originem, quem sine Junonis suæ concubitu in ipso cerebro Palladem concepisse, & Vulcani ope in lucem edidisse ajunt, Apollonius *lib. 4. Argonauticorum*, & ex eo Natalis Comes *lib. 4. Mythologiæ cap. 5.* Pallas eis credebatur omnium artium præses & patrona esse. Catullus:

O Patrona virgo,

Epigram. 1. De quo loco nonnulla diximus *lib. 1. Antiquit. Romanarum cap. 1. dist. 14.* Jovi procuratorem adjungebant Mercurium, in ordinandis artibus perinde occupatum Deum, quem solemni carmine descripsit Horatius *lib. 1. Carm. 10.* Locus est Actor. 14.10.11. *Dii assimulati hominibus descenderunt ad nos.* Credebant gentes, factum esse quòd Dii sese immiscerent rebus humanis, figurâ visibili assumptâ. Jupiter apud Ovidium: *Et Deus humanâ lustro sub imagine terras*, lib. 1. Metamorph. Adeoque solebat Mercurium ducere secum, uti etiam vides in Plauti Amphitruone.

III. *Secunda sunt homines ingenio præditi.*] Græci equidem arrogabant sibi primam artium bonarum inventionem, uti eorum nomine refert Diog. Laërtius *lib. 1. de vitis Philosoph. pag. 2.* atque idem reprehendit Aristotelem, quòd scripserat ἐν τῷ μαγικῷ, *primos Philosophiæ cosq́, non degeneres cultores exstitisse Barbaros.* Verùm Laërtius aberrat. Notum est, quòd Græci omnes populos, qui non erant Græcæ originis, vocaverint Barbaros, *Roman. 1.14.* Strabo *lib. 14. Geograph.* Hoc etiam notum est, quòd populi alii dudum excoluerint artes liberales, antequam illæ ad Græcos pervenerunt. Communis gentium omnium Schola erat, quam Noah sive Janus priscus (uti ostendi *lib. 1. Antiquit. Roman. cap. 2. dist. 1.*) toto orbe propagavit, cùm post diluvium exactum, prima hominum colonia in Armeniæ & Gordienæ agris considebat, *Gen. 8.4.* (& adde nostrum Recensum historiæ universalis, *lib. 1. cap. 1. dist. 3.*) Acceperat Noah bonas literas à Setho ejusque posteris, qui istas descripserant in columnâ lapideâ, ut ab aquis diluvii illæsa permaneret. Eam columnam multis post seculis extitisse in Syriâ, & à se visam esse, refert Josephus *lib. 1.*

Antiquitatum cap. 3. qui uti aliàs ita nunc etiam falsa pro veris accepit, orbique sublestâ fide commendare voluit, itaque commentum repudiant Joh. Goropius Becanus *lib.* 1. *Hieroglyphicor. pag.* 109. 110. Ludovicus Vives *lib.* 2 *de Veritate fidei cap.* 2. Sub Nimrodi imperio floruerunt Assyrii, Chaldæi, Bactriani, Medi, Persæ, & horum familiares Phœnices, Ægyptii, Arabes. De Chaldææ urbe Orchoa progressus Abraham, gentis Hebrææ conditor, in Phœnicia habitavit, literis excellenter imbutus, & unius Dei cultor præcoque diligens, *Gen.* 12. 4. 5. (& adde nostrum Recensum historiæ universalis *lib.* 24. *cap.* 1. *dist.* 1.) Phœnices sunt illi, quos sacræ literæ vocant Chananæos, eorum præcipui fuerunt Sidonii & Tyrii, de quibus hoc verissimè prodit Curtius: Si famæ libet credere, hæc gens literas prima aut docuit aut didicit, *lib.* 4. *histor. cap.* 15. Scribunt idem Herodotus *in Euterpe*, & Callimachus apud Eusebium *lib.* 10. *de præparat. Evangel.* Famam esse veram docui libro de Scriptura sacra, *Exercitat.* 6. *sect.* 2. 3. neque diffitetur Plato *in Epinomide, Timæo, Alcibiade*, Græcorum magistros frequentavisse olim scholas Magorum in Oriente, domumque reversos, cum laude & emolumento civium suorum docuisse artes. De Arabiæ & Ægypti incolis Sapientiæ studiosis egregia testimonia sunt, 1. *Regum.* 4. 30. 31. *cap.* 10. 1. *Baruch* 3 22. 23. *Actor.* 7. 22. Quòd verò Græci deinceps conservaverint literas meliores, atque Europæ populis tradiderint, facilè permiserimus Laërtio, quando liquet à Pythagora sapientissimo in Græcia magna Jonicam, à Socrate facundissimo Electivam, à Platone sublimi Academicam, à Zenone subtili Stoicam, ab Aristotele veterum omnium Censore acerrimo Peripateticam sectam in suburbanis Atticæ primordium cepisse, uti prolixius exponunt Justus Lipsius *lib.* 1. *manuduct. ad Philosoph. Stoicam dissertat.* 5. *seqq.* Franc. Patricius *Tomo* 1. *discussionum Peripatet. lib.* 10. Georgius Hornius *libris septem historiæ Philosophorum.*

IV. *Materia sunt res vel rerum notiones. Res sunt vel necessariæ vel contingentes. Necessariæ sunt, quæ ab intellectu nostro cognoscuntur. Contingentes sunt, quæ à voluntate nostra peraguntur. Notiones rerum sunt modi docendi, quos intellectus fabricat.*] Tàm res quàm rerum notiones continentur à quinque habitibus intellectus, quos proponit Aristoteles *lib.* 6. *Ethic. Nicomach. c.* 3. 4. 5. 6. 7. & luculenter explicant F. Piccolomineus *gradu* 5. *moralis Philos.* B. Keckermannus *lib.* 2. *præcognitorum*, Joh Henr. Alstedius *libris quatuor Hexilogiæ*. Sunt verò isti: Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, Intelligentia. Nos breviter aliquid dicemus, ut cò melius percipiantur ea, quæ capite sequenti docebimus, ubi est de Philosophiæ divisione.

V. *Ars est habitus qui cum recta ratione efficit.*] Effectio duplex est, alia transiens, quæ efficit opus sensibile, alia immanens, quæ efficit opus subtile. Inde quoque sunt duo genera artium, unum quidem à quibus est opus crassum. Ita sutor facit calceum, sartor vestem, faber clavum. Alterum, à quibus est subtile opus. Ita Logica facit definitionem, divisionem, propositionem, argumentationem, Rhetorica facit orationem, tropum, figuram. Quæcunque artes efficiunt opus subtile, illæ ad Philosophiam referri merentur, aliæ foràs exeunt. Falsum verò

verò eſt, quod Zabarella *lib.1. de Nat. Log. cap.8.* Crellius *lib.1. Iſag. Log. cap.1.* Arniſæus *notis ibid. pag.25. ſeqq.* Joh. Regius *lib.1. Commentar. Log. pag.10. ſeq.* Jac. Martini *lib.2. Exercitat. Metaphyſ. pag.1064. ſeqq.* operosè contendunt, artes omnes efficere opus craſſum, adeoque conceptus mentis effectivos haut eſſe opus verum, denique Logicam haut eſſe artem. *Excipiunt:* (1.) Nullum opus efficitur intellectus ope, ſed requiruntur ad illud inſtrumenta corporis. *Reſpondeo* : Negat hoc Ariſtoteles 6. *Metaphyſ.*1.12. ubi ſcribit, τῶν μὲν γὰρ ποιητικῶν ἐν τῷ ποιοῦντι ἡ ἀρχή, in artibus principium efficiendi eſſe in ipſo efficiente, ſive illud principium fuerit mens, ſive ars, ſive facultas. Itaque ſecundum Philoſophi teſtimonium, (pro cujus aſſenſu adverſarii unicè pugnant in hoc negotio) quamvis opus fiat à ſolo intellectu, atque intra illum reflectatur, omninò tamen artem denominat. (2.) Omne opus eſt craſſum, ut à ſenſibus apprehendatur. *Reſpondeo:* Imò Ariſtoteles 7. *Metaphyſ.*7. docet, ποιήσεις vel effectiones provenire ab intellectu, id eſt, ſubtiles in mente exiſtere, ut diſtinguantur ab aliis operibus, quæcunque vel natura ſenſibilium rerum efficiens cauſa, quà corpora mobilia, vel artes manuariæ edunt craſſis modis. (3.) Logicæ artis effecta non ſunt verum opus, artiſque proprium. *Reſpondeo:* Ariſtoteles disertè ait, Logicas operationes eſſe ποιήσεις, 1. *prior.*25. 2. *prior* 8. atque idem deſcribit artem, quòd ſit habitus ποιητικὸς, 6. *Ethic.* 4. itaque Logicam veras efficere ποιήσεις, & veriſſimè artem eſſe, liquidò conteſtatur. Nobiſcum docent Joh. Monlorius *præfat. ad libros de ratiocinatione.* Julius Scaliger *Exercit.1. diſt.3. Exercit.*307. *diſt.*23. *Exercit.*342. Julius Pacius *lib.1. Inſtitut. Log. cap.1.*

VI. *Scientia eſt habitus, qui res cognoſcit.*] Ita cognoſcit Metaphyſica Ens, Pneumatica ſpiritum, Phyſica corpus naturale, Mathematica cognoſcit quantitatem. *Prudentia eſt habitus, qui cum recta ratione agit.*] Ita Ethica agendo exercet virtutes, Politica agit ſecundùm præſcripta legum. *Sapientia eſt habitus, qui cognoſcit altiſſima. Intelligentia eſt habitus, qui cognoſcit principia prima.*] De his duobus habitibus non ſunt peculiares diſciplinæ, quando Scientiis permiſti, intrà complexum earum denominatione à potiori factâ abſorbentur.

VII. Tantum quod Recentiores aliqui, Biſterfeldius, Gutkius, Geilfuſius, Eiſlerus, voluerunt Gnoſtologiam efformare, id eſt, diſciplinam peculiarem, quæ Intelligentiæ aſſignata, Philoſophiam novo augmento locupletaret, novam ex ſe diſciplinam addendo ei. Hos defendit Georgius Mejerus in Gnoſtologia ſua, *Diſputat.1. pag.4.5. ſeqq.* ubi tale adfert argumentum: Ubicunque eſt peculiare objectum, formali conceptu diſtinctum, certis principiis, affectionibus, ſpeciebus præditum, conſiderandi modo peculiari affectum, ibi eſt peculiaris diſciplina. Atqui in Gnoſtologia ſunt omnia illa. Ergò Gnoſtologia eſt peculiaris diſciplina. *Reſpondeo:* Nos omninò minorem propoſitionem inficiamur, tanquam quæ meras petitiones principii adferat, & pro ſententia contraria inferimus: Ubicunque non eſt peculiare objectum, formali conceptu diſtinctum, certis principiis, affectionibus principalibus, ſpeciebus præditum, conſiderandi modo peculiari affectum, ibi non eſt peculiaris diſciplina. Atqui in Gnoſtolo-

gia non sunt omnia illa. Ergò Gnostologia non est peculiaris disciplina. Instat Mejerus: (1.) Datur objectum peculiare, uti est cognoscibile quà tale. *Respondeo*: Quid cognoscibile differt ab Ente, à re, à primo, uti vocant, cognito? Id verò esse objectum Metaphysicæ, hactenus omnes Philosophi affirmant, quo cùm spoliatur illa, quid remanebit præter decem prædicamenta? (2.) Dantur prætereà affectiones, principia, species. *Respondeo*: Neque illa sunt alia ac quæ Metaphysicæ per fas nefas eripiuntur. Fuit illa hactenus Regina disciplinarum, & pro ejus illustri loco incassum pugnaverint Antecessores Peripati, si à Gnostologiæ figulis novis tàm levi conatu despoliatur objecto suo, principiis suis, affectionibus suis, ut non possit è repetundarum lege agere adversus aggressores suos. (3.) Methaphysica considerat, Ens quà cognoscibile, id verò aliud est à Gnostologiæ objecto, quæ considerat cognoscibile quà tale. *Respondeo*: Divelluntur ea in partes, quæ naturâ suâ partes non habent. Ens enim actuat velut cognoscibile, id est, per inseparabilem circumstantiam hominum mentibus sese insinuat, ut simul sint cognosci & esse, id est, ejusdem disciplinæ partes sint cognoscibile & Ens, neque illa quidem ratione distincta. Argumentor: Quæcunque sunt eadem ratione, illa inter se eadem sunt. Atqui ens & cognoscibile sunt eadem ratione. Ergò ens & cognoscibile inter se eadem sunt. Porrò: Quæcunque sunt eadem inter se, illa non efficiunt disciplinas numero diversas. Atqui Ens & cognoscibile sunt eadem inter se. Ergò non efficiunt disciplinas numero diversas.

VIII. Regerit *Mejerus*: Cognoscibile non est Entis affectio, quia est saltem denominatio extrinseca ab actu nostri intellectus profecta, non verò intrinseca, & ab ipso Ente orta. *Respondeo*: Affectio intrinseca est merum commentum, si per eam aliud quid intelligatur, ac quod vulgò dicitur, *rei proprium* esse. Hoc sensu negari haud potest, quòd cognoscibile sit Entis affectio intrinseca; est enim proprium Entis, ut cognoscatur, uti mentis proprium est, ut cognoscat. Neque verum est, *esse affectionem extrinsecam*. Quando enim non potest separari ab Ente, ne quidem per divinam potentiam, omninò Entis proprium insitum est. Et quia frustrà inesset homini excellens actus ille per quem homo est, nisi haberet objectum in quo sese exerceat. Ab Ente ergò est, ut cognoscatur, non ab intellectu nostro. Nisi enim ex se tale esset ut cognosceretur, non esset Ens, sed esset nihilum. Demum asserimus, quòd cognoscibile sit *affectio identica* Entis, quando in disciplinis omnibus nihil quicquam cognoscitur, seu intelligitur, nisi sub ratione Entis. Itaque disciplinam propriam & à Metaphysica distinctam non efficit.

IX. *Forma est congruentia ad rationem.*] Ut congruentia illa eò certius obtineretur, legibus quibusdam veteres pariter ac novi Doctores usi, præcepta artium describere voluerunt, unde lucem fœnerari posset intellectus, non semper experientia rerum præditus, sed tamen in perceptione rerum diligenter informandus. Leges istæ sunt vel Generales, vel Speciales. Generales sunt duæ. Prima est: *Ars imitatur naturam.* Ita docent Petrus Ramus *lib. 2. Dialecticæ cap.* 17. Piccolomineus *introductione ad gradus morales cap. 15. & libro de rerum definitione pag. 129. & part. 1. Comitis politici pag. 20.*

Hier.

Hier. Capivaccius *libro de differentiis methodi*, Barth. Keckermannus *lib.3. System. Log. pag.* 585. quibuscum frustra litigant J. Zabarella *lib.1. de methodo cap.6. seqq. & lib. 1. Apologiæ cap* 3.4. H. Arnisæus *libro 2. Relect. Politic. in proœmio, sect* 12. Michael Piccartus *in Philosophia Altorffina Disput.* 44 Jacobus Martini *lib.5. Institut. Log. pag.* 137. *seq. & lib.2 discuss. Ramist. cap* 13. *quæst.* 1. Rationes sunt: (1.) Quia exemplar & exemplatum debent esse consentanea. Atqui natura est exemplar, ars est exemplatum. Ergò. (2.) Quia mensura & mensuratum debent esse adæquata. Atqui natura est mensura, ars est mensuratum. Ergò. Minor est apud Aristotelem *lib.* 10. *Metaph. cap.* 1. *text.* 1. Atque idem consentit verbis expressis, ἡ τέχνη μιμεῖται τὴν φύσιν, 3. Rhetor 1.2. Phys. 2. 2. de anima, text. 34. 2 de generat. an. mal 2.

X. Excipit *Zabarella:* Distinguendum est inter naturam intellectus, & inter naturam rerum extrà intellectum positarum. Ars equidem imitari debet naturam, sed tamen ordo est ars mentis, ejus naturam & facultatem cognoscendi disponens, ut eò facilius res propositas apprehendere possit. Ergò debet imitari naturam intellectus, qui non semper ad naturam rerum extra intellectum positarum congruit, verùm sæpius apprehendit ea, quæ sunt notoria nobis, ut inde provehamur ad cognitionem eorum, quæ aliàs sunt minus nota. Nostra igitur cognitio est principalis ordinandi ratio. *Respondeo*: Frustrà distinguitur inter naturam intellectus, & naturam rerum, quando hæc duo solùm eo modo sunt diversa, ut intellectus percipiat res, & verò res à natura generentur. Porrò notum est, quòd natura processum hunc observat in rebus generandis, ut progrediatur ab imperfectis ad perfecta, à causis ad effecta, à mediis ad finem, à communibus ad propria, à partibus ad totum, à subjectis ad adjuncta, à simplicibus ad composita, hic verò etiam processus commensuratur faciliori nostræ cognitioni, quoniam impossibile est, ut compositum distinctè sciatur, nisi antè cognita fuerint simplicia. Neque ea sunt *notiora nobis*, quæ primo impetu facilius apprehenduntur, sed quæ semel percepta notitiam in cæteris promovent. Hoc verè dicendo est, à notioribus ad ignota progredi, & artem cum natura optimis modis conciliare, quod rectè monet Guilh. Tempellus *in Commentariis Dialecticis pag.* 95. Uti enim sese habet in esse, ita etiam sese habere debet in cognosci.

XI. *Secunda est: Objectum debet esse proprium & adæquatum.*] Duo sunt quæ de Objecto artium notari simul debent, res considerata & modus considerandi. *Illa* potest esse communis artibus pluribus, *hic* restringit communitatem, ut tantùm uni arti conveniat. Sic ergò plures artes idem objectum exponunt, sed non eodem modo. Corpus naturale docetur in Physica & Medicina; actiones humanæ proponuntur in Ethica, Politica, Oeconomica; Ens omne considerat Metaphysica, reliquæ artes pertractant Ens certum & determinatum, ut suas res sibi habeant, Metaphysicæ non derogent. Magis hoc constat per artes illas quas vocant subalternatas, in quibus subalternæ objecta & principia sua accipiunt à subalternantibus. Proinde Aristoteles 1. *poster.* 20.23.30. & ibidem Interpretes Themistius, Averrhoës, Thomas Aquinas notant,

tant, leges ſubalternationis eſſe quatuor, eaſque indidem repetunt Zabarella *libro de tribus præcognitis*, Peterius *lib.* 1. *Philoſ. natur. cap.*13.14.15. Conimbricenſes *expoſitione ad lib.*1.*poſter.pag.*649.*ſeqq.* Nimirum: (1.) Ut objectum diſciplinæ inferioris vel ſubalternæ contineatur ſub objecto diſciplinæ ſuperioris vel ſubalternantis, veluti ſpecies ſub genere. Geometriæ objectum eſt magnitudo, Opticæ objectum eſt magnitudo lucida. Hæc eſt illius ſpecies, eſtque Optica Geometriæ ſubalterna. Quòd verò Zabarella *l.d.cap.*12. contendit, *objectum artium hujuſmodi eſſe tantùm ratione diſtinctum, non verò etiam re diverſum*, abſurdum omninò eſt, & convincitur falſitatis per exemplum allatum, quod Ariſtoteles ipſe 1.*poſter.*20 adhibet. (2.) Ut objectum inferioris habeat conditionem additam, per quam realiter diſtinguatur ab objecto ſuperioris. Ita Optica habet conditionem additam, *lucida*, per quam *magnitudo* limitatur. (3.) Ut ſupponantur principia inferioris ſcientiæ, demonſtrentur verò in ſuperiori, cùm opus eſt. Optica accipit è Geometria principia ſua, ac ſupponit, velut quæ in Geometria demonſtrata fuerunt, quouſque res ipſa poſtulat. (4.) Ut affectiones habeant diſtinctas, atque hæ maneant penes artes illas, quibus propriæ ſunt. Nimirum ita ſatis præcavetur, ne fiat tranſitio de genere in genus, & affectiones, quæ ſubalternæ artis propriæ ſunt, cum principiis ſubalternantis artis conjunctæ efficiunt demonſtrationes evidentes, teſte Ariſtotele, 1.*poſter.*7.*text* 20. Hoc modo omnes artes ſpeciales ſubalternantur Metaphyſicæ velut ſcientiæ generali, Optica eſt ſubalternata Geometriæ, Muſica Arithmeticæ, Medicina Phyſicæ, Juriſprudentia Politicæ, Poëtica Grammaticæ.

XII. Enarrant J. Zabarella *l.d. cap.*13. Peterius *lib.* 1. *Philoſ. natur. cap.* 4. Jacobus Martini *cent.*4. *diſput.*9. *quæſt.*1. Alſtedius *lib.*3. *Encyclopæd. cap.*4. *Reg.*9. ubi negant eſſe veram ſubalternationem in Medicina & Phyſica, imò accuratè ſtatuendo, ſubalternationem in Arithmetica & Muſica ſolùm agnoſcunt. Argumenta profert *Zabarella*: (1.) Nullum objectum ſcientiæ inferioris eſt pars objecti ejus, quæ ſuperior eſt. Atqui *homo* objectum Medicinæ eſt pars corporis naturalis. Ergò. (2.) Nulla ſubalternatio facit numerum. Atqui Medicina & Phyſica faciunt numerum, ut duas realiter diverſas artes conſtituant. Ergò. Major conſtat: Objectum ſcientiæ inferioris differt ratione ab objecto ſuperioris, videlicet propter conditionem additam, quâ efficitur, ut ſuperior conſideret objectum citrà qualitatem ſenſibilem, inferior conſideret objectum cum qualitate ſenſibili. Nulla verò accidentalis diverſitas efficit differentiam ſpecificam. Exemplo ſunt Arithmetica & Muſica, inter quas eſt ſubalternatio, illius objectum eſt *numerus*, hujus objectum eſt *numerus ſonorus*. Scilicet objectum Arithmeticæ eſt tale, ut novam conditionem accipiendo ſit objectum Muſicæ, modus conſiderandi non variatur, à quo in ſolidum provenit ſcientiarum vel unitas vel diſtinctio. Conſiderant enim, *inquit*, numerum ſonorum, *non quà ſonorum, ſed quà numerum*. Hinc infert, Muſicam & Arithmeticam eſſe unam diſciplinam, quia idem in ambabus artibus obtineat conſiderandi modus. *Sic ille*. Verùm ſupponit Zabarella, dari tantùm ſubalternationem in Mathematicis

maticis disciplinis contra veterum Philosophorum consensum, quem magis sequendum esse arbitramur cum Themistio 1. *poster.* 16. Jac. Schegkio 2. *prior.* 21. Andrea Planero *libro de arte demonstrandi pag.* 185. Matthia Flacio *lib.* 3. *Apodicticæ cap.* 9. Rationes ejus laborant manifestâ petitione principii. (1.) Negamus quòd objectum inferioris disciplinæ non debeat esse pars objecti ejus, quod assignat disciplina superior. Regerit *Zabarella:* Non essent perfectæ demonstrationes in scientia inferiori, quando hæc principia sua omnia peteret à superiori. *Respondeo:* Sufficit, quòd propriæ affectiones ad faciendam demonstrationem commodentur ab inferiori, ut sic inferior demonstrationem faciat de specie per principia generis. (2.) Negamus quòd subalternæ disciplinæ non faciant numerum. Quis enim Arithmeticæ velit dare nomen Musicæ, & contrà? Atqui hoc fieri oportebat, si duæ artes illæ efficerent artem unam. Potest quis perfectè callere Arithmeticam, & verò Musicæ imperitus esse, neque curare etiam, ut hanc velit addiscere. Una igitur scientia citrà alteram esse, & perfectè esse potest. (3.) Negamus, quòd in Arithmetica & Musica sit *idem* considerandi modus. Est certè *diversus*, quando multum differt numerus qui abaco inservit, ab illo numero, qui sonos modulosque componit. Patet ergò, quòd sint disciplinæ subordinatæ, adeòque negatur meritò, quòd sint disciplina una. Neque enim habent eandem definitionem, idem nomen, eundem modum considerandi pro objecto suo.

XIII. *Leges speciales sunt tres. Prima est κατὰ παντὸς sive Veritatis. Secunda est κατὰ αὐτὸ sive Justitiæ. Tertia est καθ' ὅλου πρῶτον sive Sapientiæ.* Has primus tradidit Petrus Ramus, felicissimus liberalium artium restaurator, qui de istarum jure videatur in Scholis Logicis & Mathematicis, eleganti & accuratâ doctrinâ plenis, quicquid garriant vilia capita. Occasionem ceperat ab Aristotele 1. *poster. analyt. cap.* 2. ubi proponuntur velut tres gradus necessitatis in Enunciatis demonstrativis requisitæ. Longius usum earum extendere voluit Petrus Ramus, videlicet ut essent norma, secundùm quam omnia artium præcepta inutilibus rixis quidem hactenus maculata ab omnibus, sed à nemine in justum ordinem redacta, constituerentur ac pariter examinarentur. Rationes sunt istæ: (1.) Quia præcepta artium sunt enunciata necessaria. (2.) Quia præcepta artium habent certitudinem istam, quam Philosopus ad gradus illos requirebat. (3.) Quia definitiones & divisiones rerum admittunt gradus illos semper, proprietates verò ut plurimum.

XIV. *Lex Veritatis jubet, ut præcepta artium sint vera, affirmata, necessaria, universalia.*] Debent esse *Vera*, quia sic docent, aliàs decipiunt. *Affirmata*, quia plus docet affirmatio, quàm negatio, illa monstrat quid res sit, hæc quid non sit, illa est unica, hæc definit in multis, Matth. Flacius *lib.* 4. *Dialect. cap.* 14. Itaque Aristoteles vetat, negatas definitiones proponi in artibus, 6. *Topic.* 6. *Necessaria*, quia sunt ordinata ad perfectionem animi, neque ergò contingentia esse possunt. Hinc jubet Aristoteles, ut quodvis præceptum artis sit necessariò verum, 1. *posterior.* 26. *Universalia*, quia sunt per inductionem collecta, & per experientiam stabilita, Aristoteles 2. *Metaph.* 6.

XV. *Lex Justitiæ jubet, ut præcepta artium*

tium sint inter se & cum tota arte consentanea.] Inter se quidem, ut posterius à priori dependeat æqualiter & perfectè. Cum tota arte, ut nihil quod alterius artis est, alia ars sibi tribuat. Præceptis distinguuntur artes, usus conjungit sæpè quæ sunt unius artis propria, Aristoteles 1.*poster.anal.text.*58.59.

XVI. *Lex Sapientiæ jubet, ut præcepta artium sint reciproca, utq; generalia generaliter, specialia specialiter proponantur.*] Ratio prioris est, quòd artium præcepta sunt enunciata æqualem affectionem habentia. Posterioris, quòd vitari debent ociosæ repetitiones eorum, quæ semel dicta erant, Aristoteles 1 *poster.cap.*4.& 5.

XVII. Hæc trium Legum præscripta accuratè in construendis artibus observanda esse, artium pulchra habitudo atque ipsarum rerum stabilis natura ostendunt. Quæ contrà proferunt Jacobus Martini, *Centur. 5. Illustr. quæst. Disput. 3. quæst. 1. & lib. 1. Discussionum Ramist. cap.3. quæst.5.6.7.8.* Philip. Scherbius *in Dissertationibus cap. 3. 4.5 seqq.* ea facilem habent solutionem, uti dudum ostendit Andreas Libavius *notis ad Dialecticam emendatam pag.*400.*seqq.* Dicunt: (1.) Tres Leges istæ sunt requisita necessarii Enunciati. Atqui res contingentes, quales plurimæ sunt in artibus, non sunt necessariæ. Ergò. *Respondeo*: Negatur consequentia. Res contingentes sunt quidem tales ratione actionis, verumtamen cognitionis ratione inferunt necessitatem istam, quæ ad formanda artium præcepta sufficit. Regerit *Scherbius*: Cognitio non facit res necessarias, quando illæ per se non sunt tales. Res enim non pendent à cognitione nostra, sed cognitio nostra pendet à rebus. Verùm modus sciendi, quem præcepta artium in nobis producunt, omninò cognitionem firmam efficiunt, quæ necessaria certè est, atque contingentibus rebus aliquam necessitatem conciliat, videlicet eam quæ est à posteriori. Namque intellectus abstrahit modum à rebus, & abstrahendo immutat rerum naturam, ut quæ ratione actionis nec semper, nec ubique sunt, ea ratione cognitionis & semper & ubique esse possint. (2.) Regulæ Grammaticæ non sunt obnoxiæ legibus istis, quando nulla ferè est regula, quæ non patiatur exceptionem. *Respondeo*: De præceptis artium valent solùm istæ Leges, uti sunt definitiones & divisiones, non verò de quibusvis regulis docendi gratiâ consignatis.

XVIII. *Finis est duplex, Principalis & Subordinatus. Principalis est Dei gloria. Subordinatus est hominis perfectio.*] De fine principali sunt testimonia Scripturæ, Psalm. 19 1.2.3. Roman.1.19 20. De subordinato valet illud Aristotelis, πᾶσα τέχνη καὶ παιδεία τὸ προσλεῖπον βούλεται τῆς φύσεως ἀναπληροῦν, 7 Politicor.cap.5. Itaque Veteres collaudabant viros doctos, quòd Diis geniti & Deorum socii essent, Cicero *Paradoxo* 5. & *lib.*4. *Quæst. Academ.* Seneca *Epist.*31.53.59.65.73.92.108. & *lib.*7.*de beneficiis c.*3.4.

XIX. Quæritur: *An liberalium artium studium sit excolendum?* Respondeo: Negant Geisterani & Mennonistæ melioris literaturæ bustuarii, Wegelius *libro de studio universali cap.*4.5 *seqq.* Joh. Angelius Werdenhagen *prolegomenis ad Medullam Politicam quæst.*16 *seqq.* Nos verò affirmamus. Rationes sunt istæ: (1.) Quia artes liberales elevant hominum animos ad percipiendam notitiam Dei, à quo omnia condita sunt, ut

ad

ad ejus gloriam referantur omnia, *Roman.*1.18.19.20.*cap.*2.14.15. (2.) Quia Viri Sancti operam diligentem impenderunt studio liberalium artium, estque magna pars laudis eorum, didicisse fideliter artes, uti constat de Salomone Rege, 1.*Reg.*4.30.*seq.* Mose Legislatore, *Actor.*7.22. Daniele, *Dan.*1.4.*cap.*2.13.*seq.* Paulo Apostolo, *Actor.*17.28.1.*Cor.*15.33.*Tit.*1.12. Excipit Wegelius: (1.) Jubet Paulus cavere, ne quis seducat nos per inanem Philosophiam, Coloss.2.8. *Respondeo:* Non agit Paulus de liberalium artium studio, uti illud vigebat in Græcorum Scholis, de quo tamen etiam nonnulla dicit 1.*Cor.*1.20. sed non cum insectatione, nisi eorum, qui artibus per se bonis volebant ad impugnandam Servatoris gloriam abuti, cùm tamen constaret, quòd Apostoli per sermonem crucis innumeros homines ad veram probitatem animi adduxissent: Philosophorum discipuli essent κενῆς οἰήσεως ἔμπλεοι ἄσκοι, ut dicebat Timon, essent arrogantes, litigiosi, maledici. Loco prolato agit de vitandis Judæorum circumforaneorum nugis, quas illi excogitaverant in fraudem Religionis veræ, ne illa per orbem invalesceret passim, cum damno Paganismi non minus quàm Judaicæ superstitionis. Erantque vanitatum hujusmodi præcones imprimis Esseni, eruditior pars Judæorum per Orientis urbes dispersorum, *Col.*2.18. 1.*Tim.*1.4. *Tit.*1.14. Sanè Josephus *lib.*2.*de bello Judaico cap.*7. vocat eos Judæorum Philosophos, & videris alia quæ huc pertinent, apud Jos. Scaligerum in Elencho Trihæresii *cap.* 22. & 27. Janum Drusium *Responso ad Serarium cap.*2. (2.) Multa proponuntur in Artibus, quæ cum Religionis veritate non possunt conciliari. *Respondeo:* Artes docent illa, quæ cum ratione sana conveniunt, & naturę possibilia sunt, neque tamen negant, quòd suprà naturam agendo, Deus nova quædam hominum animis commendet, per quæ ad summi boni, quod post hanc vitam illos exspectat, adeptionem provehantur, 1.*Cor.*1.21. Argumentamur: Nullum verum repugnat vero. Atqui bonarum artium studium est veritas cordibus nostris à Deo inscripta. Ergò bonarum artium studium non repugnat veritati à Deo revelatæ in literis sacris. Minor est Rom.2.14.15.

CAPUT SECUNDUM.

Diatriba singularis de partibus Philosophię.

SUMMARIA.

1. *Philosophiæ sunt tres partes.*
2. *Alii constituunt duas partes.*
3. *Rejicitur divisio ista.*
4. *Philosophiæ pars effectiva.*
5. *An disciplinæ instrumentales sint pars Philosophiæ?*
6. *Philosophiæ pars speculativa.*
7. *Philosophiæ pars activa.*

I. P*Artes sunt tres, Effectiva, Speculativa, Activa.*] Ita dividunt Veteres pariter & Recentiores Doctores, Cicero *lib.* 1. *Academic.quæst.* Diog. Laërtius *in vita Platonis & Zenonis*, Plutarchus *lib.*1.*de placitis Philosophorum cap.*1. Lactantius *lib.*3.*Institut. divinarum cap.*13. Augustinus *lib.*2.*de Civitate Dei, cap.*7.*lib.*8.*cap.*4.*lib.*11.*cap.*25. Eusebius *lib.*11.*de præparat. Evangel. cap.*1. *Angelus Politianus in Parepistemo, fol.*462. 463. Rodolph. Agricola *lib.* 2.*de Inventione Dialectica, cap.* 9. Toletus *Prolegomenis ad Physicam cap.* 2. Conimbricenses

prologo ad Dialecticam quaest. 2. *art.* 1. & 2. & *in prolegomenis Physicis cap.*2. Joh. Henricus Alstedius *lib.* 3. *Encyclopadia cap.* 2. *Reg.*1. Justus Lipsius *lib.*1.*dissert.*5. Ratio confirmat: Quaecunque divisio est adaequata diviso, illa est bona. Atqui proposita divisio est adaequata diviso. Ergò. Minor patet: Est consentanea objecto, subjecto, fini Philosophiae. Objecto, quando Philosophia docet vel res vel rerum notiones. Subjecto, quando animae intellectivae facultates sunt tres, ut docent Aristoteles 5. *Metaph.* 1. 6. *Ethic.*2. Fini, quando Philosophia aut res ipsas docet, aut docendi modos fabricat.

II. Alii duas partes constituunt, Speculativam & Activam, Piccolomineus *libro de rerum definitione pag.* 63. & *gradu* 5. *Philosophiae moralis cap.* 51. & *introduct. ad Physicam cap.*2. 3. 9. Joh. Hospinianus *in Controversiis Dialect. cap.*1. Pererius *lib.* 1. *Philos. natural.cap.*2. Jac. Martini *lib.*1. *Exercitat. Metaphys.*1.*theor.*2. & *Centur.*1.*disput. illust.* 1. *quaest.* 3. 4. *Centur.* 8. *disput.* 7. *quaest.* 4. Keckermannus *lib.* 1. *praecognit. Philosoph. cap.* 2. Gilbertus Jacchaeus *lib.* 1. *Institut. Phys.cap.*2. Greg. Horstius *in praognitis Logicis pag.*28.*seq* Eos refellere conantur Socratici hoc argumento: Divisio legitima habet membra disjuncta & invicem opposita. Atqui haec divisio non habet membra disjuncta & invicem opposita. Ergò. Minorem probant: (1.) Speculatio est in utraque parte Philosophiae, neque enim potest actio aliqua esse, ubi non praecedit notitia. (2.) Actio & usus in utraque parte sunt, neque enim aliqua disciplina est citrà usum & finem proprium, Rennemannus *in Examine contrà Scherbium pag.* 65.*seqq.* Beuthusius *in Vindiciis Logicis sect.*7.*cap.*2.*seqq.* Respondeo: Invertimus argumentum. Quaecunque divisio habet membra disjuncta & invicem opposita, illa est bona. Atqui proposita divisio habet membra disjuncta & invicem opposita. Ergò. Minor constat: Contemplatio, actio, effectio differunt specie, uti satis liquet è praecedentibus. Falsum est: (1.) *Quòd contemplatio sit in utraque parte Philosophiae.* Sanè aliud est praeceptorum notitia, aliud est scientia rerum. Illa est in partibus omnibus, haec tantùm est in parte speculativa. Scientiae cognoscunt, neque ultrà pergunt, itaque notitia praeceptorum est adjunctum artificis, non verò finis artis. Falsum est: (2.) *Quòd actio sit in utraque parte Philosophiae.* Scientiae nihil agunt, verùm omnia cognoscunt. Et quanquam cognitio ista usum aliquem habeat, non tamen debet usus cum actione confundi. Tàm enim distant *usus* & *actio*, quam differunt notitia & scientia.

III. Nec tamen divisionem illam probamus, quandoquidem imperfecta est excludendo partem effectivam. De qua re porrò dicemus *infrà dist.*5.

IV. *Effectiva est, quae efficit notiones.*] Ejus species sunt disciplinae quatuor: Grammatica, quae est ars benè loquendi; Logica, quae est ars benè disserendi; Rhetorica, quae est ars benè dicendi; Poëtica, quae est ars benè pangendi carmen. Quaeritur: *An artes effectivae sint vera pars Philosophiae?* Respondeo: Negant Jac. Zabarella *lib.*1.*de natura Log.cap.*1.2.4.11. Crellius *lib.*1*sagog. Log. cap.*1. Keckermannus *lib.*1.*praecognit.Philosoph.cap.*3. Flacius *lib.*1.*Log.general.cap.*7. Horneius *lib.* 1. *Instit. Log. quaest.* 3. Greg. Horstius *in praecognitis Log. pag.* 77. *seqq.* Joh. Regius *lib.*1. *Commentar. Log. quaest.*1.

Petrus

Petrus Bertius *lib.1.Logicæ Peripateticæ c.1.* Georg. Mejerus *in Gnostol.disp.8.p.374.seqq.* 1. Nos verò affirmamus cum Petro Fonseca *lib.2.Metaphys.cap.3.quæst.1.sect.7.* Toleto *in prolegomenis Dialect.quæst.3.* Perecio *lib.1.Philosoph.natur.cap.2.* Andrea Planero *part.1. quæst. Dialect. pag.* 42. Ratio est: Quæcunque artes hominis mentem liberaliter informant, illæ sunt pars Philosophiæ. Atqui artes effectivæ hominis mentem liberaliter informant. Ergò sunt pars Philosophiæ. Excipiunt Zabarella & Keckermannus: (1.) Nullum instrumentum rei alicujus est pars ejusdem rei. Atqui artes dictæ sunt instrumentum Philosophiæ. Ergò. *Respondeo:* Negatur major. Ita malleus est instrumentum fabri, neque minus est pars artis fabrilis. Manus & pedes sunt partes integrantes hominis, ac pariter sunt instrumenta ejusdem, quorum operâ ille multa efficit, multa agit. Et verò figuratum dicterium est, quòd Logica *sit instrumentum Philosophiæ.* Verè dicendo, est *ars quæ fabricat instrumenta in usum disserendi.* Instrumenta sunt definitio, divisio propositio, argumentatio, methodus. (2.) Logica est diffusa per omnes partes Philosophiæ. Ergò non est pars Philosophiæ. *Respondeo:* Negatur Consequentia: Spiritus vitales, animales, imò anima ipsa per omnes corporis vegetabilis artus diffunduntur, calidum innatum permeat quaquaversus, attamen sunt corporis vegetabilis pars. Nec tàm Logica, quàm Logicæ artis effecta de quibus anteà dicebamus, per totam Philosophiam diffusa sunt. (3.) Logica non docet res, verùm notiones rerum. Ergò non est pars Philosophiæ. *Respondeo:* Negatur Consequentia. Tàm enim rerum notiones, id est, modus sciendi, quàm res ipsæ pertinent ad Philosophiam. Et quoniam pars aliqua docet *res*, aliqua docet *rerum modos*, constat inde, quòd Philosophia sit totum dissimilare, cujus partes sunt diversæ naturæ. (4.) Logica non docetur propter seipsam, verùm propter aliud, nimirum ut veritas rerum inquiratur. Ergò non est pars Philosophiæ. *Respondeo:* Negatur Consequentia. Quòd propter seipsam non discatur, arguit usum ejus ad alia plura extrà ipsam sese extendere. Et ob id non fuerit pars? Imò pars est ratione *cognitionis*, ac quoque instrumentum est ratione *usus*, quoniam docendi instrumenta fabricat. (5.) Aristoteles passim distinguit inter quæsita Dialectica & Philosophica, *lib.1.Topic.2.& 11.lib.8.Topic.1.* Dialectica non est pars Philosophiæ. *Respondeo:* Negatur consequentia. Distinguit ideò, quia res & rerum notiones differunt, cæterùm haud negat, quòd Logica sit pars vera Philosophiæ, *1.Topic.9. 6.Topic.6.8.Topic.2. 5.Metaph.1. 6.Metaph.1. 6.Ethic.2.* & alibi. (6.) Logica non potest referri ad aliquem habitum mentis. Ergò non est pars Philosophiæ. *Respondeo:* Negatur Antecedens. Logica sanè ars est, quia efficit opus, ut dictum est suprà *cap.1.dist.5.*

V. Instat *Keckermannus*: (1.) Non est aptum simile, neque enim manus est instrumentum ejus, cujus pars est. Est animæ instrumentum, pars verò corporis. (2.) Aliud est pars per se, aliud est pars per accidens. Manus non est pars fabri per se, quà faber est, ita enim soli fabri haberent manus, sed quatenus faber est corpore præditus. (3.) Logica est quidem pars Philosophi, non tamen est Pars Philosophiæ, uti manus est pars fabri, sed non est pars fabrilis artis. *Respondeo*: (1.) Manus est instrumentum, est

quoque pars, non solius animæ, non solius corporis, verùm corporis animati, id est, hominis. Et verum hoc est de omnibus instrumentis conjunctis, quod insimul pars sint: Instrumenta separata non sunt pars, quomodo acus non est pars sutoris, licèt instrumentum ejus sit. (2.) Manus per se pars fabri sunt, quatenus ille homo est perfectus, & verò absque illis cum esset, mutilus certè esset. (3.) Logica omninò est pars Philosophiæ, quia est instrumentum conjunctum, de cujus ratione est, partem esse ejus, cujus instrumentum pariter est, uti exempla superius prolata monstrant.

VI. *Speculativa est, quæ cognoscit res.*] Ejus species sunt quatuor disciplinæ: Metaphysica est scientia entis quà ens est: Pneumatica est scientia spiritus: Physica est scientia corporis naturalis: Mathematica est scientia quantitatis.

VII. *Activa est, quæ agit honesta.*] Ejus species sunt quatuor disciplinæ: Ethica est prudentia benè informandi mores: Politica est prudentia benè regendi civitatem: Oeconomica est prudentia benè regendi domum: Historica est prudentia benè annotandi eventa populi. Quæritur: *An hæc divisio sit generis in species, an verò sit totius in partes? Respondeo:* Posterius affirmant F. Piccol. *Introduct. ad gradus civiles c.* 8. Balth. Cellarius *lib.* 1. *Institut. Politic. cap.* 1. *dist.* 14. & 15. J. Gutkius *Disputat. Ethic.* 1. *quæst.* 1. Jac. Martini *Exercitat. Metaph. lib.* 1. *Exercit.* 1. *theor.* 4. & *disput.* 1. *Eudæmonolog. quæst.* 1. Joh. Scharffius *in præcognitis Logicis pag.* 12. Eifflerus *in prodidagmatis Philos. Practicæ artic.* 6. *quæst.* 2. Velstenius *Disput. Ethic.* 1. *num.* 9 10 *seq.* Hunnichius *Disputat. Ethic.* 1. *q.* 3. Argumentantur: Ubicunque est objectum idem quà materiale & formale consideratum, ibi est disciplina una, & non diversa. Atqui in Ethicis, Politicis, Oeconomicis est objectum tale. Ergò. Minor probatur: Est idem materiale, *actiones morales*, estque idem formale, *ut honestas inducatur*, vel apud omnes, quod Ethicæ officium est, vel apud aliquos, quod Politica & Oeconomica præstant. Verùm nos affirmamus prius, & pro sententia nostra inferimus: Ubicunque est objectum diversum quà materiale & formale consideratum, ibi est disciplina alia atque alia, non verò una. Atqui in Ethicis, Politicis, Oeconomicis est objectum diversum quà materiale & formale consideratum. Ergò. Minor probatur: Ethica de *omnium hominum* actionibus præcepta tradit in vita communi utilia. Politica describit *actiones civium*, ut legum præscriptis conformentur. Oeconomica describit *actiones familiarum*, ut domi suæ agat quisque ea, quæ oportet agere. Contraria ratio facilè solvitur. (1.) Negatur, quòd sit objectum idem, nec enim est formale unum atque idem, non sunt eadem instrumenta, non est finis idem. (2.) Negatur, quòd non sit diversitas realis, ubi causæ proximæ sunt diversæ realiter, patetque ex illis, quæ diximus suprà *cap.* 1. *dist.* 9. 10. 11.

CAPUT TERTIUM.

De statu Civitatis.

SUMMARIA.

1. *Definitio Politicæ.*
2. *Divisio Politicæ.*

3. *Definitio Civitatis.*
4. *Efficiens civitatis Deus.*
5. *Refellitur Hobbesius.*
6. *Refellitur status naturalis.*
7. *Causa instrumentalis civitatis.*
8. *Ostenditur, quod Moses fuerit heros.*
9. *Dantur Angeli tutelares.*
10. *Solvuntur contrariæ rationes.*
11. *An civitates principium violentum habuerint?*
12. *An in statu integritatis fuissent civitates?*
13. *Materia civitatis.*
14. *Forma civitatis.*
15. *Finis civitatis.*
16. *Definitio vici.*
17. *Definitio pagi.*
18. *Definitio urbis.*
19. *Defenduntur mœnia.*
20. *Pœnorum destructio.*

I. POlitica est prudentia benè regendi civitatem] Ratio: Habitus cum recta ratione activus est prudentia. Atqui Politica est habitus cum recta ratione activus. Ergò: Major est apud Aristotelem *lib. 6. Ethic.* 4. Minor constat: Politicæ præcepta sunt conclusiones à recta ratione derivatæ & verò diriguntur ad actionem. Neque enim ille Politicus est, qui de civitatis statu potest multa sive utiliter sive inutiliter differere, verùm ille demum Politicus est, qui civitatem secundùm leges regere, & in civitate ad legum normam sese modis omnibus componere potest, 1. *Ethic.* 3.

II. *Ejus partes sunt duæ, Communis & Propria. Communis est, quæ de civitatis statu in genere agit.*] Divisio sumpta est ab Objecto.

III. *Civitas est cœtus hominum legibus adstrictorum ob salutem publicam.*] Definitionem reprehendunt Arnisæus *lib. 1. Doctrinæ Politicæ cap. 7. & lib. 2. Relect. Politic. cap. 1. sect. 1.* Balth. Cellarius *lib. 2. Institut. Politicar. cap. 1. distinct. 7 8.* Jac. Martini *lib. 1. Institut. Politicar. pag. 204. 205.* Rationem adferunt: Cœtus licèt sit materia civitatis, non tamen genus in definitione ejus esse potest, quippe quod à forma petendum est, nimirum ab ordine, per quem cives invicem componuntur, ut feliciter vivant. Sic illi. *Respondeo*: Lædunt illi commune Logicorum Decretum, quo jubetur definitionis genus à materia accipi, & differentia peti à forma, Zabarella *lib. 1. de proposit. necessar. cap 9.* Toletus *Commentarius ad Organon fol. 49.* Andreas Planerus *part. 1. quæst. dialect. pag. 146. seqq.* Atqui civitatis materia est multitudo, quam vocamus *cœtum*, itaque rectè ponitur generis vice, & differentiæ loco additur, *legibus adstrictorum*, unde est ordo ille, quem civitatis formam formam constituimus. Hæc ipsa ut magis explicentur, de causis Civitatis ordine agi debet. *Efficiens est vel principalis vel instrumentalis. Principalis est natura.*] Hæc unius Dei imp[illegible]io obnoxia fecit hominem ζῶον κοινωνικὸν καὶ πολιτικὸν, dicente Philosopho, 1. *Politic.* 2. 3. *Polit.* 4. quod prolixè interpretatur Ad. Conzenus *lib. 1. doctrinæ civilis cap 5. 6. seq.* Nimirum, ut vellet homo propter res animi corporisque gerendas cum homine vivere, *quando nemo est, cui non sit sanctius esse cum quolibet, quàm secum*

cum, uti ait Seneca Epist. 91. Scribit *Tholosanus*: Errant Diodorus Siculus, Vitruvius, Thucydides, qui affirmant, homines primùm more ferarum vitam degisse in Sylvis, & in montibus oberravisse, donec à quibusdam in cœtum civilem inducerentur, *lib.* 1. *de Republica cap.* 2. *dist.* 6. Verùm loquuntur Autores isti de hominum manipulis, qui in discessu à majori cœtu, ad loca inculta abiverunt, mox consuetudine victi, perduraverunt cum paucis, quia cum plurimis esse nolebant, & retinendæ libertatem naturalem, sine cœtu, sine legibus veluti erant, quales fuerunt populi multi in America, priusquam veniebant eò Hispani, & hodiè sunt Lapponi, Samojedi, Tingoësii in Borea, Guineenses in Africa.

IV. Deum igitur verè Causam principalem appellamus, qui primus hominem fecit Naturæ Dominum penes se futurum, cui lucerent sidera, elementa inservirent, animantia parerent, *Gen.* 1. 1. *seqq. cap.* 2. 18. *Psalm.* 8. 1. 2. *seq. Psalm.* 104. 1. 2. *seqq.* Solam Naturam ita adstruere velle, ut removeas Deum, insania est, quam tamen profitetur Julius Cæsar Vaninius *libro de admirandis naturæ arcanis pag.* 340. *seqq.* & mirum insuper, quòd hæreticorum stolidissimus ob id supplicio ignis Tholosæ perire maluerit, quàm fateri, Deum esse authorem Naturæ, & suprà naturam, Causam sine causa, quod prolixè narrat Barthol. Gramondus *lib.* 8. *Historiæ Gallicæ.* Veterum quorundam, apud quos Hebræorum libri non erant satis noti, opinio fuit, mundum casu, homines perinde & animantia Naturę vegetantis beneficio exstitisse, quos Deus nullus ad imaginem sui formare noverat. Horatius.

Cùm prorepserunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus.

Et pauló post:

Donec verba, quibus voces sensusq; notarent
Nominaq; invenere.

lib. 1. Satyra 3. Nimirum qui veritatem ignorabat, falsa Epicuri dictata profert, hominem è terra prorepsisse, mutum, turpem, citrà sermonis usum, sine civili cultu! Atqui nos ex literis sacris novimus, hominem Dei manibus formatum, ratione præditum, sermonis genere, quòd post diluvii Noëtici tempus in usu esse desiit, instructum, corpore atque animo elegantem, societatis ordinatæ cupidum. Non dissimiliter Vitruvius: Homines veteri more ut feræ in silvis & speluncis nascebantur, ciboque agresti vescendo vitam exigebant. Intereà quodam in loco à tempestatibus & ventis densæ crebritatibus arbores agitatæ, & inter se terentes ramos, ignem excitaverunt, ex ea flamma vehemente perterriti, qui circa eum locum fuerunt, sunt fugati, posteà re quietâ, propius accedentes, cùm animadvertissent, commoditatem esse magnam corporibus, ad ignis teporem ligna adjiciebant, eumque conservando alios adducebant, & nutu monstrantes ostendebant, quas haberent ex eo utilitates. In eo hominum congressu cùm profundebantur aliter è spiritu voces, quotidianâ consuetudine vocabula, ut obtigerant, constituerunt, deinceps significantes res sæpius in usu, ex eventu fari fortuitò ceperunt, sermonesq; procreaverunt, *lib.* 2. *cap.* 1. Quæ prorsus frivola sunt, quamvis valdè placeant, Johanni Marianæ *lib.* 1. *de Regis institutione cap.* 1. homines cum

cum primo ortu suo melius ceperunt esse quàm feræ, & Deo vires suggerente, vitæ suæ adminicula feliciter informaverunt, *Genes.*2.15.*cap.*3.17.18.21,23. Et quis ille spiritus est, à quo sunt voces, non unius populi, sed multorum populorum? Deus, inquam, est, qui consilio hominem formavit, & vocibus instruxit articulatis, uti docet Plato *in Cratylo.* Non ergò temerè sunt inventa, quæ hominis sunt, multò minus homo ipse casu exstitit.

V. Natura Dei vices in producendo homine, eodemque conservando sustinet, quod negat Thomas Hobbes *libro de Cive, cap.*1.*dist.*2.*seq.* Verba ejus sunt: Hominem esse animal aptum natum ad societatem, axioma est à plurimis receptum, sed falsum, errorque à nimis levi naturæ humanæ consideratione profectus est. Sic ille. Falsò vocat errorem, quòd homo naturâ sit animal sociale, quando ipse Deus hominum animis indidit, ut multiplicando sese terram implerent, *Gen.*1.28. Atqui nec multiplicatio esse, nec terra occupari commodè potest, nisi intendatur societas, velut ob quam ista fiant, quæque sola justam occupationem & viciniam honestam facit. Instat *Hobbes*: (1.) Si homo hominem amat naturaliter, quare homo amat magis hunc hominem, quàm illum? quare maximè amamus eos, qui nobis honorem & commoda deferunt, non alios? *Respondeo*: Quòd homo amat hominem, est à natura instituta, quòd verò hunc magis amat quàm illum, est à natura destituta, quæ propter comitem indigentiam efficit, ut maximè amemus eos, à quibus honos & commoda nobis præstantur, nec tamen odio habeamus alios, quorum commodis non fruimur. (2.) Homo infans nascitur, qui ad societatem est ineptus, plurimi etiam vel morbo animi, vel defectu disciplinæ, per omnem vitam inepti manent, ad societatem ineundam. *Respondeo*: Notitiæ naturales insunt quidem homini tunc cùm nascitur, & tamen haut exercere potis est, nisi cùm accedit ætas confirmata. Adeoque si isto argumentandi genere pergat uti Hobbes, facilè omnia detrahet homini, quæcunque humanæ naturæ propria sunt, & suo tempore demum, non statim ubi infans natus est, in actum prodeunt.

VI. Malè quoque Hobbes *l.d.dist.*4 5.6. 7.8.9.10. describit statum merè naturalem. Qualis status cùm esset, non esset homine dignus, sed bestiis aptus solùm, quarum conditio necessariò est absque ratione. Nam ut quidvis cuivis licet agere, appetere, possidere, nulla est ratio, nulla est natura integritatis suæ memor, quæ ita dictitet. Naturæ depravatæ experimenta ista esse possunt, non verò dictata rationis rectæ. Quæ eo ipso, quòd societatem appetit, ordinis societatem appetit, à quo licentia hujusmodi ad motus inordinatos præcluditur. Namque cùm indigentia cepit in orbe esse, Natura haut quidem libertatem, quæ omne imperium aspernatur, sed potius imperium in omni societate esse debere, dictitat. Suprà statum illum, qui indigentiam implicat, non ascendit ratio humana. Quæ enim de seculo aureo dicuntur, imitantur magis ea, quæ olim fuerunt, ac ut ea sint verè & perfectè. Dicit *Hobbes*: Ad societatem ergò homo aptus, non naturâ sed disciplina factus est. *Respondeo*: Conjungi debent natura appetens, indigentia invitans, justitia ordinans quomodo in infante, ut fandi potens sit conjungi debent natura impellens, indi-

gentia promovens, conversatio vocabula dictitans.

VII. *Instrumentalis sunt Heroës.*] Ita vocat Aristoteles 3. *Politic.* 12. Scilicet, qui instinctu Numinis vel Imperia nova condere, vel aliorum furore eversa restaurare voluerunt. Quanquam enim humana sapientia in his aliquid potest, & fortitudo ei juncta multum juvet, tamen si rectè consideretur multitudo malorum hominum, & quæ per occasionem nocere possunt, non videtur Imperium aliquod magnum institui facilè posse, nisi peculiari quadam Numinis curâ, quæ evidentius etiam spectatur, ubi Deo visum est mutare Imperia. Nam quibus ille tunc ad eam rem, velut sibi destinatam, instrumentis utitur, his omnia etiam quæ ab humana prudentia non pendent, fluunt suprà votum, magis quàm fert solita humanis casibus varietas. Tales fuerunt Nimrodus Babyloniorum, Cyrus Persarum, Alexander Magnus Græcorum, Julius Cæsar Romanorum, Carolus Magnus Francorum, Gustavus Suecorum, Gingis-Chan Tartarorum, Ottomannus Turcorum Reges, de quibus omnibus dixi in Recensu Historiæ Universalis *Tom.* 1. *lib.* 1. *cap.*1. *dist.* 3. *lib.*2. *cap.*1. *dist.*1. *lib.*3. *cap.*1. *dist.* 1. *lib.* 4. *cap.* 3. *dist.* 13. *lib.* 9. *cap.*1. *dist.*1. *lib.* 16. *cap.* 1. *dist.*8. & *Tom.*2. *lib.*20. *cap.*1. *dist.* 1. *seqq. cap.* 2. *dist.* 1. Eis persimiles fuerunt Namcan Sinensium, Mantapacutus Peruanorum, Chichimecæ Mexicanorum Reges, qui in populis illis florentissima imperia condiderunt primi, seque proptereà filios Solis, qui Deorum maximi cultum apud eos fortitus est, appellabant, uti ex Inca Garcilasso, Herrera, Acosta refert Johannes de Laet *Dissertatione de Origine Americanorum.* Itaque & illos sub vitæ auspicio voluit sæpè Deus commendare insignito aliquo charactere, uti de Gustavo I. Suediæ Rege commemorat Johannes Loccenius, recens nati caput naturali pileo, & pectus rubrâ cruce exornatum fuisse, *lib.* 6. *historiæ.* Talis quoque fuit Moses Ebræus, qui populum illum tyrannide Ægyptiorum oppressum eduxit, & virtute excelsa promovit liberationis opus, unus ipse in populum universum dominator hactenus, donec in deserto missionem causariam peteret, nec tamen impetrabat, itaque pro labore minuendo ordinavit Parlamentum coram quo decidebantur privatæ lites, ipse verò publica jura curavit, *Exod.*18.19. *Numer.*11.16. Tostadus *in librum Numerorum quæst.* 24. Menochius *lib.* 1. *de Republica Hebræorum cap.* 1. *quæst.* 4. Petrus Cunæus *lib.* 1. *de Republica Hebræorum cap.* 12. Eum falsò numerari inter eos viros, qui novos Principatus condiderunt adversus Machiavellum pertendit Hermannus Conringius, *Animadversionibus in Principem pag.* 70. 71. 72. Rationes adfert: (1.) Quia Moses nihil egit consilio suo, verùm omnia inquisivit apud Deum, qui solus erat novæ istius Reipublicæ autor, ejusque internuncius fuit Moses. (2.) Quia dubitare liceat, an prudentiam civilem habuerit Moses. Et verò si non habuit, tantò major erit Dei gloria, qui Rex fuit populi. (3.) Quia ad modum istum Christus usus fuit rudibus omninò hominibus in procurando cœlesti regno. Sic ille. *Respondeo:* (1.) Nequaquam sine Deo ejusque consilio singulari egerunt Heroës alii, itaque de Nimrodo ait Moses, fuisse venatorem fortem coram Domino, *Genes.*

*Genes.*10.9. De Nebucadnesare testantur sacræ literæ, quòd Deus ipsi victorias multiplices adversus populos vicinos dederit, *Jerem.*25.9.*seqq.* *Dan.*2.37.38. neque aliter est de Cyro Persiæ Rege, *Esdræ* 1. 2. *Esaiæ* 45. 1. 2. 3. adeoque Deus uti autor erat, ita procuratorem sibi delegit Mosem egregiis animi dotibus instructum, Regii animi virum, Reguli generum, *Exod.*2.1. *seqq.* Sic verò Dei internuncius erat, ut insimul populi sui Rex esset, *Deut.*33.5. (2.) Quòd prudentiam negocio tanto parem habuerit, constat ex illis quæ Stephanus dicit, *Actor.*7.22. Validissimum omninò testimonium est de Mosis virtutibus, quas porrò Deus singulari instinctu augere voluit, quomodo Saulum, Davidem, Salomonem Reges illustres fecit, conservando animi virtutes, quas ex sese illi habebant, 1. *Samuel.*9.1. *cap.*16.12. atque novas addendo, 1. *Samuel* 10.6. 1.*Regum*3.12. ut eò firmiores ac prosperiores in rebus gerendis essent. (3.) Non omnes perinde Apostoli rudes erant, & quod de Saule Rege dictum est, in alium virum mutatum esse, tunc cùm Deus admovit eum imperio, 1.*Samuel.*10.6. ita etiam Apostolis evenit, *Actor.*2.1.2.*seqq.* De Paulo Apostolorum maximo, constat, literis bonis optimè instructum fuisse, *Act.* 22.3.

VIII. Cæterùm de Mose audiamus Strabonem: Moses, *ait*, unus ex Ægyptiis Sacerdotibus, cùm partem quandam Regionis obtineret, ac molestè ferret Ægyptiorum instituta, hinc in Judæam abiit. Discesserunt cum eo multi, quibus divina curæ erant. Docebant enim, quomodo Ægyptii non rectè sentirent, qui ferarum ac pecorum imagines Deo tribuerent, nec Græci, qui Deos hominum figuris insignirent. Et quòd id solùm Deus esset, quod nos cunctos, terramque ac mare contineret, quod Cœlum dicimus ac mundum, rerumque Naturam. Cujus profectò imaginem nemo sanæ mentis, nostræ similem auderet effingere, oportere igitur omnium simulachrorum effigie remotâ, ac digno ei templo erecto, coli, *lib.*6.*Geograph.* Dicit, Mosen fuisse de Sacerdotibus Ægyptiis, id est, virum sapientem in ista gente, quòd percepisset artes & scientias omnes in eorum Scholis tradi consuetas, ἐπαιδεύθη πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, *Actor.*7 22. Ita sumitur כהנים *Genes.*47.29. Eæ artes fuerunt Geometria, Astronomia, Physica, Politica, Hieroglyphica, *Esaiæ* 19.11.12. Herodotus *in Euterpe*, Diodorus Siculus *lib.* 2. Laertius *Proemio de vitis Philosophorum*, Philo *lib.* 1. *de vita Mosis*, Clemens Alexandrinus *lib.*5.*Stromatum.* Ad Mosen quoque pertinent illa, quæ scribit Trebellius Pollion *in vita Flavii Claudii*: Doctissimi Mathematicorum centum & viginti annos homini ad vivendum datos, indicant, neque cuipiam jactitant amplius concessum esse, etiam illud addentes, Dei, ut Judæorum libri loquuntur, familiarem centum & viginti quinque annis vixisse. Qui cùm quereretur, quòd juvenis obiret, responsum ei ab incerto ferunt Numine, neminem plus esse victurum. *Sic ille.* Verè, ait, in Judæorum libris, id est, in literis sacris Mosen, ut Dei familiarem commemorari. Locutus est enim Deus ei ore ad os, velut amicus amico, *Numer.* 12.8. Annorum vitæ numerus congruit, nisi quòd errore adjiciat *quinque*, 1. *Deut.*34

scriptionibus, quas refert Janus Gruterus in Volumine *pag.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. De Alexandro Rege Curtius: Patrio more sacrificium Diis præsidibus loci fecit, *lib.* 3. *histor. cap.* 15. Eos credebant Gentis, urbis, coloniæ suæ tutelam constanter obire, ut hostium armis everti non possent illæ, antequam Numina tutelaria vel sponte migrarent, hominum mores aversati, vel solenniter per Magos carminibus recitatis evocarentur. Exemplo sunt apud *Livium*, Fregelli, Stonii, Gabii, Veji, Fidenates Italiæ populi; deinceps in bellis Punicis, Gallicis, Hispanicis, Numidicis, Achaicis, usu quoque venit. Evocationis formulam habes apud Macrobium *lib.* 3. *Saturnal cap.* 10. Plinium *lib* 28. *histor. natur. cap.* 2. Robertum Valturium *lib.* 6. *de re militari cap.* 6. Brissonium *lib.* 1. *de Formulis populi Romani pag.* 63. 64. Verba Ulpiani sunt: Solent, qui liberare locum religione volunt, sacra inde evocare, *lib.* 8. *dist.* 2. *de rer. divis. l.* 1. *D.* Ad evocationem Deorum tutelarium pertinet, ut monet D. Gothofredus *in Notis pag.* 23. Romani verò Genium urbis suæ arcanum habuerunt, ejusque effigiem quidem nummis imprimebant, ut staret ante aras cum cornu copiæ & patera sacrificiali, Ant. Augustinus *Tab.* 28. *num.* 4. Joh. Tristanus *Commentariis de Imperio Romano*, *Tom.* 1. *pag.* 570. *Tom.* 3. *pag.* 358, 392. Sed tamen ejus nomen, sacra, cultumque proprium paucis sacrorum Doctoribus indicando communicaverunt, ne hostes tentarent adversus illos, quod ipsi cum successu adversus hostium sese fecisse noverant. *Servius* refert: Verum nomen ejus numinis, quòd urbi Romæ præesset, sciri sacrorum lege prohibetur, quod ausus quidam Tribunus plebis enunciare, in crucem levatus est, *notis ad lib.* 1. *Georg. pag.* 89. Inscriptio *Romana*: Seculo. felici. Philias. sacerdos. Isidi. salutaris. consecratio. Pontificis. votis. annuant. Dii. Romanæ. Reipublicæ. arcanaque. urbis. præsidia. annuant. quorum. nutu. Romano. Imperio. regna. cessere. Gruterus *in Volumine pag.* 83. *num.* 15. Arcana urbis præsidia sunt Dii tutelares, quorum propria nomina ignota esse volebant. Huc spectant gesta Bileami vatis cum Balako Rege adversus Hebræos, à quibus soli timebant Moabitæ, sed tamen vinci posse censebant, postquam Dei Tutelaris patrocinium excantavisset Magus, *Num.* 22. 5. *seq.* Et quidem Deus ipse populo isti favore aliquo eminenti præerat semper, adeoque ὁ λόγος aderat in columna nubis, protector gentis, *Exod.* 14. 19. 24. *cap.* 2. 3. 20. 21. 22. 23. donec improbitate gentis commotus, pari cum aliis sorte eos reputare, & Genium quendam cum minori potentia eis præficere vellet, *Exod.* 33. 1. 2. 3. verùm precibus Mosis victus, perseveravit ipse in custodia populi, *Exod.* 33. 13. 14. 15. 16. adeoque ipse provocatus à Mago occurrebat, sed incantamentis ejus nolebat vinci, *Num.* 22. 8. *seqq.* Quod cùm non satis perpenderent Victorinus Strigelius *Notis ad Novum Testamentum*, *pag.* 528. Joh. Gerhardi *Commentariis ad Epistolas Petri pag.* 285. Rod. Gualtheri *Commentariis ad Epistolas Petri fol.* 136. falsò illi contendunt, Bileamum ariolum fuisse veri Dei Prophetam, quod rectè confutat Franciscus Junius *Tom.* 1. *Oper. Theolog. pag.* 467. & adde nostrum Recensum Antiquitatum Romanarum *lib* 4. *pag.* 692. *seq.*

X. Cæterùm τοῦ λόγου delegatus erat Angelus Michaël, curator Hebræorum, postquam illi ceperant Palæstinam habitare,

Dan. 10. 21. *cap.* 12. 1. Excipiunt Gesnerus & Polanus *Commentario h.l.* Michaël iste ὁ λόγος est, dominus piorum in Veteri pariter ac Novo Testamento, *Esa.* 63. 9 *Apoc.* 12. 7. Respondeo: Non est ὁ λόγος, uti patet, quia Angelorum ordini expressè adscribitur, atque ipse jurat per viventem in secula, *Dan.* 10. 13. *cap.* 12. 7. Jurat per Deum, igitur Deus non erat. Esaias loquitur de eminenti præsentia τοῦ λόγου in deserto, quam concedimus. Apocalypsis ostendit figuratum aliquid, & Servatoris præsentiam gratiosam in Ecclesia describit, quam perinde concedimes. Quòd aliis populis quoque adstent Rectores Angeli, constat ex *Dan.* 10. 13. 20. *cap.* 12. 5. ubi nominantur Principes, id est, Angeli præsides Græcorum & Persarum. Excipit *Gesnerus*: Negatur, quòd Principes illi Græciæ & Persiæ sint Angeli boni. Rationes sunt: (1.) Quia cum Angelo Judæorum procuratore bono citrà dubium, lites agitant. Atqui de Angelis bonis certum est, efficere illos quod voluntatis divinæ est, *Psalm.* 103. 20. 21. *Matth.* 6. 10. Quomodo igitur Angeli boni Persarum & Græcorum præfecti, quos non latebat consilium Dei, restituendos videlicet esse Hebræos in patriam suam, Deo & Michaëli repugnassent? Certum igitur est, quòd fuerit Angelus malus in Persarum & Græcorum aulis, potentiæ summæ, qui uterque impedire voluit instantem Hebræorum missionem, apud Senatores regni pessimis inspirationibus usus, quòd ægrè ferret, Religionis veræ exercitium publicum in ordinaria sede restaurandum esse. (2.) Invalidus est Angelus malus præ bono, quomodo igitur putes hunc ab illo profligatum esse, ut opus fuerit Michaëlis auxilio, *Dan.* 10. 13. Sic ille, & cum illo Bullingerus, Franciscus Junius, Polanus *Commentariis ad h.l.* Respondeo: (1.) Sunt lites inde, quia non habent æqualem revelationem, à qua in solidum dependet scientia ipsorum de rebus futuris, pari ferè modo, uti Prophetis olim accidit, 1. *Sam.* 16. 6. *seq.* 2. *Sam.* 7. 3. 4. 5. Et de Apostolis notum est, quòd ob revelationem diversam non eandem foverint sententiam pro eadem opinione. Paulus excelluit præ aliis, majorique lumine perfusus intellexit melius ea, quæ ad regimen Ecclesiæ pertinebant, quàm alii, licèt eodem spiritu fruerentur, eundemque magistrum, Christum, haberent. Non aliter cum Angelis est, quos diversis studiis ferri ob revelationes non satis accuratè perceptas, verosimile est. Rediguntur verò in concordiam per eventum supremum. (2.) Neque malus Angelus erat, quia etiam apud Barbaros rebus gerendis intersunt Angeli boni, Deo ita clementer procurante, ut Imperia conserventur adversus dæmonum artes fraudesve. *Num.* 14. 9 (3.) Poterat esse, ut Angeli unius suggestiones magis valerent præ alterius, itaque alter inferior viribus, novas vires acquisivit, præsentiâ Michaëlis erectus, & rerum successu gavisus, quem Deus arbiter istarum summus addebat.

IX. Quæritur: (2.) *An civitates habuerint principium violentum?* Respondeo: Affirmant Joh. Bodinus *lib.* 1. *de Republ. cap.* 6. Fridericus Tilemannus *part.* 1. *Collegii ad Pandectas, Disput.* 1 *num.* 2. 3 Richardus Zochæus *in Jure feciali part.* 1. *sect.* 7 *n.* 1. Nos verò negamus. Rationes sunt: (1.) Quicquid habet auspicem Naturam, illud non est violentum. Atqui civitates habent auspicem Naturam. Ergò. (2.) Quicquid à providen-

tiæ divinæ instinctu est, illud non est violentum. Atqui Civitates & Imperia condere, est à providentiæ divinæ instinctu. Ergò. *Bodinus* excipit: (1.) Antequam Respublica ulla existeret, quilibet herus potestatem vitæ necisque in domesticos suos habebat, postmodùm avaritia & imperandi cupiditas arma concitaverunt, bellorum exitus victores in eminentia posuit, victos servire fecit, inde naturalis libertas sublata est, Principum, subditorum, sociorum, servorum, civium, peregrinorum origo exstitit. *Respondeo*: Imperium illud herile fuit paucorum fortè, & si aliqui vellent ad venatum more per vicinas gentes oberrare, exemplo Abrahami Chaldæi, qui servos multos domi suæ habebat, paterfamilias amplissimus, & apud Phœnices incola, Gen. 23. 4. 5. 6. Plurimorum non fuit, quando notissimum est, civitates & civium jura ab ipso Deo sancita esse, tunc cùm Leges populorum omnium communes promulgabat, & judicia publica ordinabat, *Genes. 9. 6.* Porrò, neque vis, neque cupiditas fuerunt causæ impulsivæ, quamobrem civitates statuerentur, sed causa hujus fuit Justitia communis, quatenus alter in alterius vitam opesque summa cum injuria involabat, & boni patiebantur malorum invasiones. Proinde consilium ceperunt boni, & Principem sibi imposuerunt, quem vitæ opumque suarum protectorem haberent adversus malos. Malos verò adducere severioribus mediis, ut velint jus reddere, bonum est, malum non est. (2.) Testantur *Plutarchus, Cæsar, Thucydides*, quòd primum illud hominum genus solitum fuerit spoliare obvios, occidere, in servitutem rapere. *Resp.* Imò hæc quasi causa impulsiva erat, ut vellent Imperia condere, quicunque populi invasiones aliorum impunè hactenus patiebantur. Negari enim haut debet, inolevisse apud gentes aliquas novorum agrorum habitatores, mores pravos, ut cupiendo utilia, non viderent ea, quæ honesta sunt, itaque ubi Justitia desinebat, ibi Judicia incipiebant. (3.) Nimrod fuit primus, qui homines violenter subegit, & dominatum in Assyria posuit, unde *venator robustus* nominatur, *Gen.* 10. 9. scilicet propter crudelitatem, uti exponit Philo. *Resp.* A Nimrodo velut primo Rege in populis illis, à quibus alii velut coloniæ exiverunt, derivant Reges omnes jura sua, & meritò quidem. Dicitur fuisse *venator fortis*, sensu non malo: Homines sine legibus & sedibus certis vagantes in cœtus justos collegit, legibusque circumscripsit, quomodo venator feras palantes persequitur, & cassibus irretitas edomat, ne pergant vagari, & sive hominibus, sive animalibus cicuribus damna inferre, uti hactenus. Hinc additur, *coram Domino*, id est, Domino favente & juvante eum, uti exponit Chrysostomus *Serm. 29. in Genes.* Pertinet huc quod *Cicero* scribit: Mihi quoque non apud Medos solùm, uti Herodotus scribit, sed & majores nostros justitiæ fruendæ causa videntur olim benè morati Reges constituti. Cùm premeretur initio multitudo ab iis, qui majores opes habebant, ad unum aliquem confugiebāt virtute præstantem, qui cùm prohiberet ab injuria tenuiores, æquitate constituenda summos cum infimis pari jure retinebat, *lib. 1. Offic.* (4.) Primas civitates & imperia ante Abrahamum plenas servitiorum fuisse videmus. Libertas verò non nisi violenter eripi potest. *Respondeo*: Servitia illa aut spontanea fuerunt, eorum, qui rebus domi angustis

coacti

coacti in aliorum poteſtatem conceſſerunt, victum & amictum operis quotidianis lucraturi: aut coacta, eorum, qui ob malefacta in poteſtatem redacti, culpâ ſuâ libertatem exuerunt. Neutra ſervitus eſt *contrà* naturam, uti illa ſeſe poſt lapſum habet, quanquam ſit *præter* naturam, uti illa Deum auctorem primum habuit. De qua re monebimus *infrà lib. 2. cap. 12. diſt. 28. 29.*

XII. Quæritur: (3.) *An in ſtatu naturæ inſtitutæ fuiſſent civitates?* Reſpondeo: Affirmat Thomas *part. 1. Summæ Theologicæ quæſt. 69. art. 3. ſeq.* Danæus *lib. 1. Polit. Chriſt. cap. 4.* Keckermannus *diſput. 29. quæſt. 3.* Timplerus *lib. 1. Syſt. Polit. cap. 3. quæſt. 10.* Henonius *Diſput. Polit. 1. diſt. 7.* Arminius *Diſputat. Theolog. 25. diſt. 8.* Joh. Gerhardi *Loco de Magiſtratu Politico diſt. 26.* Chriſt. Beſoldus *in Præcognitis Politicis cap. 5. diſt. 1. ſeqq.* Rectius negant Auguſtinus *lib. 14. de Civitate Dei cap. 15.* Joh. Driedo *libro de Libertate Chriſtiana*, Martha Neapolitanus *part. 1. de Juriſdictione cap. 1. num. 15.* Argumenta ſunt iſta: (1.) Sublatâ cauſâ tollitur effectus. Atqui in ſtatu naturæ inſtitutæ nulla erat juriſdictio. Ergò etiam non erat magiſtratus. Minor conſtat: Non erat opus ut punirentur delicta publica, quæ in iſta mentis rectitudine voluntatiſque noſtræ ſumma bonitate, nulla prorſus futura erant. Neque opus erat, ut lites dirimerentur, ut contradictiones de poſſeſſionibus, limitibus, commerciis, contractibus proponerentur, ſine quibus omnibus futurum erat genus humanum in ſtatu Innocentiæ. (2.) Ubi omnia communia & cum æquali conditione futura erant, ibi non erat locus civitati. Atqui in ſtatu Innocentiæ omnia communia & cum æquali conditione futura erant. Ergò. Proinde *Ovidius* de ſeculo aureo ſcribit:

> Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo,
> Sponte ſuâ, ſine lege fidem rectumque colebat,
> Pœna metuſque aberant, nec vincla minantia fixo
> Ære ligabantur, nec ſupplex turba timebat
> Judicis ora ſui, ſed erant ſine judice tuti.

lib. 1. Metamorph. Excipiunt Timplerus & Arminius: (1.) Propagaviſſet homo familias ſuas per orbem totum, & verò familiæ iſtæ non potuiſſent commodè invicem vitam civilem agere, niſi fuiſſet ordo ſuperiorum & inferiorum. *Reſpondeo:* Ordo erat, quatenus omnes æquali conditione vitam agebant. Erant civiles ſocietates diſtinctæ loco & numero, cæterùm jus proprietatis nemo ſibi arrogaviſſet. (2.) Deus non reliquiſſet per ſe homines, itaque magiſtratus neceſſariò fuiſſet ex hominibus conſtitutus. *Reſpondeo:* Imò Deus tunc fuiſſet unus Dominus omnium, præſens omnibus, quomodò etiam longo deinde tempore apud homines primos converſabatur. (3.) Opus erat magiſtratu, ut quilibet admoneretur de officio ſuo rectè gerendo, itaque Deus etiam Leges dedit in ſtatu illo. *Reſpondeo:* Natura quemlibet docuiſſet agere ea, quæ bona ſunt, & verò Leges illæ quas Deus imponebat Adamo, non erant latæ de iſtis, quæ natura docere poterat, verùm de aliis quæ velut contingentia ab homine ſciri non poterant. (4.) Homo eſt naturâ animal ſociale, itaque non potuiſſet eſſe abſque civitatibus. *Reſpondeo:* Civitatis inſtar erat, invicem converſari ex æquo & bono, citra ju-

ris

ris positivi notitiam, quod unicum neglectum effecit deinceps ut magistratu opus esset. Atqui cùm non erat, non poterat effectus suos præstare. (5.) Civitas est bonum aliquid, ergò etiam fuisset in statu innocentiæ. *Respondeo:* Civitas quidem fuisset, non verò secundùm Leges istas, quæ nunc obtinent. Verbo: Non fuisset jurisdictio, quæ Rempublicam facit. (6.) Deus constituit matrimonium, à quo deinceps societas civilis existeret. *Respondeo:* Dictum est, aliquam civitatem futuram, sed quæ haberet incolas *ἰσονόμους*. Ubi verò non erat subjectio, ibi non poterat esse imperium. (7.) Inter bonos Angelos est ordo, itaque non fuissent homines integri sine civitatibus. *Respondeo:* Ordo est inter Angelos, qualis est inter pares. Nam qui illos dicunt esse imparis sortis, statim refellentur. Talis quoque civitas fuisset in statu innocentiæ. Regerunt: Sacræ literæ commemorant Archangelos, 1. *Thess.* 4.16. *Judæ v.* 9. i.e. 7. Angelos magnos, qui coram Deo apparent semper, *Apoc.* 1.4. necnon potestates, dominationes, virtutes, thronos, principatus in bonis perinde ac malis Angelis, *Rom.* 8.38. *Eph.* 1.21. *Col.* 1.16. Suntque isti varii ordines Angelorum, uti docent Cornelius à Lapide *Commentariis in Epistolam ad Ephesios pag.* 499. Petrus Josephi, *in Idea Theologiæ Speculativæ pag.* 312. *seqq.* Respondeo: Archangelus non est alius quàm Christus, verè princeps Angelorum, quorum etiam conditor est, *Coloss.* 1.16. Quæ in Epistola Judæ referuntur, sunt fabulæ Judaicæ, quibus nimis indulget Scriptor ille, quicunque fuerit, uti diximus *libro de Scriptura sacra, Exercitat. XXIX.* Porrò *Apoc.* 1.14. agitur de Spiritu sancto, Ecclesiæ Rectore summo, uti ostendimus in Auctariis ad Historiam Ecclesiasticam, *Diatriba VI.* Denique Paulus refert ordines tales, non quòd verè essent, sed quòd vellet receptas in Scholis Judæorum opiniones adducere, quatenus non oberant pietati. Atque non ideò peribit Scripturæ authoritas. Spiritus sanctus Apostolos & Evangelistas confirmavit in doctrina fidei morumque ad posteritatis usum describenda, in rebus cæteris, ut hominibus reliquit ea, quæ sunt hominum. De hac re ex professo agetur loco alio, *Exercitationibus sacris de Angelis*, cùm Deo juvante illas evulgabimus.

XIII. *Materia est populi ad defensionem sui multitudo sufficiens.*] Nisi enim illa adsit, facile evertitur & hostium præda est. Quanquam multitudo illa haut possit certo numero definiri, neque major vel minor turba hîc variet speciem. Dania civitas est perinde uti Hispania, quanquam illa paucas in Oceano Balthico Insulas complectatur, hæc innumeris per Europam, Asiam, Africam, Americam populis jura det. Cæterùm divisio Imperiorum quà fines, quà limites suos cepit introduci, ut rerum proprietates eò certius essent in potestate ejus qui possidet illas. *Grotius* scribit: Status iste, quo omnia erant communia, durare potuit, si aut in magna simplicitate perstitissent homines, aut vixissent inter se in mutua quadam eximia charitate. Horum alterum, communionem scilicet ex simplicitate eximia, videre licet in quibusdam Americæ populis, qui per secula multa sine incommodo in eo more perstiterunt, alterum verò, communionem nimirum ex charitate, exhibuerunt olim Esseni, deinde Christiani, qui Hierosolymis primi exstiterunt, ac

D nunc

nunc quoque non pauci qui vitam degunt asceticam. Simplicitatis, in qua primi homines conditi erant, argumentum præbuit nuditas. Erat in illis ignoratio magis vitiorum, quàm cognitio virtutis, uti de Scythis loquitur Justinus *lib.2.histor.* Negocium illis erat unicum Dei cultus, cujus symbolum fuit arbor vitæ, uti veteres Ebræi explicant. Vivebant autem facilè ex his, quæ sine industria sponte suâ terra proferebat. Verùm in vita hac simplice & innocente non perstiterunt homines, sed animum applicuerunt ad artes varias, quarum symbolum erat arbor scientiæ boni & mali, id est, earum rerum, quibus cum benè tum malè uti licet, *Eccl.*7.3. Hinc discimus, quæ fuerit causa, ob quam à primæva rerum communione discessum est, nimirum quod cùm non contenti homines vesci sponte natis, antra habitare, corpore aut nudo agere, aut corticibus arborum ferarumve pellibus vestito, vitæ genus exquisitius delegissent, industria opus fuit, quam singuli rebus singulis adhiberent. Quò minus autem fructus in commune conferrentur, primùm obstitit locorum, in quæ homines concesserunt, distantia, deinde justitiæ & amoris defectus, per quem fiebat, ut nec in labore, nec in consumptione fructuum, quæ debebat, æqualitas servaretur. Simul discimus, quomodo res in proprietatem iverint, videlicet per occupationem. Simulatque enim communio displicuit, nec instituta est divisio, censeri debet, inter omnes convenisse, ut quod quisque occupaverat, id proprium haberet. Hæc ille *lib.2. de Jure pacis & belli cap.2. dist.2.* Nos quidem concedimus, primum hominem excelluisse donis plurimis, quæ justitiæ originalis nomine celebrantur apud Theologos, eamque adversus Socinum defendimus libro de Creatione *Exercitat.*30.*dist.*1.*seqq.* Attamen non laudamus, quod (1.) Grotius vocat *simplicitatem.* Est ea potius mentis inopia quædam, adeoque in Adamo primæ integritatis compore non erat, qui omnia dona animi cum quadam excellentia habebat. (2.) Quòd *simplicitatem illam, ob quam primorum hominum vitam commendat, monstrare vult in barbaris Americæ populis.* De quorũ vita prorsus ferina, & ob id indigna, ut innocentiæ summæ exemplum veluti laudetur, dicemus plura inferius, *lib.2.cap.5.dist.*2. (3.) Quòd *simplicitatis ejus argumentum proferat nuditatem.* Hæc verò arguit puritatem affectuum, & quod corpus nullis infirmitatibus obnoxium spernebat integumentum adversus aëris cœlique inclementiam hactenus adhiberi solitum. (4.) Quòd *homines comederint ea, quæ spontè ferebat tellus.* Negatur, quòd spontè nascentia suffecerint homini primo ad victum quotidianum. Debebant hortum Edenis inhabitare & unà colere, id est, rusticas operas in eo exercendo adhibere, ut fruges ad victum sereret, meteretque, absque tamen molestia & citrà lolium permixtum, *Gen.*2.15.*cap.*3.17.18. (5.) Quòd *desciscendo à vitæ simplicitate excogitatæ fuerint variæ artes.* Atqui credendum haut est, homines primævæ integritatis retinentes otio sese dedituros fuisse, quin clariores artium optimarum scholas, inveniendo facilius, judicando sincerius, erroribus obnoxii minus, habuissent, in opificiis ad ornatum pertinentibus industrii perinde, ut impleretur votum Dei, implete terram eamque subjicite, *Gen.*1.28. (6.) Quòd *postquam com-*

munio

munio displicuit, proprietatem rerum esse voluerint per occupationem. Atqui post lapsum haud poterat esse rerum communio, quandoquidem tunc cepit esse dominium. Hoc verò non poterat esse, ubi rerum omnium communio erat. Patet expresse per ea, quæ post diluvium acciderunt in genere hominum restituto. Quæ enim tunc fuerunt hominum migrationes, à divino instinctu erant, *Gen.*11.5.6.7.8.9.*Deut.*32.8.

XIV. *Forma est populi ad certas leges obligatio.*] Leges sunt vinculum illud, quo imperantes & parentes invicem obligantur, ut omnia ritè gerantur per civitatem. Scribit *Timplerus*, consociationes latronum, Piratarum, Zingarorum, Hamaxobiorum, aliorumque de loco in locum commigrantium, non possunt dici, Rempublicam obtinere, *lib.*1.*System.Polit.cap.*1.*quæst.*9. Respondeo: De latronibus perinde uti de piratis affirmari debet, posse illos Rempublicam efficere. Olim Cretenses exercebant piraticam, hodie exercent illam Algieræ, Tuneti, Tripolis, Salæ cives per Barbariam habitantes, Dunkerkani adversus Batavos, Zelandi adversus Hispanos. Et tamen omnes illi civitates amplas incolunt, Rempublicam constituunt, magistratibus subsunt, leges formant, judicia exercent. Quanquam artes acquirendi non videntur satis licitæ esse, Thucydides *lib.*1.*histor.* Justinus *lib.*8. Strabo *lib.*11.*Geographiæ*, Florus *lib.*3.*cap.*6. Cæterùm Afri piratæ isti, quibus Barbariæ maritimus tractus parebat, tutumque receptum dabat, ut prædas à Saracenis perinde & Christianis appeterent, Solymanno Turcorum Rege authore, seque suasque naves, opes, portus donaverunt certis legibus Imperio Turcico, & vicissim à Turcis acceperunt ipsi maris imperium, classesque potentissimas, eoque factum est, ut latrocinia in Saracenos hactenus impunè facta, omitterentur deinceps, Christiani verò atrocius etiam vexarentur, magno Italiæ & Hispaniæ damno, uti diximus *lib.*20. *Historiæ universalis cap.*2.*dist.*17.18. Illi, qui olim fuerunt piratæ, Minoi Cretæ Regi ansam dederunt, ut quomodo Nimrodus latrones per Asiam majorem persecutus Regio vestigio inclaruerat, *Gen.*10.8.*seqq.* ita ipse per maria vicina oberrando, & imperium sibi vindicando, classem potentem instrueret, atque prædones armis profligaret. Jovis filius, aut saltem discipulus, itaque διὸς μεγάλου ὀαριστὴς esse dicitur apud Homerum *lib.* 18. *Odyss.* Apollodorum *lib.*3. *Bibliothecæ.* Coloniis implevit vicinas in Ægeo mari Insulas, ejectis inde Caribus, qui ab antiquo prædones erant, & maria navibus suis pervagabantur, uti refert Thucydides *l.d.* Bello in Peloponnesum translato, perdomuit Atticam, ubi hactenus degebant populi varii, infirmi viribus, suis legibus, suisque pagis vivere contenti, & qui in commune nihil adversus hostem externum consulere didicerant, tantùm quòd mari incubando, & innoxios spoliando quęstum exercebant, non sine damno hominum, qui ad Insulas commeabant annonæ gratiâ, uti prolixè referunt Diodorus Siculus *lib.*4. *historiæ cap.*7.*lib.*5. *cap.*17. Plato *in Minoe.* Aristoteles *lib.*2.*Politic.cap.*8. Plutarchus *in vita Thesei*, Ovidius *lib.*8.*Metamorph.* Herodotus *lib.*7.*histor.* Strabo *lib.*10.*Geograph.* & ex illis Claudius Morisotus *lib.*1.*de orbe maritimo cap.*1. In piratarum numero fuerunt quoque Argonautæ cum suo Principe Jasone, qui è Thessalia profecti longâ navi, & in

Ponto exscendendo, Regis Æetæ divitias rapuerunt, nomine solùm cogniti sibi, & à quo nihil injuriæ acceperant, neque enim Græcorum vanitati credendum est, qui adversus Barbaros arma ferendi jus à natura sibi datum inani prætextu jactant. Descripserunt Apollonius Græcis, & Valerius Flaccus Latinis versibus. Alios itidem populos ex rapto viventes, cùm à mari domum sese receperant, misisse ad dominos, ut rapta si vellent, æquo precio redimerent, refert Strabo *lib.* 11.*Geograph.* De Venedis Germanorum populo Tacitus libro de moribus Germanorum ait: *Quicquid inter Peucinos Fennosque silvarum ac montium erigitur, latrociniis pererrant.* De Hamaxobiis non minus verum est, quòd civitates habeant. Arabum terræ & Tattarorum hordæ amplissimæ aut paucis aut nullis urbibus gaudent, attamen territorio describuntur, quod omnibus ipsis commune est, nulli ipsorum proprium; venerantur Principes suos; leges quasdam observant; peculium suum quisque habet; domos alii ad terram fixas, plurimi in carris mobilibus constructas incolunt. Quæ omnia satis arguunt, Rempublicam in populis illis esse.

XV. *Finis est salus publica.*] Salus illa cùm honestatem tum utilitatem exprimit, uti prolixè docet Adam Conzenus, *lib.* 2. *Doctr. Politic. cap.* 2. *seqq.* Honestè agitur, cùm vivitur secundùm leges, utilitas rerumque omnium copia ultrò consequitur, quatenus virtutis præmium gloria est, neque miserè vivere potest, qui hujus studio sincero ducitur. Tantùm hoc notetur, vix posse civilem beatitudinem nobis in hac vita perfectam obtingere, quando virtutis exercitium imperfectum est, multisque defectibus obnoxium. Qualis causa, talis effectus. Manet quod Apostolus dicit, *universum hoc esse* ματαιότητι ὑποταγὴν, *subjectum inconstantiæ & vanitati*, quæ unde sit, literæ sacræ nos docent, ignorant Pagani. Donec aderit ille dies, qui vanitati subductos nos, quicunque benè egimus, restituet ad pristinam tranquillitatis ejus possessionem, in qua fuissemus, nisi peccavisset Adamus, ejusque exemplo peccavissemus omnes, *Rom.* 5. 12. Inde calamitates orbi incubuerunt, & homines mortem subiverunt, ipsa lege originis, per quam non poterant non omnibus malis obnoxia esse corpora, ex Adami corpore substantiam suam & qualitates ducentia, 1 *Cor.* 15. 45. Sublato enim benificio illo per arborem vitæ, manebat corpus humanum, quale cæterorum animantium, caducum, fragile, & quando recti eramus, deinde vitio nostro in varias culpas incidimus, *Eccl.* 7. 29. Vera illa perfectio, à qua excidimus, postliminio restituetur tunc, cùm rerum universitas vicibus & interitioni haut amplius est obnoxia, sed in meliorem statum reformabitur, *Rom.* 8. 19. 20. Hactenus verò stultum fuerit optare sibi quod mundus non habet, id est, magnam & duraturam felicitatem cupere, quam nullus unquam habuit, ideò quòd viribus nostris illa comparari non possit. Contenti ergò simus mediocri rerum statu, qui instar optimi est, ubi melior dari non potest, uti prolixè docet Seneca *consolatione ad Helvidiam.* Scribit Beloldus: Licèt illa rerum copia non adsit, puta cùm hostis potens vel aliud publicum ingruat malum, nihilominus beata civitas est censenda, si dictum finem assequi conetur, uti de Numantia in ipso ejus excidio pronunciavit

Florus *lib.2.histor.cap.*18. Ferè item semper post calamitates magnas lætus sequitur eventus, ubi studium commodi publici non languet, *præcognitis ad doctrinam Politicam, dist.*30. Respondeo: Si tale malum ingruit, quod affligat quidem, non verò prorsus evertat. Secus enim non potest felicitas illa nisi in Philosophico encomio esse. Numantiam beatam in cineribus dicere velle, Rhetorem fortè deceat, qui non tàm veritatem rei quàm speciem exponit, cum Politica non potest conciliari. Quod enim non est, illud beatum non est, secundùm Regulam tritam: *Non-Entis sunt effectus nulli, nulla affectiones.* Tantò minus ferri debet, quòd Bodinus *lib.1. de Republica, cap.* 1. reprehendit Aristotelem *lib.* 3. *Politic.cap.*4.7.*Politic.*1.2. Ciceronem *lib.*2. *de Officiis*, qui dicunt, finem civitatis esse, benè beatèque vivere, namque ait *Bodinus*, sequitur inde, nullam esse civitatem, nisi placido mari secundis ventorum flatibus impulsa feratur, & nullum esse nisi cum summa rerum omnium copia, virtuti locum. Cùm tamen Philosophi omnes prædicent beatos illos, qui justi sunt, licèt omnes fortunæ acerbitates experiantur. *Hæc ille.* Respondeo: Benè vivere est, vivere secundùm leges, & honestatem publicam studio omni augere. Proinde civitas benè instituta est, quæ ad virtutem & honestatem dirigitur, quanquam calamitatibus externis prematur, adversus quas nulla unquam civitas satis instructa fuit, ut eas omninò à se prohiberet. Constat de fine externo, finem verum esse, quamvis nec semper, nec ubique obtineatur. Et *beatè vivere* minus rectè exponitur de vita illa, quæ voluptates omnes sibi adjunctas habet. Quin verò beatè vivunt, quicunque secundùm leges vitam & facta sua omnia diligenter conformant, tranquillè & citrà aliorum injuriam rebus suis satagunt, pacem amant. Ita fit, ut à publico virtutum exercitio proveniat securitas, tranquillitas, & pax interna, exemplo ejus quod in sacris literis descriptum est, 1. *Regum* 4. 20.25.

XVI. *Estque prima vel orta. Prima est, quæ suæ originis est. Estque Vicus vel Pagus. Vicus est cœtus, qui paucis domibus constat.*] Dicitur à via, nam penes viam publicam primùm habitatum fuit, ob conversationem cum hominibus prætereuntibus, & ab eis percipiendam utilitatem, quatenus nostris rebus ipsi vicissim indigent, Aristoteles 1.*Politicor.*2. Varro *lib.*4.*de causis linguæ Latinæ pag.*35.

XVII. *Pagus est cœtus, qui vicis constat.*] Est Græcorum πάγη, uti Dores loquebantur, namque alii dicebant πηγήν. Scilicet πηγή fons est, & pagus est locus ille, in quo homines collecti habitare volebant, ob commodum aquæ usum, citrà quàm ipsi & pecora eorum esse nequeunt, Servius *Commentar.ad lib.*2.*Georgic.* Johannes Gerhardus Vossius *in Lexico Etymologico pag.*362. Quòd verò differant vicus & pagus, indicat Tacitus libro de moribus Germanorum: *Eliguntur in iisdem Comitiis & Principes, qui jura per pagos vicosque reddant.* Hæc ille.

XVIII. *Orta est quæ è primis constat. Estque urbs vel imperium. Urbs est cœtus è pagis vicisque collectus, muro circumdatus.*] Aristoteles 1. *Politicor.*2. 1.*Oeconomic.*2. Cicero *lib.*3.*Offic.* Dicitur ab urbo, hoc est,

buri, sive aratri curvatura. Solebant Ethrusco ritu per aratrum circumscribere terminos intra spacium destinatum, & velut *depalabant*, uti ait Tertullianus *in Apologetico cap.* 10. De qua consuetudine agunt multis Philippus Rubenius *lib.* 1. *Elector. cap.* 1. Cœlius Rhodiginus *lib.* 14. *Antiq. Lect. cap.* 1. Levinus Terentius *comment. ad lib.* 1. *Horatii carm.* 16. *num.* 20. Lucius Johannes Scoppa *lib.* 1. *collectaneorum cap.* 28. Joh. Rosinus *lib.* 1. *Antiquit. Roman. cap.* 3. & Th. Demsterus *notis ibid. pag.* 20. 21.. Nota sunt Veterum testimonia. *Ovidius:* Inde premens stivam designat mœnia sulco, Alba jugum niveo cum bove vacca tulit. 4. *Fastor.* Et *Manilius*: Urbibus augebit terras, junctisque juvencis, Mœnia succinctus curvo describet aratro, *lib.* 4. Juvencis, id est, tauro & vaccâ, uti exponit Varro *lib.* 4. *de causis Linguæ, pag.* 34. 35. Itaque signum coloniæ deductæ oppidive conditi taurus & vacca jugales, aut alter eorum in Veterum nummis extant, Æneas Vicus Parmensis *Commentario ad Cæsaris nummos pag.* 108. 109. A. Gorlæus *in Numismatis Tab.* 22. *num.* 8. 9 10. 11. 12. *Tab.* 23. *num.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. *Tab.* 24. *num.* 1. 2. Antonius Augustinus *Tab.* 16. *num.* 13. Sebast. Erissus *expositione ad nummos Cæsarum, pag.* 8. 9. 367. 478. Petrus Seguinus *libro de numismatis antiquis pag.* 108. Joh. Tristanus *Tom.* 1. *Commentar. de Imperio Romano pag.* 400. Succinctus, id est, togæ parte caput velatus, parte succinctus. Docet Servius *notis ad lib.* 5. *Æneid.* Quomodo autem Veteres togæ parte caput velarent, dilleruimus nos *lib.* 4. *Antiquit. Rom. cap.* 5. *dist.* 19.

XIX. Quæritur: *An liceat muros & propugnacula circum urbes educere?* Respondeo: Negant Machiavellus *lib.* 2. *Dissertat. Politicar. cap.* 24. Jacobus Martini *Centur.* 2. *disputat.* 5. *quæst.* 9. Nos verò affirmamus. Rationes sunt: (1.) Quia per ista avertuntur ferarum, latronum, hostium invasiones, ut tutis nobis esse liceat, vel saltem operosis custodiis minus vacare. Exemplum dabit Italia ipsa. Hæc multorum annorum pace beata, milites equidem habebat, civitatibus verò mœnia & fossæ deerant, ideoque hostibus validè satis resistere non poterant. Veniebat Carolus VIII. Galliæ Rex cum numeroso exercitu, & ubique vincebat, plurimas civitates velut indagine capiebat, nullis aut exiguis mœnibus circumdatas, adeoque iis qui acie sese opponere non audebant, nulla relicta erat spes salutis. Ita Regnum Neapolitanum sub Carolo Rege, & deinceps Insubria sub Ludovico Rege, uno propè die oppugnatæ & victæ sunt. Veneti ab eodem Ludovico profligati uno prælio, imperium continentis omninò amiserunt, in qua civitates plurimæ erant, nullæ verò mœnibus, fossis, aggeribus inclusæ, ut obsidionem tolerare possent. Diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 13. *cap.* 3. *dist.* 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. (2.) Quia licet in illis civibus esse securis, ut non vereantur exterorum insidias. (3.) Quia prohibent civium intestinas factiones, quòd harum authores non ita facilè possint elabi. (4.) Quia populorum consuetudo approbavit, ut mallent habere munitas urbes, quàm patulas, & periculo cuivis expositas, *Gen.* 11. 3. 4. *Josua* 6. 1. 2. *Dan.* 4. 27. *seqq.* (5.) Quia domus privatæ muniuntur foribus & vectibus, itaque domorum omnium veluti propugnaculum unum construere, necesse est. (6.) Quia natura ipsa monstrat colles

colles & antra, ubi condere sese per noctes, fœtusque suos educere possint aves, & quadrupedes feræ. Excipit *Machiavellus*: (1.) Efficiunt muri hoc ut cives sint negligentes armorum, discantque sensim plus mœnibus quam manibus confidere. *Respondeo:* Sic debet fieri unum, ut non omittatur alterum. Si corpora tegimus scutis & clypeis, quare non circumdemus integras hominum societates propugnaculis, quando sæpius evenit, majorem hostium vim ingruere, ac ut civium armis propulsari queant? (2.) Lycurgus vetabat mœnibus includi Lacedæmona, ut cives eò magis exercerent fortitudinem animi. *Respondeo:* Non omnibus liceat imitari, quæ unius urbis propria veluti fuerunt. Obtinebat illa Peloponnesum, Græciæ partem munitam satis à mari, & quà patebat iter versus terram, accessu difficili custoditam. Ergò mœnibus urbs non videbatur indigere, aliàs quoque clientelarum plurimarum subnixa præsidio. (3.) Gentes, quæ carent munitis urbibus, optimè callent artes belli. Exemplo sunt Tattari, Abyssini, Poloni, Musci. *Respondeo:* Tattari ab antiquo prædones, non curaverunt muris includere hordas suas, ipsi impunè vagati per terras beneficio multitudinis, qua semper gavisi fuerunt, alios populos in hordis suis arma ferentes aut nequaquam aut rarò viderunt, quia nihil opum domi recondunt, irritamenta malorum præmia belli. Abyssini vicinorum injuriis nimis quàm obnoxii sunt, proximisque annis à Rege Adelæ, seditioso illo & perfido, maxima imperii parte spoliati fuerunt. Mosci & Poloni maximas perinde clades aut intulerunt sibi, aut à se acceperunt, & verò ne omninò à Turcis & Tattaris perirent, arcibus imputare debent, quas habent aliquas oportunis locis depositas.

XX. Cùm Pœni socios Romanorum confecto bello secundo, lacesserent armis, & populos finitimos ad defectionem impellerent, Senatus matutè de perdenda urbe consultabat, deprecabantur Pœni, missis ad urbem Legatis, ne patriam suam rerum antè gestarum laude clarissimam, ac Romanorum sociam evertere vellent. Legatis denunciabatur, ut in fide Senatus populique Romani permanerent, obsides trecentos darent, naves destruerent, ita quidem civitatem salvam fore, eosque jura, privilegia, immunitates easdem habituros, quibus anteà semper usi fuissent. Domum reversi Legati coram Senatu exponunt mandata, neque longo post tempore aderat Scipio Romanorum Imperator cum exercitu, is mittebat Censorinum, Legatum suum, ut caperet obsides, destrueretque naves. Quibus peractis, jubebat populum universum ab urbe exire, opibus suis unà ablatis, & novam urbem quindecim à littore milliaribus remotam condere, portum veterem obstruere. Pœni alia omnia cogitaverant, itaq; ad fidem Senatus populiq; Rom. provocabant, salvam patriam verbis horũ promissam obtendebant. Responsum est, populum Romanum ea quæ Legatis promissa erant, præstitisse, urbe dirutâ, quamvis salvam civitatem esse, quæ mœnibus urbis non contineatur, Livius *lib. 59 histor.* Appianus *in Libycis*, Florus *lib. 2. histor. Rom. cap. 15.* Strabo *lib. 17. Geograph.* Dubia quæstio est, in qua exponenda Apollinis ope opus fuerit. Pœnos malè interpretando excusari non posse, cùm sibi melius cavere debuissent, putat Arnisæus *lib. 1. Relect. Politic. cap.*

5 *sect.*

5.sect.5. Non assentior. Sanè excusari non possunt Romani à dolo commisso, quatenus in rebus, quæ apertius dici omnium referebat, non saltem horum, qui contrahebant, & in potiori jure ob armorum successum erant, obscurius loqui voluerunt. Neque alio fine, quàm ut incautos Pœnos eo fortius opprimere possent. De qua re vide Alb. Gentilem *lib.2. de Jure belli cap.4.*

CAPUT QUARTUM.

De jure Civitatis.

SUMMARIA.

1. *Definitio Civis.*
2. *Quid fuerint Coloni?*
3. *Quid fuerint Municipes?*
4. *Quid sit Jus Civitatis?*
5. *Civis Romani dignitas.*
6. *Civis originarius, assumptus.*

I. *Civis est, qui habet jus civitatis.*] Civis plenus Romanus erat, qui domicilium, tribum & suffragii potestatem habebat, ait Car. Sigonius *lib. 1. de antiquo jure civium Romanorum, cap. 1.* neque aliter Aristoteles *lib.3. Politicor. cap.2.* definit civem, adversus quem multis differit Joh. Bodinus *lib.1. de Republica, cap.6.* Sed frustrà, quando satis constat, non omnes ubique cives paribus uti legibus. Domicilium ideò, ut quoties ab exteris venirent domum, receptum liberalem haberent. Tribus describebant per tabulas certas, easque triginta quinque, uti numerant Carolus Sigonius, Onuphrius Panvinus, Aldus Manutius, Wolffgangus Lazius, & post illos W. Godelevius, *Notis ad Livium, pag.34. seqq.* Jus suffragiorum hoc erat, ut possent magistratus creare, judicia facere, in census deferri, hæreditates & legata capere, gentilitatem, agnationem, adoptionem sortiri, in legionibus militare. Quod omne acceperunt, postquam Valerius Publicola Consulatum adeptus, plebi detulit, ne Optimatum potestas nimia esset, Livius *lib.2. histor.* Plutarchus *in vitis illustribus.*

II. Hæc civium conditio erat, honesta omninò, viliores fuerunt Coloni & Municipes. *Coloni* educebantur ab urbe ad loca bello subacta, quorum incolæ, si qui à clade belli supererant, in servitutem redigebantur, bonis fundisque eorum ad Romanos cives ditiores precio, ad egenos verò & cives proletarios, nec non veteranos milites per donationem translatis, ut loca illa deinceps in fide erga Romanos perstarent, & peregrinæ nationes hac veluti custodiâ sopirentur. Nam ab indigenis timendum erat, ne aliquando receptis viribus insurgerent, & pro libertate sua armis certarent. Vetus hic mos est, & à Græcis Asiæque populis usurpatus, quod testantur exempla in sacris, *2. Regum 17. 24. seqq. Esdræ 4. 2.* Cicero *Oratione pro Flacco*, Thucydides *lib.2.* Plutarchus *in vita Periclis*, Machiavellus *libro de Principe, cap. 3.* Utebantur illi Romanis legibus, magistratibus, cerimoniis, sacris, prætor mittebatur ab urbe qui jus diceret, ac Coloni è frugibus, pecoribus, pascuis vectigalia certa solvebant, unde commodum publicum augebatur. De quo prolixius agunt Carolus Sigonius *libris de antiquo jure Italiæ*, Justus Lipsius *lib. 1. de magnitudine Romana cap.6.*

III. Municipes in urbem cooptabantur, verùm

verùm legibus suis, sacris, magistratibus pro arbitrio utebantur, saltem ut provocatio esset ad tribunal Romanum in causis gravioribus, neque tribum certam habebant. Suos, inquam, magistratus retinebant, & majorum sacris inhærebant. Lanuvienses, qui in municipio erant, proprium habebant Pontificem, Vellejus *lib.1.histor.* Quidam etiam, ut Tusculani, Hernici, Volsci, Arpinates, obtinuerant jus suffragiorum, Livius *lib.6.& 8.histor.* Valerius Maximus *lib.9.cap.10.* Joh. Corasius *lib.3. Miscellan. Juris, cap.6.* Sic olim erat: Namque post editam legem Juliam & Pompejam, quâ civitatis Romanæ jura omnibus Italis data sunt, Municipum & Colonorum jura pariter ac nomina in desuetudinem venerunt, Ulpianus *lib.1.ff.de municipiis*, Guido Pancirollus *libro de magistratibus municipalibus.*

IV. *Jus civitatis est potestas utendi fruendi commodis & privilegiis civitatis.*] Civitas acquirebatur: (1.) *Per nativitatem.* Et primis quidem seculis, quicunque civis plenus esse volebat, utroque parente cive natus esse debebat, uti patet ex Appii Oratione, quam recitat Livius *lib.2.hist.* Deinde suffecit, ut civis esset, qui patre cive genitus erat, *l. assumptio 6 §. filius. ff. de municip.* aut etiam matre cive, ex rescripto Adriani Cæsaris, Ulpianus *in Institut. §.2. de Latin.* Hybridam vocat Horatius *lib. 1. Satyr. 7.* Perinde in usu erat apud Græcos. Namque Atheniensium leges jubebant, ut qui civis esse vellet, parentem utrumque civem haberet, civis verò haut, qui alterum tantùm parentem habebat civem, Aristoteles *3. Politic. 1.4. Politic. 4.* Donec Pericles lege latâ sanciebat, civem esse qui patrem civem, matrem peregrinam habebat, Plutarchus *in vita Periclis, pag. 108.* Et apud Hebræos ille, qui patre quidem cive, matre verò servâ aut peregrinâ natus erat, civis ex quorundam opinione non erat, sed nothus & illegitimus, neque patrimonio fruebatur. Exemplo est Jephta, *Judic. 11.1.* ubi est בן־אשה זונה, quod vertunt Alexandrini, υἱὸς γυναικὸς πόρνης, Castalio, Pagninus, Tremellius reddunt, *meretrice natus*, itaque inter spurios illustres numerant eum Gabriel Palæottus *lib. de Spuriis, pag. 429.* Joh. Piscator *Commentario ad librum Judicum, quæst. 60.* Porrò, ex adulterio prognatum esse, annotant Serarius & Menochius. Quòd tamen falsò dici, satis constat inde, quia conqueritur de injuria sibi facta, *Judic. 11.7.* Erat patrimonii sibi debita parte mulctatus, & patria familia abdicatus. De quo conqueri non poterat, si ex adulterio natus, aut verò etiam spurius fuisset. Conqueritur tamen, quandoquidem apud Ebræos mulier proselyta in eodem cum vera Jsraëlitide gradu erat, vi legis divinæ. Si non erat proselyta, ejici poterat filius, secundùm processum ab Esdra institutum, *Esdræ 10. 3. 44.* Et confer Joh. Seldenum, *libro de Successione ad leges Ebræorum pag. 30. seqq.* Virgilius:

> Patri quos dædala Circe
> Supposita de matre, nothos furata creavit.

lib.7. Æneid. Ubi Servius annotat: Nothos, id est, materno genere ignobiles, *in Commentario pag. 466.* Sic & Aristophanes *in Nubibus* eum νόθον, spurium vocat, qui est ξένης γυναικὸς peregrinæ mulieris filius. (2.) *Per Cooptationem*, ut peregrinis ob maxima eorum in Rempublicam merita, & ad

Reipublicæ incrementa procuranda liberaliter daretur, vel per donationem, vel ut ab eis certo precio redimeretur, exemplo Centurionis, *Actor.* 22.27.28. Nimirum victores Romani, ut novæ injuriæ licentiam eriperent vicinis eis, quos semel vicerant, victos miscuerunt victoribus. Et initium fecit Romulus cooptando Sabinos, qui cùm auxissent civitatem, honore maximo culti sunt à Numa & Tarquinio Prisco, Livius *lib.* 1. *histor.* (3.) Per manumissionem, cùm servis dabatur libertas. Plura dicemus infrà lib. 2. cap. 12. dist. 32. & his adde Carolum Sigonium *libris duobus de Jure Civium Romanorum.*

V. Magna Civis Romani dignitas erat, ob privilegia amplissima. Quamobrem Cicero *pro Marco Fontejo* dicit: *An quis amplissimus Galliæ cum infimo Cive Romano comparandus est?* De capite, opibus & libertate eorum non poterat statui nisi in comitiis centuriatis, Cicero *Oratione pro S. Pompejo.* Itaque cùm Marcus Tullius Consul jusserat Catilinę proditoris à Fulvia meretrice proditos socios in carcere strangulari, quoniam illi Cives Romani fuerant, proscriptus est, domus ejus incensa & area Libertati consecrata, promulgante edictum Clodio Tribuno, Vellejus *lib.* 2. Dion Cassius *lib.* 38. *histor.* Plutarchus *in vitis,* Appianus *lib.* 2. *belli civilis,* & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib.* 4. *cap.* 2. *dist.* 40. *cap.* 3. *dist.* 1. nec non Cicero ipse *Oratione pro Sextio.* Neque minus Cicero *in Declamationibus Verrinis* accusat Prætorem illum & depeculatorem Siciliæ in maximis, quòd Cives Romanos jussu proprio capitis supplicio affecerat: Facinus est, *ait,* vinciri civem Romanum, scelus verberari, propè parricidium necari, *Orat.* 5. Ne virgis quidem sævire licebat in corpus ejus per ullum in provinciis designatum magistratum, si provocasset, ac per *Notores* (uti vocat Seneca Epist. 39.) sive prædes spospondisset, Civem se Romanum esse antequam in comitiis maximis, Romæ causa cognosceretur, & velut facinorosus damnaretur. Hoc Paulum servavit, ne flagris subjiceretur, *Actor.* 16 37. *cap.* 22.25. Ejus patria Tharsus non erat quidem colonia, sed urbs libera, teste Plinio *lib.* 5. *cap.* 27. Concessam libertatem Tharsensibus, ab Antonio Triumviro, narrat Appianus *lib.* 5. *civilium.* Et Dion Chrysostomus *priori Oratione Tharsensi* recitat privilegia multa, quæ Augustus dedit Tharsensibus, & verò non memorat jus Coloniæ aut Municipii, qualibus competebat jus Romanæ civitatis. Restat ergò, ut aliquis majorum Pauli civilibus bellis, quæ inter Cæsarem Augustum & Brutum Cassiumque, aut etiam inter eundem Cæsarem & Antonium gesta fuerunt, jus illud sibi comparaverit. Locus est 1. Cor. 15.32. *ἐθηριομάχησα ἐν ἐφέσῳ, decertavi cum bestiis,* id est, hominibus ferinis, quomodo θηριώδεις τυράννους, dixit Plutarchus *in Lycurgo.* Assentior autem Tertulliano *libro de Resurrectione*, qui eandem rem hîc tangi putat, quæ traditur 2. Cor. 1. 8. Ita etiam Beza *in Notis pag.* 293. Grotius *in annotatis pag.* 443. Namque Lex Porcia vetabat cives objicere bestiis, uti diximus *lib.* 2. *Antiquitatum Romanarum cap.* 6. *dist.* 10. Denique vox illa: *Civis Romanus sum,* apud latrones etiam multis incolumitatem procuravit, teste Cicerone *l.d.* De suffragiis ferendis per Comitia centuriata, curiata, tributa, nihil addimus, legique pos-

sunt

sunt omnia illa apud Joachimum Perionium, *lib.2. de Magistratibus Graecorum & Romanorum, pag. 319. seqq.* Nicolaum Grucchium, *libris tribus de Comitiis populi Romani.* Poterat verò jus civitatis amitti per delictum civile, id quod merito suo capitale non erat. Et iste qui jus hoc amiserat, dicebatur ad peregrinitatem redactus esse, Suetonius *lib.5.cap.16.*

VI. *Duplex igitur Civis est, Originarius & Assumptus. Hic est, qui è peregrinis allegitur in civitatem: Ille est, qui natalium jure civitatem sortitur.*] Natalia spectantur non tàm ratione loci, qui excipit nascentem, quàm juris, quod parentes in eum transferunt. Adeoque ubi pater incola est, ibi filius ipsi natus haut acquirit jus civitatis, sed perinde est peregrinus, ac cùm alibi natus est. Quod Bodinus *lib.1.de Republica, pag.* 181. 183. disserit, Carolum V. Hispaniæ Regem & Germaniæ Imperatorem fuisse civem subditumque Regni Gallici, eò quòd natus erat in urbe Flandriæ Gendavo, quæ provincia est Galliæ, hoc, inquam, frustrà urgetur. Namq; Gendavum est civitas imperialis Flandriæ, quæ nunquam fuit provincia Galliæ, uti videre est apud Petrum Bertium *in Tabulis contractis, lib.4.p.* 275. Et origo in hac materia non tàm natale solum, quàm Parentum conditionem notat. Eos verò Carolus habebat liberos, suæque potestatis, Austriæ Archiduces, Belgicæ Principes, nullâ clientelâ Galliæ Regi obstrictos.

CAPUT QUINTUM.

De Monarchia.

SUMMARIA.

1. *Imperii species.*
2. *Definitio Monarchiæ.*
3. *Monarchia est à natura.*
4. *Monarchiæ species.*
5. *Definitio Regni.*
6. *Definitio Dominatus.*
7. *Proprium Dominatus.*

I. *Imperium est cœtus, qui multis urbibus constat. Ejus notentur species & adjuncta. Species sunt tres, Monarchia, Aristocratia, Democratia.*] Potestas videlicet est vel penès unum, vel penès paucos, vel penès multos, uti docent Plato, *lib.8.de Republica,* Herodotus, *lib.1.* Aristoteles, *lib.3. Politic. cap.7.* Isocrates, *Orat.3.ad Nicoclem.* Tacitus *lib.4. Annal.* Eademque fuerant apud Ciceronem, *lib.3.de Republica*, quem profert Augustinus, *lib.2.de Civitate Dei, cap.* 21.

II. *Monarchia est Imperium, quod ab uno regitur.*] Aristoteles 1.*Politic.*2.3.*Polit.*10. 4.*Politic.*13. Quæritur: *An Monarchia sit optimus imperandi modus?* Respondeo: Affirmant Plato *in Politico*, Aristoteles *lib. 8. Ethic. Nicom. cap.*10.3.*Politic.*7. Plutarchus *libro de optima forma regiminis*, Dion Cassius *lib.44. histor.* quanquam in favorem Aristocratię non obscurè pronuncient Joh. Calvinus *lib.4.Institut.Relig.cap.20.dist.8.* Joh. Miltonus *in Defensione populi Anglicani*, & pro Democratiæ præstantia arguant

Machiavellus *lib.* 1. *de Republica, cap.* 3. 4. 5. *lib.* 2. *c.* 2. Joh. Angelius Werdenhagen *lib.* 6. *Medulla Politicæ, cap.* 4. *quæst.* 3. *seqq.* Nos pro Monarchia rationes exponemus: (1.) Quia est simplicissima. Reducit illa multitudinem subditorum ad unitatem naturalem, vetatque dissensionum pericula. (2.) Quia est maximè ordinata. Namque quò magis aliquid accedit ad unitatem, eò perfectiorem ordinem inducit. Atqui in Monarchia unus est summus; in Aristocratia multi sunt pares, & multi à non paucis reguntur; in Democratia omnes paritatem sibi attribuunt, inde seditiones & factiones oriuntur. (3.) Quia est tutissima. Dicit Livius: *Regnum est res inter Deos hominesq́ pulcherrima*, lib. 26. histor. Cùm unus est instar omnium, nemo ad turbas dandas insurgit, aut quicunque turbator esse volet, opprimetur facili opera. Eleganter *Joh. Casus*: Rarius unus secum quàm multi diffident, quippe multi multa capita & varia ingenia habent. Areopagitæ distracti judicio, perdiderunt Athenas, Consules diversi everterunt Romam, *lib.* 3. *Politic. cap.* 7. (4.) Quia est antiquissima. Dicit *Justinus*: Principio rerum, gentium, nationumque imperium penes Reges erat, *lib.* 1. *hist.* Et Salustius in Catilinaria: *Reges, namq́ in terris nomen imperii id primum fuit.* Erat ante diluvium Adamus, & post diluvium caput extulit Nimrodus heros, à quo originem suam meritò Reges omnes repetunt, *Genes.* 10. 9. Hinc illi per Asiam, Africam, Europam Reges, quos Eusebius *in Chronico* refert, & confirmat Saturni adventus in Italiam, cùm adhuc erat seculum aureum. *Virgilius*: Primus ab æthereo venit Saturnus Olympo, Arma Jovis fugiens & regnis exsul ademtis. Is genus indocile ac dispersum montibus altis, Composuit, legesque dedit, Latiumque vocari, Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris, Aureaque ut perhibent illo sub Rege fuerunt, Secula, sic placida populos in pace regebat, *lib.* 8. *Æneid.* (5.) Quia est communissima. Gentes clariores toto orbe, etiam ante Antipodas, habuerunt Reges, quò provocabant olim quoque Hebræi, 1. *Sam.* 8. 5. (6.) Quia est validissima. Certè populi Democratiæ obnoxii, in rebus dubiis confugiebant ad unius dominatum, itaque apud Romanos immedicabilibus turbis implicitos renunciabatur Dictator, penes quem pacis ac belli summa constabat, ut dicemus *infrà lib.* 2. *c.* 1. *dist.* 5. Hoc monet *Tacitus*: Discordantis sæpè patriæ non aliud remedium fuit, quàm si ab uno regeretur, *lib.* 1. *Annal.* Quo facto, quantum in unius ductu, quantum in imperio non diducto virium esset, volentes nolentes fatebantur. (7.) Quia est maximè civilis, adeoque spreta Regum imperia in illis populis solùm fuerunt, qui iniquis Regum imperiis oppressi, per seditionem ab eis desciverunt, & popularem regendi modum constituerunt, uti de veteribus Romanis, post Tarquinii fugam, & nostri ævi Batavis palàm constat. Excipit *Calvinus*: (1.) Aristocratia præstantior est, namque rarò contingit, ita sibi Reges moderari, ut nunquam à justo & recto eorum discrepet voluntas. *Resp.* Nihil est ab omni parte beatum, quantum humanæ imbecillitati quidem condonari debet, adeoque sapientum virorum consiliis aliquid tribuit Rex, per quos expedit negocia publica, & hactenus tantò propior Deo, quò magis hic ostendit exemplis luculentis, esse Reges curæ sibi, quibus impertiat gratiam supra vulgum, 1. *Sam.* 10. 6. 10.

6.10.c.16.13. (2.)Dominus authoritate suâ confirmavit, cùm Aristocratiam instituit apud Israëlitas, & volebat eos optimâ conditione habere, donec imaginem Servatoris produceret in Davide. *Resp.* Dominus in populo suo Regis instar constituit Mosen, adeoq; cùm adversus eum vellent proceres insurgere, ut sive Oligarchiam, sive Democratiam informare possent, ultus est Deus rebellionem, eosque vivos terrâ dehiscente contumulari fecit, *Exod.*3.10 *seq. Num.*12.7. 8.*c.*16.1.2.*seq. Deut.*33.5 *Psal.*106.16.17. Ejus exemplo cum potestate summa præerat Josua, *Jos.*1.16.17.18. Erant igitur Reges in populo sancto, antequam David corriperet imperium, Servatoris typus, *Numer.*24.17. 18.19. Deniq; promiserat Deus Abrahamo, velut eminens beneficium, fore ut ex illo nascerentur Reges, *Genes.*17.16. *cap.*35.11. Majus promittere non poterat Deus, cùm optimum & maximum dare vellet, 1.*Sam.* 9.20.

III. Instat *Miltonus*: Nemo est naturâ Rex, *l.d.pag.*94. Quòd si intelligat naturam institutam, facilè permiserim, neminem esse naturâ Regem, uti constat ex iis, quæ diximus *suprà cap.*3. *dist.*12. Sin agitur de natura destituta, inobediente, & quæ repugnet bono, tunc certè ad naturam magis accedit, quàm alia forma. Sola enim olim fuit in usu apud populos, teste Philosopho 1. *Politic.* 1. & probat ille, tùm quòd post incrementa humani generis filii manebant sub directione patris, & vicina loca occupabant; tùm quòd mundus omnesque creaturæ unius Dei imperio subsint. Dicit *Miltonus*: Natura quid suadeat & recta ratio, non ex plurimis, sed ex prudentissimis nationibus optimè perspicitur. Græci, Romani, Pœni, multique alii suopte ingenio, vel Optimatum, vel populi imperium, Regio prætulerunt, *l.d.pag.*101. Respondeo: Atqui populi isti, quos prudentissimos vocat ipse, & qui prudentiæ laudem apud omnes merito suo obtinuerunt, originem suam habuerunt à Regibus. Græciæ civitates omnes à Regibus conditas esse, & Regum imperiis paruisse, notissimum est. Latini veteres à Regibus instituti sunt, & Romanam civitatem primi formaverunt Reges. Pœnorum civitas ab Elisa Regina condita est, & ab ejus obitu demum invaluit Optimatum Regimen. Græci & Romani post ejectos Reges, perpetuis atque internecinis litibus exagitati, prava multa egerunt, pejora etiam passi, neque his certaminibus remedium aliquod adhiberi poterat, nisi ab Æsymnetis & Dictatoribus, ut recurrerent ad subsidium velut Monarchicum, donec vera Monarchia in populo Romano cepit restitui sub Imperatoribus, & durat hodienum. Proinde avertimus argumentum: Quod prudentissimis nationibus approbatur, illud recta ratio & natura docent. Atqui imperium Regis prudentissimis nationibus approbatur. Ergò imperium Regis recta ratio & natura docent. Naturale est apibus in societate vivere sub Rege, quod refert Virgilius *lib.*4. *Georgic.* Novissimæ expeditiones in Americam, & per vastas Indiæ Orientalis regiones, ubique invenerunt Reges, adeò scilicet etiam extra mores & disciplinam exclusas gentes, solus instinctus naturalis ad Monarchiam instituendam pertraxit.

IV. *Estque vel Regnum, vel Dominatus.*] Aristoteles *lib.*3. *polit. c.*14. enumerat quinque modos ejus Imperii, quod regit unus, eosque

eosque modos disertè exponit Claudius Salmasius *in Defensione Regia, cap.*8. Primum vocat κατὰ νόμον, sive Legale, cùm Princeps legibus obnoxius est, juramento super illa re præstito, adeoque cùm non servat leges, mulctari potest. Tales post Lycurgum, magisque post Ephoros constitutos fuerunt Reges Lacedæmoniorum, civitatis ejus legibus & magistratibus obnoxii; Herodotus *lib.*7. Xenophon *libro peculiari*, Polibius *lib.*4. Plutarchus *in vita Cleomenis.* Similes Reges habebant Argivi, ut docet Pausanias *in Corinthiacis*, & Pœni, apud Solinum *in Polyhistor. cap.*70. Tales etiam illi fuerunt, qui revocabile & precarium Regnum habuerunt apud Vandalos in Africa, Gottos in Hispania, Herulos, Longobardos, Burgundos, cùm ipsos deponerent populi, quoties libebat, Procopius *lib.* 1. *&* 2. Paulus Diaconus *lib.* 2. *&* 4. Ammianus Marcellinus *lib.*28. Joh. Mariana *lib.*16. *hist.* Quòd verò Ant. Montecatinus & Michaël Piccartus *Notis ad lib.* 3. *Politic. pag.* 407. huc referant Poloniæ & Bohemiæ Reges, quorum ille Regni legibus, hic Imperatori Romano subest, hoc, inquam, non approbamus, quando constat utrumque Regem, non solùm cum dignitate, sed etiam cum potestate summa præesse, ac civibus Regni quidem libertates aliquas permittere, non tamen illis actorum suorum rationem reddere, multò minus à civibus possunt in jus vocari, & procerum arbitrio deponi. Secundum vocat Dominicum, ubi sunt nullæ leges, privilegia nulla, ut porrò dicemus *infrà dist.*6. Tertium esse docet Æsymnetarum, videlicet Principum, qui extrà ordinem eliguntur cum potestate summa. Et verò Joach. Camerarius *Notis ad* 3. *Politic.* 14. haut rectè exponit de Consulibus & Præfectis, quando hi potestatem summam non habent, nec habere possunt, uti habebant Esymnetæ Græcorum, quamvis ad tempus. Talis erat Pittacus Mitylenæus, ad quem cives ejus deferebant summam rerum, ut exsulum motus ab Alcæo excitati, comprimerentur immutabili ipsius decreto, Strabo *lib.*13. *Geograph.* Laërtius *in vitis pag.* 509 Timoleon apud Syracusanos, & Aratus Sicyonius in Republica Achæorum ideò constituti sunt cùm summo imperio, ut ejicerent Tyrannos, componerent civium factiones, legum authoritatem sancirent, recta à pravis discernerent, Plutarchus *in vitis illustr. bus.* Talis quoque erat Dictator Romanorum, uti dicemus infrà *lib.*2. *cap.*1. *dist.*5. neque causa ulla est, quare hoc exemplum aptissimum reprobet A. Montecatinus, *Notis ad lib.*3. *Polit. text.* 107. Tales denique erant Judices Hebræorum, de quibus plura dicentur *infrà cap.*13. *dist.*2 Quartum vocat Heroicum, quando populi sibi præfecerunt viros singulari virtute præditos, ut supremam in civilibus & sacris haberent potestatem, de quibus fuit *suprà cap.*3. *dist.*7. Eos post obitum in sydera retulerunt per solennem consecrationem, & velut Deos minores coluerunt, infrà *cap.*10. *dist.*1. *seq.* nec non Lactantius *lib.* 1. *divin. Institut. cap.*8.9.10.11.15. Quòd isti in sacris quoque adornandis potestatem habuerint, monet Aristoteles, sed non rectè intellexit, *Joh. Casus*, qui sacra ad Sacerdotes pertinere, ait, non ad Reges, *lib.*3. *Politic. pag* 158. Atqui illo heroum seculo, eosdem Reges & Sacerdotes habebant populi. Ejus moris vetustissimi exemplum est Melchisedechus, *Genes.*14.18.19. Eum non quidem

Regem hominem, sed filium Dei, qui pro tempore corpus assumpserit, fuisse, diligentiâ majori, quàm probabilitate actus, differit Petrus Cunæus *lib. 3. de Republica Hebræorum, cap. 3.* Quare enim ille decimas caperet, si Deus fuisset? Similiter *Virgilius*:

Rex Anjus, Rex idem hominum Phœbique Sacerdos.

lib. 3. Æneid. Ubi notat Servius: *Majorum consuetudo erat, ut Rex esset etiam Sacerdos vel Pontifex.* De Hebræis Tacitus lib 5. histor. *Honor Sacerdotis firmamentum potentiæ assumebatur.* Et *Justinus*: Post Mosen etiam filius ejus Arvas, Sacerdos sacris Ægyptiis, mox Rex creatur, semperque exinde hic mos apud Judæos fuit; ut eosdem Reges & Sacerdotes haberent, quorum justitia religione permixta, incredibile quantum coaluerunt, *lib. 36. histor.* Non unum admiscet errorem, de quo alibi dicemus. Nunc saltem notetur, Aharonem Sacerdotem fuisse equidem, haut Regem, qui Moses erat, *Deut. 33. 5.* Postquam ad Hasamoneos imperium pervenit, idem fuit Sacerdos summus, qui erat Princeps, 1. *Maccab. 2. 66. cap. 3. 1. 2. seqq.* Joh. Seldenus *lib. 1. de successione in Pontificatum Hebræorum, cap. 13.* Narrat Rabbi David Ganz *in libro Zemah*, quod Princeps Johannes Hircanus demoliendo templum Samaritanorum, in monte Garizim conditum, gratiam magnam apud cives suos iniverit, & facto epulo, invitaverit Proceres, in quo præsens Eleasar Pharisæus dixerit, satis esse ut Regni coronam haberet, adeoque Sacerdotium deberet Aharonis posteris reddere. Malè hoc Principem habuit, ut virum petulantem flammis exureret, Pharisæos plurimos interficeret, *part. 1. fol. 32.* Apud Romanos, seriori quamvis ævo, Pontifex Maximus factus est ille, qui Cæsar erat, idque primus obtinuit Julius, porrò confirmatum est Augusto, Suetonius *lib. 2. cap. 31.* Dion Cassius *lib. 54 histor.* Imperatores secuti usurpaverunt omnes, ut testantur Inscriptiones plurimæ apud J. Gruterum in Volumine, *pag* 225. *seqq.* & nummi Cæsarum, in quibus sunt vasa sacrificialia, insignia auguriorum, Antonius Augustinus, *Tab.* 11. *num.* 13.; *Tab.* 14. *num.* 6. 7. 8. 9. *Tab.* 17. *num.* 10. 11. 12. *Tab.* 20. *num.* 6. *Tab.* 33. *num.* 12. 15. Joh. Tristanus, *Commentariis de Imperio Romano, Tom. 1. pag.* 29. Sebastianus Erissus, *Expositione ad nummos Cæsarum, pag* 30. 31. Ac permansit ita ad Gratianum usque, qui Pontificis titulum ultrò omisit, teste Zosimo *lib. 4. histor.* unde allegat Spondanus *in Epitome Annalium Baronii, pag.* 411. Attamen est Inscriptio Romana: *Gratianus. Pius. Felix. Max. Victor. ac. Triumf. semper. Aug. Pontif. Maximus. Germanic. Max. Alamanic. Max. Franc. Max. Gothic.* Gruterus in Volumine, *pag.* 160. *num.* 4. Quintum vocat Regium, vero sensu dictum, uti ad præsens negotium pertinet.

V. *Regnum est Imperium, quod Princeps administrat comiter.*] Nimirum, ut cives libertatis suæ compotes, Principum legibus volentes obsequantur. Talia Regna sunt Germanorum, Gallorum, Hispanorum, Britannorum, Suedorum, Polonorum, Danorum, Bohemorum, Ungarorum.

VI. *Dominatus est imperium, quod Princeps administrat severiter.*] Nimirum, ut cives libertate sua spoliati, Principum edictis obsequantur addicte. Tale Imperium fuit apud Ægyptios ex instituto Josephi, *Genes.*

47.

47.21. legitur vulgò: *Populum verò transrefecit ad urbes ab (una) extremitate Ægypti usque ad (alteram) extremitatem ejus.* Notat Wolffg. Franzius libro *de Scripturæ interpretatione, pag.* 498 *seq* pro עבר (transire fecit,) legendum esse עבד (servire fecit,) factâ levi mutatione unius literæ alteri cognatæ, unde librarii decepti sunt. Hinc sensus optimus, *& servire fecit populum per urbes singulas.* Nulla videlicet civitas mansit libera, omnes ad servitutem redactæ Regibus & Successoribus ejus sese obligaverunt. In codicibus, quos Alexandrini Interpretes habuerunt, ita lectum fuit, quamobrem vertunt *κατεδουλώσατο.* Simile Imperium olim in Græcia apud Archivos conditum ab Inachidis, ubi Rex μονοψήφοισι νεύμασι pro arbitrio regebat, teste Æschylo *in supplicibus.* Inachidæ profecti erant in Peloponnesum, exsules Phœnicum, de familia Enakim, eo tempore, quo Moses & Josua hocis atque ultra Jordanem victores aut pellerent, aut cæderent gentes excidio devotas, *Num.* 13.23.29. *Deut.* 2.10. *cap.* 9.2. *Josua* 11.21.22. *cap.* 14.12.15. *cap.* 15.14. *Judic.* 1.20. Ab eadem origine est ענקה *Ὄγκα* Dea, cui Thebis Cadmus templum dedicavit, φοινίκην θεὰν vocat Lycophron *in Cassandra*, & verò Deam istam Græci Palladem appellaverunt galeatam, ex Jovis cerebro, ut fabulantur, natam. Colebatur imprimis apud Trojanos & Phrygas, estque ab eis Palladium tot vocibus celebratum. De quo quid fuerit, inquirunt Joach. Camerarius *quæsitis per Epistolas Centur.* 1. *cap.* 60. Caspar Barthius *lib.* 60. *Adversar. cap.* 2. Nihil verius est, ac quòd fuerit simulachrum Deæ Palladis, itaque in nummis Cæsarum est ab uno latere imago Veneris, ab altero Æneæ profugi, humero patrem senem ferentis, dextera tenentis icunculam Palladis, Antonius Augustinus *Tab.* 4. *num.* 15. *Tab.* 15. *num.* 15. Cæterùm de Inachidis plura conscripsimus, *lib.* 1. *Antiquitat Roman. cap.* 1. *dist.* 14. & libro de Creatione, *Exercitat.* 5. *dist.* 3. Uti Reges Argivorum plenissima usi potestate, exemplo Orientis, unde venerant: Ita Reges Thebanorum, quando ipsi etiam è Phœnicia venerant, addictè regnaverunt, constatque satis è verbis Fecialis Thebani apud Euripidem *in supplicibus.* Reliqui Græciæ populi vixerunt liberius, itaque Athenæ sunt ἐλευθέρα πόλις, etiam cùm Regem habebant Thesеum, apud Euripidem *in Heraclidis.* De ceteris Asiæ Regibus perinde constat, dominatum eos exercuisse. *Livius:* Syri & Asiatici genera hominum servituti nata, *lib.* 36. Et de iisdem Cicero *de provinciis consularibus:* Judæis & Syris nationibus servituti natis. Neque hodiè aliter est in Asiæ & Africæ populis. Sinarum, Tattarorum, Turcorum, Indorum Reges dominatum usurpant, uti referunt Lud. Gothofredus *in Archontologia Cosmica lib.* 2. *pag.* 169. *seqq.* Johannes Boterus *in Cosmographia, part.* 2. *cap* 1.2. *seqq.* Abyssinorum, Nigritarum, Maurorum Reges perinde cum dominatu in Africa præsunt, Ludov. Gothofredus *l. d. pag.* 225. *seqq.* In Europa unica Rossorum gens paret dominatui, gens, inquam, in servitutem nata, jugoque adsueta libertatem non patitur. Principem suum, uti missum de cœlo numen veneratur, cujus arbitrio vitam fortunasque submittit, in spontaniam mortem illicò descendens, cùm ille jubeat. Ingenuarum artium rudis adeò, ut consignare literis nomina sua nequeat. Sed nec peregrinatio ulli permit-

permittitur, certo Principis consilio, ut oppressæ barbarâ ignorantiâ mentes, nullum unquam libertatis spiritum trahant, nec ad ingenuæ vitæ conditionem aliquando enitantur. Ita referunt Lud. Gothofredus *l.d. pag.*449.*seqq.* Petrus Bertius *in Tabulis contractis, lib.6.pag.*685.*seqq.*

VII. Dominatus proprium est, ut Princeps sibi vendicet dominium *directum* in prædia ab bona omnia subditorum, *utile* eis attribuat, ut habeat quibus imperet. Quod verò Ant. Montecatinus & Mich. Piccartus *Notis ad lib.* 3. *Politicor. text.* 105. *num.* 1. docent, Galliæ, Hispaniæ, Britanniæ Regna habere dominicam administrationem, falluntur illi admodum, quia cives in Regnis illis magnas habent libertates, ut possint bona sua mobilia exportare secum, atque ipsi abire unà habitatum apud exteros, cùm lubet. Neque minus bona & prædia quævis tradunt hæredibus suis, Reges verò contenti sunt, ut jurisdictionem in ista exerceant, aliter quàm Turcus, Tattarus, Rossus, qui civibus suis non permittunt licentiam emigrandi, atque in abitu opes unà exportandi. Neque illi bona sua ad hæredes possunt transmittere, quæ cedunt fisco, eaque Sultanus donat velut protsus nova, hæredibus, cùm vult, si non vult elocat aliis fiduciæ nomine. Neque ulla prærogativa vel dignitas est in populis iis, quæ non in solidum à Principis gratia dependeat.

CAPUT SEXTUM.

De Imperio Fœminarum.

SUMMARIA.

1. *Rationes contra imperium fœminarum.*
2. *Solvuntur rationes istæ.*
3. *Rationes pro imperio fœminarum.*

I. QUæritur: *An fœminis debeat imperium committi?* Respondeo: Negant Joh. Bodinus *lib.6.de Republica, cap.*5. Arnisæus *lib.*1.*Doct.Polit.cap.*9.*& lib.*2.*Relect. Politic.cap.*2.*sect.*12. Joh. Steph. Menochius *lib.*1.*Hieropolitic.cap.*5. Ant. Petilius *lib.*2. *Exarchiæ, cap.*29.30. Rationes adferunt: (1.) Quia in fœminis prudentia nulla est, ad imperandum cumprimis necessaria, itaque dubitavit Plato, fœminam referret ad bruta, an verò ad hominem, quoniam videbat, fœminæ prudentiam deesse. (2.) Quia fœminæ haut sunt taciturnæ, loquaces verò esse fatetur Porcia, uxor Catonis Uticensis, quamvis generosa, & supra sexum virtutis studiosa, teste Plutarcho *in Catone*. (3.) Quia fœminæ sunt imbecilles animo & corpore, ut non possint imperii onus sustinere. Quid mulier ad bellum? Bella viri pacemque gerant, ait Virgilius *lib.*7.*Æneid.* Bella relinque viris, est apud Ovidium *lib.*12.*Metamorphos.* (4.) Quia sacræ literæ inter calamitates publicas referunt, cùm fœmina dominatur in populis, *Esa.*3.12. *cap.* 19.6. (5.) Quia Romani, Poloni, Neapolitani fecerunt Decreta, per quæ mulier prohibetur ingredi curiam, & imperii partem aliquam capessere, postquam notum satis fuit, damna

ingentia esse à fœminis exorta. (6.) Quia Regina vel innupta manet, vel nubit marito. Si prius, difficile est, pudorem inviolatum servari ab ea, cui impunè est quidvis facere, & exemplo sunt Cleopatra, Semiramis, Johanna Neapolitana stupris maculatæ. Si posterius, vel Imperium transfert in maritum, vel sibi reservat. Neutrum gaudet eventu bono, quia per translationem privat sese proprio successionis jure, per reservationem detrahit juri divino, mulier subjecta recto marito suo, *Gen.* 3.16. Hæc Arnisæus.

II. Respondeo: (1.) Non semper à fœminis abest prudentia, neque hæc semper apud viros adest. Quàm non careat fœmina prudentia, Reginarum exemplis constat, quæ civium suorum, uti par est, opibus adjutæ, potentissimos Reges belli ac pacis artibus superaverunt, cum immortali nominis gloria. Quis potentior Ferdinando Austriaco? & tamen victorias ingentes, pacem gloriosam permisit Christinæ semper Augustæ. Quis Philippo Austriaco potentior, imò etiam prudentior? & tamen victus bello, Reginæ Elisabethæ laudes auxit. (2.) Tàm sæpè fortes sunt, quàm non semper veræ prudentiæ expertes. Tantum sanè animi robur in Elisabetha & Christina fuit, ut Ferdinandos, Philippos, Reges in Europa felicissimos virtute æquarent, fortunâ superarent. (3.) Non omnes sunt loquaculæ, non omnes sunt vanæ. Privatorum sunt hæc vitia plerumque, & causa est, quia inter vanas & loquaculas educantur. Adeoque Imperii functio non requirit tàm corporis robur, quàm curat vires animi, in quibus viros sæpè antecellunt fœminæ, cumprimis in Principum familiis, ubi fortes creantur fortibus & bonis, estque in filiis patrum ardor citra discrimen sexus. (4.) Verba sunt, *populum meum opprimentium quisque est parvulus, & fœminæ dominantur in eum*, Esa. 3.12. Describuntur tempora vastationis per Babylonios illatæ. Præerant tunc populo Reges nullarum virium & consiliorum, Jojakim, Jechonias, Zidekias, animo pueri, quidam ætate etiam, moribus fœminę pares. De sexu non potest intelligi, uti constat. *Jerem.* 22.17.24.25.26. Quanquam non defuerint in populo veteri fœminæ optimarum virtutum compotes, ut commendarent sexum, *Jud.* 4.4. *seqq.* 2. *Chr.* 34.22. (5.) Sunt decreta illa quarundam gentium propria, neque volent harum decretis obligari aliæ numero plurimæ, à quibus fœminæ perinde ut viri accipiunt solium ac coronam. Laudes tamen pro conservato Orientis Imperio, ne Romanis hoc eriperent Persæ, Romani tribuunt fœminæ Zenobiæ Palmyrenorum Reginæ fortissimæ, Trebellius Pollion *in historia triginta Tyrannorum*, & nos ex illo in Recensu historiæ universalis, *lib.* 5. *c.* 3. *dist.* 15. & *c.* 4. *dist.* 1. quibus adde nummos à Zenobia cusos apud Petrum Seguinum *libro de numismatis antiquis, pag* 63. (6.) Sunt exempla nuptiarum, quę fausta satis: Sunt exempla cœlibum Reginarum, neque ista cum eventu malo. Nuptiarum exempla præbent Isabella Hispanica, Maria Ungarica, Hedevigis & Anna Polonica, Constantia Sicula, quæ connubia & Regna sua obtulerunt Ferdinando Arragonio, Sigismundo Bohemo, Stephano Batori, Jagelloni Lithuano, Henrico Allemanno, uti diximus in Recensu historiæ universalis, *lib.* 13. *c.* 2. *dist.* 8. *lib.* 17. *c.* 1. *dist.* 4. *lib.* 18. *c.* 1. *dist.* 2. & 8. *lib.* 19. *c.* 1. *dist.* 2. Reginas cœlibatu usas, imperio optimè defunctas, domi forisque clarissimas, habes Elisabetham Angliæ, Margaretham Daniæ, Christinam Suediæ, uti dixi in Recensu allegato *lib.* 15. *cap.* 2.

c.1.dist.15.16.17.lib.16.c.1.dist.19.c.2.dist.2.

III. Proinde cum Greg. Tholosano *lib. 7. de Republ.c.11.* Ad. Conzeno, *lib.1.doctr.civ. c.26.* Lamb. Danæo, *lib.6. Politicæ, c.4.* Bart. Keckermanno, *lib.1. doctr.polit. cap.6. & in Cursu Philos.disp.29. quæst.7* affirmamus, fœminas posse Imperio regendo admoveri. Et probatur: (1.) Quia natura ipsa aliquando, cùm non supersunt mares, instituit fœminas Regnorum hęredes, & ad instaurandum genus aptas per connubium cum Principe novo, si volet, aut si aliter volet, ad eligendum deinde successorem marem, civiumque amorem eis conciliat, ut non possint absque seditionum periculo debita sibi gloria spoliari. (2.) Quia fœminæ multæ virtutibus illis instructæ fuerunt, ut se imperio dignissimas pręstiterint, quod satis constat de Semiramide Babylonica, Zenobia Palmyrena, Margareta Danica, Christina Suedica, uti fuit in præmissis. Reginæ istæ, eisque compares Matronæ aliæ, Debora Hebræorum, Sarina Sacarum, Arthemisia Cariæ, Alexandra Judæorum, Irene Græcorum, Amalisvvinda Longobardorum, Blanca Hispanorum, Maria Ungarorum, Libussa Bohemorum, Mathildis Anglorum, Venda Polonorum, Dido Pœnorum, hæ omnes, inquam, maximarum virtutum sapientiæq; laude supra virorum eminentiam assurrexerunt, & Rempubl. inter gravissimas bellorum tempestates, salvam in portum deduxerunt, ut Annales testantur. Elisabetham felicissimè in Anglia regnavisse, verè ait Nic. Vernulejus *lib.1. doctr.polit.tit.8.c.1.* Quòd verò eam non commemorat Justus Lipsius *lib.2. mon. polit. c.2. sect.3.* ubi copiosa optimarum Reginarum exempla profert, nimio in Religionem odio tribui debet. Sanè omnibus illis, quas operosè laudat, una ipsa præstantior fuit, & compendia laudum ejus vide in Recensu nostro, *lib.15 c.1.dist.17.* Denique *furiam reste dignam*, appellat Caspar Scioppius *in Ecclesiastico, c.145* quod convicium orcinus nebulo dudum probavit judici suo, Regum Regi. (3.) Quia populi & subditorum consensus potest fœminis jura ista dare & conservare, ut eorum imperio regantur, quomodo populus Dei præfecit sibi Deboram fœminam, per meram electionem, *Jud. 4.1.2. seqq.* Regerit *Menochius*: Debora habebat spiritum Propheticum, quocum prædita rectè poterat gubernare populum. Sed neque sola ipsa præerat in expeditione, eiq; vir adjungebatur Barakus, *l.d.* Respondeo: Spiritus Propheticus non obstabat, quò minus Imperio benè præesset, atque tantò magis ornat eam, quòd perinde seu Deus, seu Virtus non prætereant sexum; Barakus erat minister in expeditione peragenda, nam facti autor principalis erat fœmina, *Jud. 4 4. 6.9.* (4.) Quia leges fundamentales in multis Regnis sanciunt, ut fœminæ succedant, videlicet in Anglia, Scotia, Hispania, Suedia, Dania, Bohemia, Sicilia, ubi Reginæ plurimæ, aut Reginarum mariti successerunt, cumque laude præfuerunt. Et nostro tempore apud Lusitanos Reginæ hæredes, genti libertatem restituerunt adversus Castilianos invasores, uti dixi in Recensu historiæ universalis, *lib.14. cap.4. dist.5.* Veteres in Oriente populi non detrectabant imperia fœminarum. Scythæ ferocissimi parebant Tomyridi Reginæ, ejusque auspicio profligabant Cyrum Persiæ Regem, Herodotus *lib.1. hist.* Justinus *lib.1. hist.* & nos ex illis in Recensu hist.univ. *l.b.1. c.1. dist.1.* De Harpago Mediæ Præfecto *Justinus*: Veritus, si ad filiam mortuo Rege, venisset Imperium, quia nullum Astyages virilis sexus genuerat,

*lib.*1.*hiſtor.* De populis aliis expreſsè Arrianus νενομισμένον ἐν τῇ ἀσίᾳ ἔτι ἀπὸ σεμιράμιδος, καὶ γυναῖκας ἄρχειν ἀνδρῶν, receptum ſolitumque eſt in Aſia, jam inde à Semiramide, etiam fœminas imperium exercere in viros, *lib.*1.*hiſtor.* Βασίλισσα νότου eſt, *Matth.* 12.42. *Luc.*11. 31. & hiſtoria legitur, 1.*Reg.* 10.1.2.*ſeq. Chronic.*9.1.2.*ſeqq.* ubi eſt pro gente, cui imperabat, מלכת שבא. Venit ex Arabia felice, ſive Jemen, ubi celebris populus, Sabæi. Erant Arabes illo ſeculo valdè dediti ſtudiis meliorum artium & ſapientiæ, 1.*Reg.*4.30. Aurum & aromata copioſa atque optima ſunt apud Arabes, Herodotus *lib.*3. Plinius *lib.*12.*cap.*17.*&* 24. Pomponius Mela *lib.*3. Strabo *lib.*16.*Geograph.* Sabæis in Arabia præfuerunt cum imperio Reginæ. Claudianus lib.1. in Eutropium:

Medis, levibusq́; Sabæis,
Imperat hic ſexus, Reginarumque ſub armis
Barbariæ pars magna jacet.

Omnia ergò quadrant ad Sabæos Arabiæ felicis, uti Lutherus, Tremellius, Pineda, Sanctius, Serarius, Salianus, Pineda, *lib.*4.*de rebus Salomonis cap.*15.16. Vatablus, Cajetanus, Pererius, Golius *in Lexico Arabico*, Samuel Bochardus *in Geographia ſacra part.*1.*lib.*2.*cap.*26. Rabbinus Abraham Salmanticenſis כפר יוחסין *fol.*136. Matthæus Beroaldus *lib.*4.*Chronologiæ ſacræ, pag.*305. 306. Torniellus *in Annalibus ſacris Tom.*2. *pag.*30.*num.*14 Eraſmus Smidius, *Notis ad Matthæum, pag.*201 *ſeqq.* Paulus Merula *in Coſmographia univerſali, part.*1.*pag.*198. nobiſcum ſtatuunt ex ſimilibus locis, *Geneſ.* 25.3. *Jobi* 1.15. *Pſalm.*72.10.*ſ. Eſa.*60.6. *Jerem.*6.20.*Ezech.*27.23.*cap.*38.13. De Saba Metropoli Abaſſinorum, quæ Meroë poſteà dicta eſt, veniſſe eam ſtatuunt Grotius, *notis ad* 1.*Reg.*10. Vadianus *in Epitoma partium terræ, pag.* 179. Philippus Mornæus *libro de Veritate Relig. Chriſt. cap.*26. Cornelius à Lapide, *Commentario ad libros Regum, pag.*155. Toletus, Janſenius, Barradius, *in Commentariis Evangelicis*, Rabanus Maurus *in gloſſa*, Zaga Zabo, *in Confeſſione Æthiopum, pag.*218.*ſeq.* Non credat facilè, qui magnum intervallum expendit & quòd Judæi cum Arabiæ populis commercia habuerint, non item cum remotiſſimis, eoque ſeculo barbaris Æthiopiæ incolis.

(5.) Quia ſoli Franci excluſerunt fœminas à ſucceſſione per Legem Salicam, & maxima damna ſibi attraxerunt, ab Anglis vexati crudeliſſimis expeditionibus. Referunt Hottomannus *in Franco-Gallia cap* 9.*ſeq.* Patricius Armacanus *lib.*1.*de Juſtitia armorum Regis Chriſtianiſſimi, cap.*29.30.*ſeqq.* Claudius Malingrenius, *libro de Lege Salica.* Carolus Molinæus, *libro de Monarchia Francorum, num.*69.*ſeq.* Froiſſardus *lib.*1. *hiſtor.* Paulus Æmylius, *lib.*9.*hiſtor.* & vide noſtrum Recenſum hiſtoriæ univerſalis *lib.*13.*cap.*4.*diſt.*1.*ſeqq.*

CAPUT SEPTIMUM.

De Regum dominio eminenti.

SUMMARIA.

1. *An Princeps habeat poteſtatem à ſubditis?*
2. *Rationes pro negativa.*
3. *Solvuntur rationes contrariæ.*
4. *An Tyrannus poſſit abdicari?*
5. *Solvuntur rationes.*
6. *Tyrannus invaſione.*

7. *Julii*

7. Julii Cæsaris interitus.
8. Tyrannus exercitio.

I. Quæritur hîc: *An Princeps accipiat potestatem suam à civibus subditis, velut naturæ ordine superioribus?* Respondeo: Affirmant L. Danæus, *lib. 1. Polit. Christ. cap. 4.* Mart. Scogkius, *libro de Majestate, dist. 64.* Junius Brutus, *in Vindiciis contra Tyrannos, pag. 193. seqq.* Jac. Miltonus, *in Defensione populi Anglicani, contra Salmasium, pag. 7. seqq.* Et verò ab his non multum dissentiunt illi, qui docent, potestatem regendi à Deo in populum velut adæquatum subjectum collatam, atque à populo deinceps consilio proprio ob certam utilitatem, nullâ interveniente divinâ revelatione in unum vel plures translatam esse, Franciscus Suarez, *Defens. contra Regem Angliæ, lib. 3. cap. 1. 2. 3. lib. 6. cap. 6.* Antonius Capellus, *libro de Primatu Regis, cap. 42.* Andreas Eudæmon Cretensis, *Epistolâ Monitoriâ ad Barclajum*, Maximilianus Sandæus, *libro de Rege, pag. 37. 38.* Franciscus Victoria, *in Relectis de potestate civili, num. 8. seqq. & Relect. 2. de Potestate Ecclesiæ, num. 2.* Didacus Covarruvias, *libro Quæstionum Practicarum, cap. 1. num. 6.* Joh Mariana, *lib. 1. de Regis Institutione, cap. 7. 8. 9.* Bellarminus, *recognitione libri de Laicis, cap. 6.* Althusius, *cap. 18. Institut. Politic. num. 2. 3. seq. & cap. 19. num. 2. 3. seqq.*

II. Eos meritò refellunt Alb. Gentilis, *Disputatione Regiâ 1. 2.* Wilhelmus Barret, *lib. 1. de Jure Regio, cap. 1.* Vernulejus, *lib. 1. Institut. Politic. Tit. 19. cap. 5.* Ant. Corsetus, *libro de Potestate Regia, quæst. 3.* Theod. Grasvvinkelius, *libro de Jure Majestatis, cap. 1. 2.* Marcus Antonius de Dominis, *lib. 6. de Republ. Ecclesiast. cap. 2.* Rationes sunt: (1.) Quia Reges potestatem suam habent à Deo, *Proverb. 8. 15. 16.* Per me Reges regnant, & Dominatores decernunt justitiam, per me Principes gerunt Principatum. Verba illa perfunctoriè exponit *Bellarminus*: Sensus est, *ait*, Regibus sapientia opus esse, per quam agant ea, quæ decent ipsos, *Responso ad Barcl. cap. 12. num. 8.* Respondeo: Sapientia hîc intelligitur, non uti est mentis habitus, qui est rerum altissimarum cognitio, definiente Aristotele, *5. Ethic. Nicomach. cap. 6.* sed quæ est ὁ λόγος, Deus æternus, autor potestatis Regiæ inter homines, ad hominum salutem, fatente ipso Bellarmino, *lib. 1. de Christo, cap. 8. & lib. 2. cap. 6.* Expressa verba sunt, *per me*, quæ actionem perfectam denotant, omnemque causæ alicujus cooperationem excludunt, uti *Joh. 1. 3. Col. 1. 16. 20. Hebr. 1. 3.* Scilicet Deus, non quà Autor naturæ integræ, sed quà Medicus naturæ destitutæ, & Conservator ejus, quod ex facultatibus naturalibus in homine remansit integrum, constituit potestatem civilem immediatè, velut bonum aliquod necessarium, quo genus humanum felicitate prima spoliatum indigeret. *Ubi non est magistratus, corruit populus*, Prov. 11. 14. (2.) Quia Reges eminentibus titulis donantur ob potestatem illam, quam habent. Sunt Dii & filii Excelsi, *Exod. 22. 8. Psalm. 6.* nimirum, quia vicibus Dei funguntur in terris. Atqui Vicarius uni Principali suo debet regimen illud, quod gerit. *Excipiunt:* Dii vocantur, quoniam cum potestate aliqua præsunt in terris, uti Deus in cœlis potenter gubernat omnia, Cappellus, *l. d. cap. 34.* Respondeo: Docet Servator, ideò vocari Deos, *quia sermo Dei ad eos factus est*, Joh. 10. 35.

10.35. Verba illa ineptè exponit *Franciscus Toletus*, de promulgatione Legis à Deo facta, *Commentario ad h.l.pag.*913. Satis namque patet, Legis promulgationem eam ad Judæos omnes factam esse, & verò Psalmus iste, quem Servator allegat, de solis Judicibus agit, rerum civilium exactoribus, adeòque verborum Christi sensus est, *ob sermonem ad ipsos factum vocari Deos*, id est, Dei unius institutione potestatem soli Deo obnoxiam, eos in terris gerere, Chrysostomus & Theophylactus *Comment. ad h.l.* Itaque in describendo munere Prophetarum, eodem modo literæ sacræ loquuntur, quòd Deus imponit eis citra hominis operam, *Esa.*1.1.*Jer.*1.1.*Jon.*1.1. Et tantò magis hoc urget, quòd etiam obsequium Regibus à subditis probis delatum, adscribitur divino instinctui, ut Saulo factum est, quem humiliter venerati esse dicuntur illi, quorum corda tetigerat Dominus, 1.*Sam.*10.26. id est, quorum animis benè præparatis instillaverat Deus præclaram de Saulo Rege existimationem. Propterea Deus ponit spiritum suum, id est, singularia Spiritus S. dona, in illis ut mutentur in viros alios, *Num.*11.17. 1.*Sam.*10.6.10.*cap.*16.13. (3.) Quia Regum eorum, quos Deus populo suo imposuit, exempla testantur, quòd Deus illos immediatè excitaverit quà potestatem. *Sandæus* regerit, Saulum & Davidem non minus ut alii Reges, potestatem suam à populo acceperunt, *libro de Rege*, *p.*41. Respondeo: Imò constat potius, quòd illis & aliis Regibus potestatem impertiverit Deus, sed populus admoverit personam, atq; hoc etiam per consensum merum, *Numer.*27.16.17. *Deut.*17.14.1.*Sam.*15.12. 2.*Sam.*5.2.*c.*12.8. 1.*Reg.*3.7. (4.) Quia nemo inferior potest dare potestatem ei, qui superior est. Atqui subditus respectu Principis sui est inferior. Ergò non potest dare potestatem aliquam Principi, qui superior est. Minor est 1.Sam. 8.17. *Et vos eritis servi ejus.* Falluntur, qui hunc illustrem contextum de Tyrannis exponunt, namque de Regis verissimo jure agit, uti rectè notat Mart. Schogkius *libro de Majestate*, *dist.*53. & nos firmabimus *infrà cap.XII. dist.*1.2.

III. Excipiunt *Miltonus* & *Suarez*: (1.) Magistratus est ordinatio hominum 1.*Petr.* 2.13 Ergò ab hominibus accipiunt potestatem suam. *Resp.* Appellatio ista, ἀνθρωπίνη κτίσις, non debet exponi ratione efficientis, quòd magistratus ab homine accipiant potestatem: Sed ratione materiæ & finis, quòd ex hominum genere & in usum humani generis ordinentur. Potestatem solus Deus largitur, personam ex hominum genere accipiunt homines, atque ei obedientiam præstant, *Dan.*2.37.*c.*5.18. *Rom.*13.1.2.4. adeoq; ad magistratus institutionem ex principiis innatis præter merum assensum nihil quicquam conferunt. (2.) Reges Ebræorum erant inferiores Senatu magno, à quo poterant verbis corrigi, & potestate sua spoliari. *Resp.* Hoc est omninò falsum, uti dicemus *infrà cap.*12.*dist.*3. (3.) Reges Spartanorum erant Ephoris subjecti, poterantque horum jussu vocari in judicium, vita privari. *Resp.* Spartanorum Reguli non habebant majestatis jura, eratque in populis illis Aristocratia, leges præscripserat Lycurgus custodiam habebant Ephori, penes Reges imperium domi nullum fuit, modicum foris, ut dicemus *infrà cap.XV.dist.*3. Et vel unum illud, quòd duo Reges erant, arguit, neutrum fuisse Regem, quicquid garriat parricidialis doctrinæ patronus, Miltonus, *in Defensione populi Anglicani*, *pag.*23. & 149. Constat,

quod

quòd Regem Agidem ob intentatam de affectata tyrannide suspicionem, supplicio affecerint, & verò hujus facti non optimum præmium retulerint. Bellis civilibus implicati, suam civitatem everterunt, Græciam totam paribus turbis involverunt. Et qui futuræ tranquillitatis spe velut malum sibi præciderant, in varias calamitates præcipitati, sævitiæ novę pœnas in excidio proprio luerunt, Cicero *lib.* 1. *Officior.* (4.) Constituens superior est constituto. Atqui populus constituit, Rex constituitur. Ergò. *Respondeo :* Falsa est major. Ille qui constituit aliquē infra se, est quidem constitutio major, non etiam ille, qui cōnstituit aliquem super se, uti faciunt subditi, qui in Regis potestatem seque suasque opes tradunt, 1. *Sam.* 8. 5. 6. 11. 17. 19. 20. Ita servus constituit Dominum, & quidem supra se, unde nec major illo est, neque unquam servitio exire potest invito Domino, qui solus eum in libertatem asserere potest. (5.) Regimen omne est propter illos qui reguntur, non qui regunt. Illud verò est nobilius, quod habet finem nobiliorem. *Respondeo:* Consequentia fallit. Tutela est propter pupillum, attamen illa est potestas in hunc ipsum. Populus, quia se ipsum regere non potest, ideò Regem sibi imponit, itaque Rex eminentior est, cùm dat quod aliàs non potest accipi. Dominus est propter servum, neque tamen hic in illum exercebit imperium, postquam legi communi servorum sese volens sciens subjecit. (6.) Curator est inferior eo, cujus nomine curatoriam gerit. Atqui Princeps est curator populi. Ergò est inferior populo. *Respondeo:* Falsa est major. Curator superior est eo, cujus nomine gerit curatoriam, neque debet pupillus hactenus, cùm est impubes & sub tutela, curatorem suspecti postulare, *l. pietatis 6. in fine C. de suspect. tutor. §. impub. Institut. eod. tit.* Regerit *Althusius*: Quòd Tutor habet majorem potestatem, quàm pupillus, est inde, quia defectus voluntatis & judicii est in pupillo, qui in illa ætate constitutus, voluntatem legitimam habere non potest, quam tamen cùm ad ætatem justam pervenit, accipit, habetque sicut alius quivis dominus in rerum suarum dispositione habet, *l. d. num.* 92. Respondeo: Atqui populus est sub curatoria perpetua, quoniam eò ætatis nunquam provehitur, ut arbitrio suo possit rerum summam administrare, *Prov.* 11. 14. Neque verum est, quòd *Princeps tantùm populi Curator est*, habet enim insuper dominium universale, quod multò ampliorem includit potestatem, uti Lex Regia apud Hebræos & Romanos disertè promulgant, *infrà cap. XII. dist.* 1. 2. *seqq. & cap. XVI. dist.* 12. *seq.* (7.) Populus est prior quàm Rex, ideoque dignior est. Antecedens patet ex *Genes.* 25. 13. 14. *cap.* 36. 15. 16. ubi narrantur Kedarenorum & Idumæorum Principes de posteris Ismaelis atque Esavi. Semper ergò populus constituit Regem, ita verò, ut Rex non possit absque subditis esse, attamen subditi possint absque Rege esse. *Respondeo :* Falsum est, quòd populus sit prior quatenus habet rationem civitatis. Namque uti est sine legibus, sine jure, sine commodo, *populi* nomen haut meretur. Fuit incompositus hominum grex, antequam Rex erat, civitates nonnisi à Regibus factæ sunt, & Regibus posteriores sunt, uti docet exemplum Nimrodi Babylonii, *Genes.* 10. 9. 10. 11. 12. *cap.* 11. 1. 2. *seqq.* Principes Kedareni & Edomæi ipsi fornicaverunt popu-

populum istum, non verò sunt ab eo constituti. Denique falsum est, quòd subditi esse possint absque Rege, *Num.* 27.16.17. *Prov.* 11.14.

IV. Quæritur porrò: *An Princeps imperio suo ad lubitum populi spoliari possit, cùm in Tyrannum degenerat?* Respondeo: Affirmant Junius Brutus & Jacobus Miltonus, *l. d.* Bucherius, *libro de justa abdicatione Regis Galliæ*, Joh. Althusius, *in Institut. Polit. cap.* 38. *dist.* 30. *seqq.* Mart. Schogkius, *libro de Justitia belli Belgici, cap.* 1.2.3. Rectius verò negant Arnisæus, *libro de potestate Regum inviolabili*, Alb. Gentilis *disput. Regia* 3. Johan. Bodinus, *lib.* 2. *de Republica, cap.* 5. Vernulejus, *lib.* 1. *Politic. tit.* 21. Samuel Bochartes, *Epistolâ de Rege ad Morlajum Anglum*, Theod. Grasvvinckelius, *libro de Majestate, cap.* 7.8.9. Joh. Beccaria, *libro de Jure Magistratus in subditos*, Claudius Salmasius, *in Defensione Regia*. Rationes sunt istæ: (1.) Quia Magistratus est minister Dei, *Rom.* 14.1.2.4. Ergò est sanctus & inviolabilis, atque à Deo solo, qui eum constituit, destitui potest, *Jobi* 12.18. *cap.* 36.7. *Dan.* 2. 46. Excipit *Miltonus*: Sonare illa de Regibus bonis, quibus rectè subditi obtemperent, non de Regibus malis, à quibus rectè deficiant, exemplo Idumæorum & civitatis Libnæ, qui à Rege Joramo impio, & Legis divinæ prævaricatore defecerunt, 2. Reg. 8. 20. seq. 2. Chronic. 21. 8.9.10. *Respondeo*: De Regibus sonant, quocunque modo summam rerum administrent illi, benè an secus, neque enim potest mandatum ullum è sacris literis proferri, quo subditi provocantur ad arma, Regibus inclementer agentibus, inferenda. Vetatur magis, uti constabit ex illis, quæ statim addemus, quæque sa-tis docent, summum Principibus datum esse rerum arbitrium, subditis obsequii gloriam relictam: Abditos eorum sensus, & si quid occultius parant exquirere, illicitum, anceps, nec ideò nos posse assequi: Parendo, non Imperia Regum sciscitando, Reipublicæ bonum procurari. Sunt verba clarissima, οἱ γὰρ ἄρχοντες οὐκ εἰσὶ φόβος τῶν ἀγαθῶν, ἀλλὰ τῶν κακῶν. Constituta sunt Imperia, ideò, ut improbitate repressâ, tutius vivant boni. Hoc autem plenissimè præstant Reges boni, mali quoque aliquatenus, vel sui causâ. Et quanquam interdum vitii aliquid intervenit, nunquam tamen non satius est, Principes esse, quàm non esse. Nam, ut rectè Cerealis apud *Tacitum* ait: Quomodo sterilitatem aut nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita luxum & avaritiam dominantium toleramus. Vitia erunt, donec homines, sed neque hæc continua & meliorum interventu pensantur, *lib.* 4 *histor. cap.* 74. Plurima garrit Miltonus *libro dicto pag.* 51. *seqq.* unde præcipua enotabimus. *Optimus quisque*, ait, *Rex Legum & Senatus authoritatem superiorem esse authoritate suâ agnovit.* Falsum hoc est, quoniam ita Regum potestas non esset ἐξουσία ὑπερέχουσα, uti Apostolus eos nobis commendat. Reges sunt illi, qui potestatem habent in alios, qui prævaricatores ad pœnas justas remittunt, qui benè merentibus præmia largiuntur, qui jus gladii habent. At illa potestas imaginaria legum nullibi actu separato extra intellectum subsistit, neque talis potestas gladium sibi ad latera appendit. Romani Imperatores pugionem gestabant, quòd jus vitæ necisque, civium interpretatur Tacitus, *lib.* 3. *histor.* Licet illis interficere, quod non licet aliis. Legum authoritas per se invalida est, nisi

nisi potestate Regum propriâ conserventur, quibus originem suam debent. Ergò illum præ se inferiorem efficere non poterunt, à quo vigorem suum & vim obligandi habent. Pergit: *Nulla potestas nisi à Deo, id est, nulla Reipublicæ forma, nulla homines regendi legitima ratio.* Falsum est, quòd Apostolus de alia forma Reipublicæ loquatur, ac una illa, quæ naturalis maximè est, quæque tunc temporis in Imperio Romano constituta erat, scilicet Principatu. Ei tribuit potestatem supremam, & quidem à Deo attributam, non verò ab hominibus collatam. Frustrà recoquit ineptus homo legitimam rationem imperandi, id est, legibus constrictam, quæ est merum commentum Sectæ Quakerorum. Aliud est potestas, aliud potestatis dispensatio. Illa promulgat leges, hæc promulgatis legibus constringit populum subjectum, ut velint agere quæ honestati consentanea sunt, & nisi agant ita, puniantur jure merito. Eò justius etiam, quando constat, leges naturales hominibus omnibus, ne quidem pessimis exceptis, inesse, *Rom.* 2.14.12.13.14.15. Pergit: *Sæpè regimen vitiosum est ab illis, qui regimini præsunt, itaque tunc non potest dici, Reges illos à Deo esse, Osea* 8.4. *sed esse ab hominibus, & à diabolo, Luc.* 4.16. Falsa non tantùm ista, sed etiam insana effugia sunt. Nulla potestas vitiosa est, quoniam est à Deo optimo, est ideò, ut defendantur boni, ut puniantur mali. Personæ vitia non vitiant potestatem, quomodo sol non inficitur, quando radiis suis permeet loca immunda. Qui dedit Constantinos & Theodosios, idem constituit Nerones & Julianos. Neronis & Claudii regimen vitiosum erat, sed potestas à Deo, ideoque obedientiam non dissolverunt Apostoli, 2. Tim. 4. 17. sed tantùm precati fuerunt, ut vellet eos Deus potenti spiritu suo confirmare, ne quid agerent Christiano indignum. Neque officit nobis illud, quod ex Hosea cap. 8. 9. adducit Miltonus: *Reges fecerunt, & non ex me.* Decem tribules alloquitur Propheta, qui Dei favorem spernendo, Regum exterorum patrocinia emendicabant, utque illa facilius impetrarent, sacra moresque profanos assumebant, quamobrem Deus indignabatur meritò, *Hosea* 5.11.12.13.14. *cap.* 7.11.12. Itaque additur, *Principes constituerunt, & non cognovi*, id est, non approbavi hanc levitatem eorum. Hæc non pertinent ad rem præsentem. Illud verò, quod dicit Genius malus: *Regna mundi sunt mea, & dono illa, cui volo*, miramur proferri, quando ille ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, *Joh.* 8.44. Solus Deus est, qui dominatur in Regno hominũ, & cuicunque voluerit, dabit illud, *Dan.* 4.14. Regerit, *quòd Princeps mundi vocetur*, *Joh.* 14. 30. Atqui Miltone datur hoc nomen Principi dœmonum, non quòd sit dominus mundi, quòd Regna dat vel eripit, quòd leges pro bono publico ferat, qui nec quidem privatis bonis citra Dei permissionem nocere potest, *Jobi* 1.11.12. sed quia peccatorum, quæ propria mundi sunt, est dominus, & quia homines seculi hujus per peccata illi serviunt, 2 *Cor.* 4.4. *Eph.* 6.11.12. Pergit: *Illi Reges intelliguntur, qui præmia dant bonis operibus, quiq; pœnas irrogant malis.* Respondeo: Manet discrimen aliquod inter potestatem, & qui potestate fungitur, Principem. Claudii & Neronis, quorum tempora currebant, quando ista Paulus scribebat, potestas erat ordinata ad laudem bonorum, ad pœnam malorum. Quòd verò Principes

aut aliorum impulsu, aut suâ indole perversi, ordinem hunc intervertunt, id non tollit obedientiæ vinculum. Sunt enim & illa imperia à Deo, licèt non regnent secundùm voluntatem Dei, quatenus ab ordine divinitus constituto, recedendo, justitiam amant. Saulis & Jerobeami imperium erat à Deo, neque abutentibus iis potestate sua obedientiæ vinculum ruptum legimus, 1. *Sam.*9.17.*cap.*10.26.27. 1.*Reg.*12.22.23. *cap.*13.3.4.5. Stolidi fuissent Christiani, ferarum tergis contecti, & canum laniatu interfecti, in cruces acti, flammati, exusti, si putavissent, Apostolum obedientiam subditorum his verbis tantùm ad bonos Reges velle restrictam, quòd non insurrexerint adversus Neronem, Adrianum, Decium, Valerianum, Julianum, præcipuè cùm ingens fuerit multitudo. Denique exempla in contrarium allata, non faciunt ad rem. Edomæi bello victi olim, cùm David imperabat, poterant jure belli asserere libertatem suam, cùm faverent tempora, 2.*Sam.* 8.14. 1.*Reg.*11.14.15. 1.*Paral.*18.12.13. *Psalm* 60.10.11. Atque hoc fecerunt amore libertatis avitæ, non verò propter studium Religionis Mosaicæ, erant enim cultores idolorum, 2.*Reg.* 14.7. 2.*Paral.*25. 14. De civitate Libna constat, fuisse eam sociam Edomæorum, voluitque defectionis causam petere indidem, quatenus veterem libertatem præferebat novissimæ protectionis legibus. (2.) Quia Tyrannus est flagellum Dei, quo utitur ille pro beneplacito suo ad castiganda populi peccata, *Esa.*10.5. *cap.*19.4. Neque ergò debent illum subditi armis, vi, minis, veneno tollere, potius à Deo precibus seriis efflagitabunt, ut velit ipse Regis sævientis animum in melius convertere, *Proverb.*21.1. *Jerem.* 27.12.*cap.*29.4.7. (3.) Quia David Regem Saulum post atrocia in se decreta, in alios crudelia facta, deprehensum à se, ab aliis, neque ipse lædere, neque ut comites sui eum læderent, permittere voluit, adeoque vivum & mortuum honore maximo prosecutus est. Errant Johannes Brentius *Commentariis ad lib.* 1.*Samuel. cap.* 24.*fol.* 375. Guilhelmus Barclajus *in Analysi Theolog. pag.* 409. Christophorus Pezelius *part.* 9. *Scholar. Theolog. pag.* 597. qui contendunt, Davidem potuisse citrà injuriam Saulo vitam eripere, postquam eum exilio damnaverat, uxorem ejus à thoro separatam alii elocaverat, Sacerdotes interfecerat. Verùm aliter pronunciat David ipse, qui extrà pauca secius facta vitæ inculpatæ testimonium habet, culpa, *ait*, non carebit, qui manus inferre volet Regi, 1.*Sam.*26.9. Perindè falsum est, quod suppeditat *Nicolaus Sanderus*, excidisse regio fastigio Saulum, postquam Samuel ei denunciaverat iratum Deum, & loco ejus Davidem unxerat futurum populi Regem, *lib.* 2. *de visibili Monarchia, cap.*4. Retinet Baldasar Ajala *lib.* 1.*de Jure Belli, cap.*2.*dist.*23. Verùm non satis verè. Erat videlicet denunciatio prophetica ejus, quod Deus olim facturus erat. Atque uti solus Deus prædixerat, quid olim futurum esset, ita solus ipse reservaverat latæ sententiæ persecutionem, tunc cùm ei videretur oportunum factu esse, uti rectè notavit Optatus Milevitanus *lib.* 2. *adversus Parmenianum.* Idemque agnoscit Samuel verbis illis: *Quomodo irem, Saulus audiret illa, & me interficeret*, 1.Samuel.16.2. Denique Samuel Regem cultu non minori quàm antè, prosequitur, ne quà suspicionem

nem velut de Regis indignitate, subditis injiciat; quæ fenestram ad defectionem aperire possit, 1.*Samuel*.15.11.30.31.35. Bucherius instat, esse factum singulare, quod non sit propositum omnibus, ut velint imitari. Idque illi imprudenter nimis permittit Caspar Ziglerus, *Notis ad lib.* 1. *Grotii de Jure Belli & Pacis*, *pag*.177. Respondeo: Imò est exemplum probitatis ejus, ad quam omnes animum intendere debemus. Hoc constat, tum quòd conscientia admonebat Davidem, ut gravissimi peccati metu desistere vellet, 1. *Sam*. 24.6. tùm quòd commendat personæ ejus sanctitatem: *Est*, ait, *Unctus Domini*. Scilicet dignitatem Regis citra scelus violari non posse, credebat ingenuè, non verò etiam ob perfectionem singularem, tùm quòd cæco odio impletum Regem, quem Deus tollere decreverat, ab improbo aliquo, ab hoste occidi mallebat, quàm à se, qui pius erat, quem sciebat, se non posse lædere, nisi etiam pietatem amittere vellet, 1.*Sam*. 26.10.11. Miltonus oggerit, Davidem exercitu collecto, militavisse adversus Regem, & ob id laudari voluisse à muliere prudente Abigaile, quòd prælia Domini gereret, 1.*Sam*.25.28. *Respondeo:* Nuspiam legitur, quòd David bella gesserit adversus Regem, potius Regis gratiam verbis supplicibus non una vice, non uno loco, rogavit, eum Dominum suum agnovit, invidiam à malis authoribus concitam deprecatus, *cap*.24.7.9.12.15. *cap*.26.16.18. 19.20. Abigailis verba pertinent ad bella, quæ olim David gesserat pro salute Reipublicæ adversus professos hostes, *cap*. 18.4.*seqq*. de quibus Rex ipse dixerat: *Gere bella Domini*. *cap*.18 16. Armis, quæ exsul portabat, corpus suum defendit, spolia quoque paravit de vicinis gentibus, quæ tunc temporis à devotis populis capere licebat, Regi suo nunquam contrarius, nisi unâ vice, cùm volebat sese Philistinis militiæ socium adjungere, errore abreptus, qui tamen successu caruit, Deo providente, 1.*Samuel*.22.2. *cap*.27.8.*seqq*. *cap*.29.23. *seqq*. 1.*Paral*.12.1.2.*seqq*. (4.) Quia literæ sacræ jubent, ut pro magistratu suo orent subditi, 1.*Petri* 2.12.13.*seqq*. Ergò non volunt, ut adversus eum vitiis quibusdam obnoxium, armis, vi, minis insurgamus. (5.) Quia omnes illi, quicunque seditiones conciverunt adversus Principes suos, miserè perierunt, authore Deo. Exempla sunt Korah, Dathan, Abiram, *Numer*.16. 1.2.*seq*. *Psalm*.106.16.17. Judas Galilæus intempestivo recuperandæ libertatis studio pellectus, quia malus erat, malè periit, *Luca* 14.1.2. Josephus *lib*. 18 *Antiquitat*. *cap*. 2. Adversus turbatores illos pronunciabat Servator: *Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris*, Matth. 22.21. Neque verbis arguit tantùm, sed quoque exemplo reprobavit, dum censum persolvit, *Matth*.17.27. Excipit *Bucherius*: Alia erat conditio Romanorum, qui armorum jure obtinebant dominium in Judæos, alia est ratio nostrorum Principum, qui jure velut suo in populum sæviunt, injusta patrando. *Respondeo*: Habebant equidem Romani jus quæsitum, videlicet armis, atqui hoc poterat Judæos magis impellere, ut cùm viros atque occasio suppeterent, vellent armis libertatem suam recuperare. Principes nostri imperant jure suo, adeoque jus illud, quod exercent in subditos, non extorserunt per arma, sed omnium consensu oblatum, acceperunt. Eò magis imperium isthoc ferant subditi,

quod scientes volentes, non etiam inviti, subierunt. Quis credat, jus Regium Tiberii in Judæos armis perdomitos acquisitum sanctius esse, quàm Ludovici Bavari in Germanos, aut Henrici Valesii in Francos, quorum ille electionis, hic verò successionis titulo perfecto atque immutabili imperabant? (6.) Quia veteres Christiani adversus Tyrannos & fidei hostes Principes nunquam conspiraverunt, sed potius ad Deum preces fuderunt, ut vellet populi, vellet Regum misereri, illum conservando, hos convertendo, adeoque *dare vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis atque Cæsaris vota sunt*, ait Tertullianus, *libro ad Scapulam*. Et ante eum non aliter Justinus, *Oratione ad Antoninum Imperatorem*. Rursum Tertullianus: *Circa majestatem Imperatoris infamamur, tamen nunquam Albiniani, vel Nigriani, vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani*. In Septimium Severum arma quasi pro Reipublicæ bono sumpserant, in Gallia & Britannia Clodius Albinus, in Syria Pescennius Niger, factum Christianis displicuit. Cassiani illi erant, qui sequebantur Avidium Cassium virum egregium, & sumptis armis, volebant Rempublicam restituere, Marci Antonini, ut ajebant, negligentiâ debilitatam. Diximus in Recensu historiæ universalis *lib. 5. cap. 2. dist. 10. & cap. 3. dist. 1.*

V. Excipiunt *Miltonus & Althusius*: (1.) Laudantur in Sacris, qui Tyrannos neci dederunt. Ehud confodiebat Regem Eglonem, Jojada Reginam Athaliam objiciebat militum gladiis, *Judic. 3. 21. 2. Reg. 9. 24.* Respondeo: Non quæcunque Sancti aliqui fecerunt, eadem aliis faciendo imitari liceat. Ehud populi sub imperio alieno gementis Princeps impulsu divino factus, manu sua Regem oppressorem interficiebat, populumque libertati restituebat cum successu. Dei jussus efficit, ne in exemplum hoc trahi possit, ubi talis jussus non est. Brutus, qui Cæsarem occidit, paris videtur fuisse animi, sed ei uti divinum imperium, ita etiam successus defuit, uti dicemus infrà *dist. 7.* Athalia invaserat imperium non suum, & parricidiis stabiliebat, eam igitur quavis occasione datâ, intercipere & supplicio justo afficere poterat legitimus Regni hæres, Joas, populi Procerumque favore in Regno suo stabilitus. De qua re plura dicemus *infrà cap. X. dist. 3.* (2.) Rex est obligatus juramento ad piè & justè regendum, secundùm leges præscriptas, exemplo ejus quod fecerunt Reges Hebræorum, *Josue 1. 7. 2. Sam. 5. 3. 2. Reg. 11. 17. 2. Paral. 23. 3.* Populus verò conditionaliter paret Regi, si piè & justè regit. Eâ conditione deficiente, populus non est obligatus ad parendum, ideoque quævis media ad persequendum eum adhibere potest. *Respondeo:* Non ideò quia populus sub conditione paret, Regi potest resisti, sed ideò, quia populus innocens occidioni destinatus vitæ fortunæque suæ per leges naturæ providere debet, resistere debet tum precibus tum fugâ. Ad arma non provolabit, nisi armis prior lacessatur, & ne tunc quidem offendet, sed magis defendet. Nec enim Regum juramenta habent adjectam clausulam commissionis, *ut si exorbitent, subditi potestatem habeant deserendi & deponendi eos*. Nulla talia fœdera inter Regem & populum Ebræorum fuerunt unquam, ut ea possent Regem obligare. *Jos. 1. 7.* est votum, quo,

quo precantur bonum successum, non verò etiam contractus, à quo resilire vellent, cùm videretur eis, ita expedire bono publico. 2. *Sam.* 5. 3. dicitur: *Rex David eis fœdus disposuit.* Nulla hîc reciproca stipulatio est. Rex disposuit eis fœdus, exigendo ab illis, & stipulando, quod Lex Regia postulabat, populo se vicissim obligavisse Regem, nec ibi, nec alibi literæ sacræ perhibent, 1. *Sam.* 11. 14. *cap.* 12. 1. 2. *seqq.* Quâ verò lege, quo fœdere, quâ conditione David & Reges quicunque imperare vellent, noverat populus, legum omnium memor, quas olim Samuel descripserat, 1. *Sam.* 8. 11. *seqq.* Denique 2. *Reg.* 11. 17. 2. *Paral.* 23. 3. refertur, quòd Rex populusque Deo promiserint, velle ipsos agere secundùm leges à Mose promulgatas. Nihil ibi occurrit, unde colligas, Regem promisisse aliquid populo. (3.) Rex habet limitatam potestatem, quam excedendo à se populum removet, ut hic possit obsequium ejus excutere. *Respondeo:* Rex non habet potestatem limitatam, nisi quantum cohercetur divinis legibus & gentium Jure. Adversus ista agendo non leviter peccat quidem, Tyrannus verò tunc demum est, cùm populi internecionem quærit pravorũ consiliis obnoxius. Populũ conculcando, se obsequio ejus spoliat, ita verò, ut in repudiando illo, non tàm populus libertatis assertæ gloriam habeat, quàm Rex desertæ majestatis culpam ferat. Qui populos aliter instituunt, & Apostolorum doctrinæ repugnant, & Imperia turbant. Summa potestas in quolibet Imperio est, cui fidem cives, milites, rustici jurant, cujus legibus omnes parent, à cujus judiciis non provocatur. (4.) Rex infra Deum est, adeoque si contra Deum agit, potest rejici à subditis, qui Deo potius obedire debent, quàm Regi. *Respondeo:* Est Rex infra Deum, & à solo Deo puniri ideò potest: Est verò supra populum, itaque non potest à populo rejici, nisi ipse prior populum internecioni consectet, armisque delere velit, velut non suum. Tunc enim qui populus subditus non est, obsequio, quod populus Regi debet, non subjacet. (5.) Rex eligitur à populo, & ab eodem populo exauthoratur meritò, cùm hactenus Rex omnis est infra populum. *Respondeo:* Falsa & prava sunt omnia, uti anteà diximus. Nihil hîc valet populi superioritas, quæ nulla est, sed culpa omnis est in Rege, qui populum suum declarat hostem, & vult armis extirpare. (6.) Inter Regem & populum est obligatio talis, qualis est inter patrem & filium, dominum & servum. Atqui filius patri, dominus servo resistere potest. *Respondeo:* Nulla causa est tanta, ut filius possit à se removere patri debita officia, etiamsi omnibus suppliciis fuerit dignissimus, nisi ille prior filio debita officia abnuendo, in latronem degeneret. Tunc enim filii culpa non est, quòd pater amovetur, sed patris improbitas eum jure debito spoliat, neque tamen hoc quoque scelus tantum est, ut parricidio vindicari debeat. (7.) Rex malus ipso jure amittit potestatem, & fit privatus, adeoque si vim facit, vi repelli potest. *Respondeo:* Nunquam fit privatus, quia ab ipso potestatem Deus solus repetere potest, à quo accepit, *Dan.* 2. 21. Ob hanc rationem ei non potest resisti, verùm quia hostis est. Rex tamen est, privatus non est. (8.) Rex est infra Ordines Regni, à quibus punitur meritò, cùm ita promeruit vitâ improbè actâ. *Respondeo:* Falsum hoc est, quia Ordines Regni sunt Regis servi, 1. *Samuel.* 8. 17.

 (9.) Rex

(9.) Rex ideò est, ut provideat negotiis subditorum. Quando igitur mandatarius fines mandati excedit, non est illi obligatus mandator. *Respondeo*: Frivolum est, quòd mandatarius sit, qui Dominus est. (10.) Ubi Judicis copia haberi non potest, tunc licet nobis ipsis jus dicere. *Respondeo*: Falsum est, nam & Prætor jus reddere dicitur, *l. jus pluribus D. de Justitia & Jure*, cui parendum est, tunc cùm sententiam iniquam pronunciat. Ubi ergò jus illud, quod quis sibi ipsi dicit? (11.) Regi, cùm iniquè agit, resistere licet, secus pessimè agerentur omnia. *Resp.* Pejus multò agetur, cùm populo dantur arma adversus Reges suos. Proindè verum est, Althusium ejusmodi argumentis deturpasse Politicam, & scribere magis pro evertenda salute publica, quàm conservanda ea. (12.) Nebucadnesar furiosus removetur à solio, *Dan.* 4. 30. Amasias Rex Juda interficitur à Proceribus, 2. *Reg.* 14. 19. Respondeo: Nebucadnesar ob rationem depravatam ex mota bile atra, bovis instar per deserta oberrabat, solioque carebat, interim præerat filius ejus, donec convalesceret, solioque redderetur, *Dan.* 4. 30. 31. 32. Divinitus inflictum hoc malum erat, non ab hominibus impositum. Qui Amasiam occiderunt, parricidæ erant exemplo fœdo & abominando, quod aliàs debito supplicio ulciscebantur Proceres, uti constat. 2. *Reg.* 12. 20. *cap.* 14. 5. 6. *cap.* 21. 20. 24. 2. *Par.* 33. 24. 25. Dicit *Althusius*, justè interfectus est Amasias, non tantùm quia erat crudelis, sed etiam quia defecit à Domino, 2. *Paral* 25. 14. *seq.* Atqui illi poterant jure à populo occidi, *Deut.* 13. 6. 7. 8. 9. 10. & prostat exemplum, 2. Paral. 15. 13. *Respondeo*: Non omnis, qui à lege recedebat, occidebatur, sed qui Idola palàm obtrudebat. Reges qui palàm colebant Idola, Prophetarum reprehensionibus notabantur quidem, nemo tamen concitavit subditos, ut eos interficere vellent. Causa est, quia supra leges erant, 1. *Reg.* 11. 5. 6. 7. *seq. cap.* 21. 20. 2 *Reg.* 21. 1. 2. *seqq.* Neque igitur poterat Amasias ideò occidi, quia peregrinos Deos privatim colebat.

VI. Cæterùm distinguunt vulgò, ut Tyrannus alius sit *invasione*, alius *exercitio*. Ille est, qui populum suum dolo, vi, minis in servitutem redegit, atque libertate sua spoliavit, nullo jure, sed malis artibus ad imperium provectus, nullius suffragio confirmatus. Hic est, qui jure suo præest populo suo, qui eum Regem acceperunt succedendo vel eligendo, cumque hactenus fuerat bonus, deinde malus crudeliter agit, cumque populi damno maximo sævit, fas nefas perinde habendo. Qui Tyrannus *invasione* est, occidi potest, sive unius civis, sive civium omnium manibus, nisi quantum ei suffragia populi dederunt, ut partem imperii habere debeat, & legitimè præesse. Ita enim jus aliquod acquirit, neque potest, nisi cum injuria manifesta occidi. Regiam potestatem Gideoni deferebant Hebræi post devictos hostes, sed ille repudiabat, *Judic.* 8. 22. 23. eam filius Abimelechus ambiebat, itaque fratres suos qui ausis obsistere poterant, interficiebat. Hoc facto arripiebat tyrannidem popularium suorum ope, Rex proclamabatur, mox displicere illis cepit, inde capiebant arma Sichemitæ, exprobrabant viro parricidia, reposcebant jura sua, libertatem pristinam in votis habebant, dimicabant cum patriæ interitu, *Judic.* 9. 1. 2 *seqq.* Tyrannus inter homines superior, à Deo pœnas suscepit, peremptus lapidis jactu, cùm

turrim

turrim oppugnabat, *Judic.* 9. 52. 53. 56. Græcorum, Siculorum, Pœnorum veterum acta exemplis talibus abundant, quando Tyranni citra populi atque Optimatum suffragia, imò contra Leges publicas, quibus vetabatur unus præesse cum summo imperio, exstiterunt, adeoque illos vel toleravit populus, cùm non posset aliter esse; vel interfecit, cùm non placerent. Dionysium Seniorem & Agathoclem pertulerunt Siculi, Pisistratum Græci, quòd illi non possent amoveri, nisi cum damno Reipublicæ, & quod fortè pacis bellique artes optimè callerent, privato commodo non admodum studerent, Plutarchus *in vitis illustribus*. Justinus *lib.* 2. & 20. Herodotus *lib.* 2. & 6. & nos ex illis in Recensu historiæ universalis, *lib.* 2. *cap.* 2. *dist.* 1. *cap* 4. *dist.* 4. & 6. Ob eandem causam Nabis apud Lacedœmonios Tyrannus ferebatur, quamvis Romanorum operâ facilè ejici poterat, scilicet creditum est, post relegatum eum pejus etiam habituram civitatem, & factionibus obortis, in ipsa libertatis vindicta perituram, Livius *lib.* 34. *histor.* Phalaridem & Dionysium Juniorem Siculi, Hippiam Græci, Athaliam Hebræi, aut neci dederunt, aut foràs jecerunt, crudeles nimium, formidabilesque moribus, & ob id omnium odio prægravatos, Cicero *lib.* 3. *Officior.* Valerius Maximus *lib.* 3. *cap.* 3. 2. *Reg.* 11. 1. 2. *seq.* 2. *Paralipom.* 23. 1. 2. *seq.* & nos ex illis in Recensu historiæ universalis, *lib.* 2. *cap.* 2. *dist.* 2. *cap.* 4. *dist.* 5. *lib.* 24. *cap.* 1. *dist.* 7. Hannonem urbis Principem, cùm opes suas, quibus Reipublicæ vires superabat, ad occupandam illam intendisset, Regnumque interfecto Senatu, invadere decrevisset, ceperunt Pœni, & laceratum prius virgis, deinde cruci affixerunt, Justinus *lib.* 21. *histor.*

VII. De Julio Cæsare difficilis omninò res est: *An Tyrannus invasione fuerit, & jure occidi potuerit?* Cicero pronunciabat, Julii cædem esse divinum in Rempublicam beneficium, ejusque percussores gloriam consecutos, quæ vix cœlo capi possit, *lib.* 10. *Epist. familiar.* 25. & *Philipp.* 2. Legem tulerat Valerius Publicola, ne quis supremum magistratum invaderet, aut Diti sacer esset, Dionysius Halicarnasseus *lib.* 5. *histor.* Adeoque rectè interfectum esse Cæsarem, docent Stephanus Junius Brutus *in Vindiciis contra Tyrannos, pag.* 150. 159. 161. Petrus Martyr *Commentarius ad librum Judicum, cap.* 3. *pag.* 72. & non obscurè Henningius Arnisæus *libro de Principum authoritate inviolabili, cap.* 4. *num.* 13. Multæ circumstantiæ sunt, quæ Cæsarem excusant. (1.) Obtinebat ille magistratum Senatus populique mandato firmatum, paucis exceptis Optimatibus, qui sibi nomen Reipublicæ, speciosè magis quàm verè tribuebant, atque illi ipsi non tàm contradicebant palàm, quàm clanculum querebantur. (2.) Non evertebat leges & judicia suæ libidini obsecutus, verùm conservabat omnia illa ad patriæ salutem, contentus parum aliquid è Republica petivisse, videlicet honoris æstimationem, virtutibus meritisque suis debitam. (3.) Non sæviebat cædibus, ut alii bellorum civilium Victores, Sylla cumprimis, fecerant, imò in devictos clementer statuebat, inimicos beneficiis maximis afficiebat. *Gravis erat liberis ipsâ beneficiorum potentiâ*, ait Florus, *lib.* 4. *historiæ Romanæ, cap.* 2. Ergò Tyrannus haut erat, neque

neque jure occidi poterat, pessimè verò æmuli & latrones ejus, qui spem & obsequium vultu simulabant, odium infensamque cruentam alto corde premebant, qui sibi ad eadem, quæ in Cæsare damnabant, viam moliebantur, in Curia adversus Beneficum suum conspiraverunt, ac cæde ejus authores multarum cladium exstiterunt, quæ homines innumeros aut neci dabant, aut opibus exuebant, Suetonius *lib.* 1.*cap.* 76 & 84. Dion Cassius *lib.*44.*histor.* & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib.*4. *cap.*3.*dist.*13.14.15.16.17.

VIII. Qui Tyrannus *exercitio* est, spoliari Imperio potest à subditis, quando adversus eos hostili odio impulsus agit, tunc demum odio suo finem impositurus, cùm solitudinem fecit. Differit quidem *Ferdinandus Vasques*, quòd semper liceat civibus, sese in libertatem asserere, occasione datâ, quia Imperium vi acquisitum, vi contrariâ dissolvi possit, & aliud Imperium ex voluntate profectum habeat conditionem, & in eo pœnitere liceat, & mutare voluntatem, *lib.* 1.*Controverf. cap.*47. *num.*1.2.*seqq.* & *lib.*2. *cap.*82. *num.*3. Atqui sententia illa divino pariter, naturæ ac gentium juri adversatur, evertendisq; omnibus Rebuspublicis idonea est, ejusque fundamentum est nimis lubricum. Nam que (1.) Imperia ea quæ vi parta sunt, possunt consensu tacito vel expresso jus firmum accipere, ut deinceps in potestate Regis maneant. (2.) Voluntas aut ex initio constituti Imperii, aut ex post facto esse talis potest, ut jus det, quod deinde à voluntate non pendeat, neque fas sit, quod semel amissum fuerat, repetere. Dicit quidem Vasques: *Natura omnes fecit liberos.* Respondeo: Natura *integra* haud quidem jussit, si aliud nullum factum hominum accesserit, vel me, vel alium esse alterius subditum, attamen natura *destituta* permisit, imò injunxit obsequium, & si promissum sit, jussit promissis stare, perinde uti de aliis contractibus omnibus nihil est in Lege naturæ jussum, nisi posito, cùm sunt initi, hos debere servari, imperat Lex naturæ, nondum initos permittit iniri, antehac nihil jubet, nihil vetat. Pergit Vasques: *Nihil tàm naturale est, quàm unumquodque eo modo solvi, quo colligatum est.* Respondeo: Hinc verò sequitur, quæ mutuo consensu imperantium & parentium constituta sunt Imperia, nonnisi utriusque partis consensu dirimi posse, nequaquam ex unius arbitrio, secus quàm vult persuadere Vasques. Certè etiam illa, quæ spontè à populo deferuntur obsequia, non antè imperium aliquod efficiunt, quàm is cui deferuntur, consenserit, & inter utramque partem contractus ratus fuerit. Namque & delata ejusmodi obsequia possunt rejici, quod veteri & novi ævi exemplo non semel est factum. Proinde Imperium quovis modo acquisitum, obligat, postquam pactis certis est stabilitum. Hoc urgebat Agrippa, Rex Judæorum, adversus Zelotas, cùm Romanis bello decertaturis arma opponebant infensi: *Qui semel*, ait, *subactus deficit, non quidem libertatis amans dicendus est, verùm subditus rebellis*, Josephus *lib.*1. *de bello Jud. cap.*4. Unicum quod in isto casu excusat, est summum & certissimum periculum, quia populi internecio quæritur. Adeoque Imperium non amittit Princeps, nisi eo scelere, quo id creditur periturum. Cùm enim vel hîc maximè pœna non debeat excedere magnitudinem delicti, imperio, quod in omnes accepit,

pit, non privandus est, nisi qui omnium sit hostis, atque ea evertere contendat, in quibus constat, incolumitatem omnium versari. Ergò, si intoleranda sint omnibus ejus scelera, & nisi in tempore obviam eatur, in exitium omnium totiusque Reipublicæ sint exitura, licebit Proceribus populoque imperium ejus dissolvere. Talis enim Princeps esse desiit. Et subditis patientia commendata est, non quâ evertitur Respublica, sed quâ conservatur. Neque id in eos tantùm Principes licet, qui adstrictum certis legibus imperium habent, sed in eos etiam, qui imperium absolutissimum acceperunt. Par enim hîc eorum est ratio, cùm nec sub his, nec istis, Respublica debeat everti. Quanquam verò Albinus Gentilis, Samuel Bochardes, Henningius Arnisæus *l.d.* Tholosanus *lib.26. de Republica, cap.*7. contendant, ne quidem summum periculum satis causæ esse, ob quam liceat Tyrannum immedicabili furore repletum, armis depellere, nos tamen ab eis dissentimus cum Wilhelmo Barclajo *lib.*3. *de potestate Regia, cap.* 8. H. Grotio *lib.* 1. *de Jure pacis & belli, cap.* 4. *dist.* 7. *seq.* Johanne de Dicastillo *lib.* 2. *de Justitia & Jure, Tract.* 1. *disput.* 10. Keckermanno *in Cursu Philosophico, disputat.* 35. *quæst.* 4. Ratio est: Quia cives jure divino & gentium obligati sunt, conscientiam opesque suas tuendi adversus damna manifesta, adeoque cùm Princeps vel suâ, vel aliorum malitiâ corruptus, integram civitatem, Regni sui portionem magnam, exitio devovet, privilegia in civilibus minuendo, peregrina sacra obtrudendo, armis sæviendo, potest illa obsistere conatibus improbis. Suffragantur exempla. *Rarò moles illa convelli sine convellentium exitio potest*, dicente Tacito, *lib.*4. *hist.* Neronem pessimæ vitæ deditum Senatus ferebat hactenus, ad ultimas adulationes prolapsus etiam, *quod ultimum erat in servitute*, peregit, *quoties fugas & cædes jussit Princeps, toties gratiæ Diis actæ, quæq; rerum secundarum olim, tunc publicæ cladis insignia fuerunt*, ait Tacitus *lib.* 14. *Annal.* Donec eum militiæ Duces, Servius Galba Hispaniæ, & Julius Vindex Galliæ Præfecti, per seditionem everterent, & turbis exitiosis Rempublicam involverent, Senatus nihil opis attulit, nisi quòd vincenti parti sese applicarent, & quod prohibere non poterant, ita fieri permitterent, ne tota civitas in præsens discrimen adduceretur, neve opes suas, vitam suam, prædæ & gladiis militum objicerent, adeoque Nero profugus ab urbe, mortem conscivit sibi, rerum horrendè actarum conscientiâ adactus, quatenus turpiter vivendo, & crudelissimè agendo, nec amicum habebat, nec inimicum, Suetonius *lib.*6. *cap.* 40 *seqq.* & nos ex illo in Recensu historiæ universalis *lib.*5. *cap.*1. *dist.* 11. Judæi hactenus parebant Antiocho Syriæ Regi, libertate sua dudum spoliati per Chaldæorum bella, inde Persico Imperio accreverant, porrò Macedonum subditi, cum Syriæ Regno coaluerant. *Tacitus*: Dum penes Assyrios & Persas Imperium Orientis fuit, vilissima pars servientium erant Judæi, *lib.* 5. *histor.* Sed cùm ille Tyrannidem auspicaretur, divinis pariter atque humanis legibus contrarius futurus, ad arma convolabant, ne inulti perirent, quando cædibus suorum assueverat dudum Tyrannus, & Hasamoneæ familiæ ductu imprimis fugabant hostes, asserebant libertatem, 1. *Macab.* 1. 11. *seqq.* & nos in Recensu historiæ universalis,

H *lib.*

lib.24.cap.2.dist.4. Hispaniæ Rex Philippus volebat patriam suam, Belgicam hostilibus modis premere, conscientias uni Deo obnoxias turbare, opes familiarum proprias ad belli civilis usum corripere, gentem pacatam funestis animis atque armis terrâ marique proculcare, itaque fœderati Belgæ civilis belli depulsorem fortissimum, Wilhelmum Orangium, qui periclitanti patriæ saluti manum tutelarem porrigeret, nacti, & contrariis successibus provecti, multis in locis magnas hostium copias profligaverunt, urbes expugnaverunt, classes destruxerunt, in certam pro Republica mortem iverunt, Regem præliis omnibus victum abdicaverunt, exemploque ad omnia secula victuro ostenderunt, nullam vim Imperii tantam inveniri, quæ premente metu, possit esse diuturna, Emanuel Meteranus & Hugo Grotius *in historia Belgica*, & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib.23. cap.1. & 2.* quibus adde Martinum Schogkium, *libro de justitia belli Belgici, cap. 5. 6. seqq.* ubi tamen causam bonam tuetur argumentis non semper bonis. De Wilhelmo Orangio scribit *Boterus*: fuisse ove timidiorem, vulpe astutiorem, *lib.4 de ratione status.* Retinet Thomas Campanella *libro de Monarchia Hispanica, cap.27.* Falsò enim timidum arguunt, qui potentissimum Orbis Regem, consiliis & opibus validissimam gentem lacessere ausus est; qui Albanum Ducem militiæ peritissimum æquo iniquo loco ad certamen provocavit; qui pertinacem asserendę libertatis spiritum civibus suis ingeneravit; qui causâ melior, armis superior, unâ sicarii ære conducti manu tolli debuit, argumento quòd belli artibus vinci non posset.

CAPUT OCTAVUM.

Diatriba singularis de Consecratione Regum.

SUMMARIA.

1. *Herodiani relatio.*
2. *Vestes funeriæ.*
3. *Lectus funerius.*
4. *Consessus funerius.*
5. *Accessus funerius.*
6. *Exsequiarum pompa.*
7. *Cantus funerius.*
8. *Tabernaculum funerium.*
9.10.11. *Odores funerii.*
12.13. *Certamina funeria.*
14. *Ustio funeria.*
15. *Aquila funeria.*
16. *Relatio inter divos.*
17. *Tertulliani relatio.*
18. *Nota ad relationem.*

I. TAnta cùm esset Regum & Principum dignitas cùm viverent, à morte consecrari meruerunt. Ritus describit Herodianus *lib. 4. histor. cap. 2.* verbis, quæ sequuntur, quæque de Græcis expressit Angelus Politianus, ut Latina essent, notas verò nostras addemus. Cæterùm *Herodianus* ita habet: *Mos Romanis consecrare Imperatores, qui superstitibus filiis vel successoribus moriuntur, quique eo honore sunt affecti, relati dicuntur inter divos.*] Ita Augustus Julium, Augustum Tiberius, Nero Claudium, Titus Vespasianum, Domitianus Titum, Trajanus Nervam, Hadrianus Trajanum, Pius Herodianum, Marcus Pium, Commodus Marcum consecraverunt, omnes aut filii, aut destinati successores. Et hæc improba ab animo nimis facili,

facili profecta indigitatio, producit Deos omnes, orbemque implevit superstitiosis cultibus, *Sap.14.15.* Reprehendit *Kirchmannus*: Lapsus memoriæ est in Herodiano, quando Imperatores aliqui consecrati fuerunt, opibus exuti & filiorum nullorum parentes, demum quoque uxores Imperatorum inter divas relatæ sunt, quomodo Liviam Augusti uxorem consecravit Claudius, effigiem dicando, Vestales instituendo, currum in pompa Circensi decernendo, teste Suetonio, *lib.4.cap.11.* Hæc ille, *lib.4. de funeribus Romanorum, pag.642.643.* Verùm exempla superius allata, quorum similia passim extant plurima (& ordine referuntur apud Onufrium Panvinium, *Commentariis ad lib.2.Fastorum, pag.249.250. 251.*) defendunt Herodianum, adeoque certum est, primam consecrationem fuisse virorum Principum, sive hanc filiis suis, sive deberent successoribus imputare. De uxoribus Principum serius agi cepit, & quoque rarius, quando Nero etiam consecravit Poppæam, Tacitus *lib.16. Annal. c.21.* & Antonius Philosophus Faustinam suam, Capitolinus *in vita ejus c.26.* Rarius, uti dictum, contigerunt ista, & per aliquam velut imitationem, unde mos ille non poterat immutari, de quo pronunciandum est secundùm primam originem, ejusque consuetudinem communiorem.

II. *Est autem totâ urbe quasi luctus quidam, promiscuus festæ celebritati, quippe functum vita corpus ritu hominum sumptuoso funere sepeliunt.* De luctu solenni in funeribus, diximus *lib.4. Antiquit. Roman. cap.6. dist.4.* Quòd ait, *sumptuoso funere sepeliunt,* intelligi debet è communi lege ac more, quando corpora primò sunt exusta, pòst reliquiæ, cineres videlicet atque ossa, vino aliisque odoribus perspersa atque irrigata, in monumentum condebantur, ut dictum est *ibid.dist.9.13.* Namque corpora Principum perinde ut aliorum de vulgo, sunt cremata, deinde humata. Expressè verò *sumptuoso*, quando in funeribus Principum vestimenta funeralia erant, pretii maximi, quamobrem decretum fuisse Claudio *funus censorium*, ait Tacitus *lib.3. Annal. cap.13.* Censorium, id est, honoratissimum, & in quo omnia purpuria, vestes stragulaque fuerunt, uti exponit Lipsius *notis ad h.l. pag. 194.* De Pertinace Cæsare eodem modo Capitolinus *funus imaginarium ei & censorium ductum est,* in vita ejus cap.15. Imaginarium vocat, quod non corpori Pertinacis, utpotè dudum humati, sed ejus imagini ductum est, *censorium* nomine veteris seculi, quia Libertatis tempore Censura omnium dignitatum maxima & præstantissima habebatur, uti dictum est *lib.2. Antiquit. Roman. lib.2 cap.3. dist.5.* De Neronis exsequiis inter alia *Suetonius*, funeratus est impensâ ducentorum milliū, stragulis albis auro intextis, *lib 6.cap.50.* Hæc stragula unà cum involuto cadavere absumebantur flammis. Nam quod refert Beroaldus *enarrat. ad h. l. fol.297.* videlicet intelligi stragula ex lino incorruptibili confecta, quæ cadaveribus Regum injecta non quidem vetarent, quò minus exurerentur cadavera, interim hos cineres dirimerent à cineribus lignorum, hæc, *inquam*, stragula fortè apud Reges Indorum usitata fuerant, uti è fabulosis relationibus commemorat Plinius *lib. 29. histor.natural.cap.1.* Cæterùm apud Romanos veteres & novos haut erant. Et cur fuissent? Permiscebantur sanè cineres,

quia non curabatur, & cùm reliquias legebant, non quidem omnis cadaveris cineres conquirebant anxii, sed residuas ossium particulas indebant Urnæ. Subinde quidem pro affectu in defunctos aliquantulum cineris adsperserunt, verùm illud & oppidò exiguum erat, & cum cineribus aromatum permistum. Herodianus *lib.* 3. ubi describit Severi Cæsaris exsequias, τὸ γὰρ σωμάτιον πυρὶ παραδόντες, τήν τε κόνιν σὺν τοῖς ἀρώμασιν εἰς κάλπιν ἀλαβάστρου ἐμβαλόντες ἀπεκόμιζον εἰς τὴν Ῥώμην, εἰς τὰ βασίλεια ἱερὰ μνήματα ἀποθησόμενοι. Testantur hoc Urnæ, quæ non ita magnæ sunt, & præter ossicula vix manipulum cineris colliquati habent, uti diximus *lib.* 4. *Antiquit. Roman. cap.* 6. *dist.* 13.

III. *Sed ceream imaginem defuncto quàm simillimam fingunt, eamq́; in Regiæ vestibulo proponunt supra eburneum lectum maximum atque sublimem, vestibus instratum aureis.*] Quod de imagine cerea dicit, est apud Capitolinum verbis suprà allatis, *funus imaginarium*, & de tali imagine Cæsaris, quam Antonius ostentavit populo, in funere Principis ejus memorat quoque Appianus *lib.* 5. *bellor. civil.* Tacitus *lib.* 2. de funere Germanici, *ubi illa veterum instituta? præpositam thoro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina?* Quod in vestibulo Regiæ posuerunt, è communi lege erat, de qua monuimus *lib.* 4. *Antiquit. Roman. cap.* 6. *dist.* 3. Suetonius in exsequiis Augusti: A Bovillis equester ordo suscepit, urbique intulit, atque in vestibulo domus collocavit, *lib.* 2. *cap.* 100. Neque aliter est de cæteris. Lecto imponebantur mortui, uti diximus *ibidem dist.* 3. Eburneum verò Principes viri acceperunt, quando precium olim eboris ingens erat, inde Consulis sella eburnia, nec non currus Triumphantium eburneus, uti diximus *lib.* 2. *Antiquit. cap.* 3. *dist.* 6. & *lib.* 3. *Differt.* 2. *dist.* 4. Lectus eburneus auro & purpurâ constratus est quoque in funere Julii Cæsaris apud Suetonium, *lib.* 1. *cap.* 84. & in funere Augusti apud Dionem Cassium *lib.* 56. *histor.* Vestibus insternebant aureis, partim quòd communiter ita fieri solebat, partim ob dignitatem quia aurea erant, ut paulò anteà de Neronis funere diximus, ad augendos sumptus.

IV. *Et quidem imago illa ad ægroti speciem pallida recumbit, circa lectum verò utrinque magnam partem diei sedent, à læva quidem Senatus omnis vestibus atris amictus, à dextera verò matronæ, quas virorum aut parentum dignitas honestat, harumque nulla vel aurum gestans, vel ornata monilibus conspicitur, sed vestibus atris exilibus induta mœrentium speciem præbent.* Omnia illa ferè è lege communi exsequiarum, tantùm quòd lugentium dignior chorus & consessus. Vestes atræ in luctu apud viros erant, & vestes albæ apud mulieres, eæque non admodum preciosæ, verùm satis viles, uti diximus *lib.* 4. *Antiquit. Rom. cap.* 6. *dist.* 5.

V. *Hæc ita per septem dies continuos faciunt, Medicis ad lectum quotidiè accedentibus, inspectumq́; velut ægrum deterius sese habere subinde pronunciantibus.*] Nobilis φαντασία, sed Magnatibus propria, quando & hodiè defunctis in Gallia Regibus, non dissimile aliquid præstatur, diebus quadraginta ab excessu ministrantibus apud cereas horum imagines Aulicis, epulas apponentibus, Medicorum aditum requirentibus, perinde quasi viverent, aut saltem morbo affecti, nondum mortui essent, Thomas Demsterus *notis ad lib.* 3. *Antiquit. Rosini*,

pag.

pag. 479. Henricus Savilius *notis ad lib.* 1. *Taciti pag.* 56.

VI. *Deinde ubi jam visus est obiisse diem, lectum humeris attollunt, equestris senatoriique ordinis nobilissimi ac lectissimi juvenes, perq; viam sacram in vetus forum deferunt, ubi magistratus Romani deponere imperium consueverant.*] Lectus ebore exutus (quod in campo deponebatur) cum vestibus reliquis efferebatur & exurebatur, uti diximus *lib.* 4. *Antiquitat. Roman. cap.* 6. *dist.* 3. Senatorii ordinis viri succollabant, quod post Syllæ exsequias, contigit deinde in exsequiis Julii Cæsaris, Suetonius *lib.* 1. *cap.* 84. porrò quoque in funere Augusti, de quo Suetonius, *à Bovillis equester ordo suscepit, urbique intulit.* Et paulò pòst: *Senatorum humeris delatus in campum, crematusq;.* Et deinde: *Reliquias legerunt primores equestris ordinis.* Via sacra erat, quæ à Curia vetere, (id est, Pompeji, quam post cædem Julii Cæsaris obstruxerant Romani, teste Suetonio *lib.* 1. *cap.* 88.) incipiebat, & ad Capitolium pertingebat. Pro rostris sub veteribus à Druso Tiberii filio, laudatus est Augustus, ait Suetonius *l.d.* Hæc erat ad viam sacram, & quod in Capitolio deponerent magistratus imperium suum veteri ævo, diximus, *lib.* 1. *Antiquit. Rom. cap.* 8. *dist.* 6.

VII. *Utrinque autem gradus quidam sunt ad scalarum similitudinem extructi, in quibus altera ex parte puerorum chorus est è nobilissimis & patriciis, altera fœminarum illustrium hymnos in defunctum pæanasq; canentium verendo, ac lamentabili carmine emodulatos.*] De puerorum & virginum choro idem fuit in Augusti exsequiis: Canentibus næniam Principum liberis utriusque sexus, ait Suetonius *l.d.* Quia Imperator erat pater patriæ & communis omnium parens: Namque ex ritu næniam canebant solùm, qui propinqui mortuis erant, vel eorum loco præficæ, ut diximus, *lib.* 4. *Antiquit. Rom. cap.* 6. *dist.* 4. Aderant Siticines, quos pingit Jacobus Laurus *part.* 2. *Antiquit. Roman. Tab.* 12. & contestatur *Seneca:* Erat omnium formosissimum (funus Claudii) & impensa cura plenum, ut scires Deum efferri, tibicinum, cornicinum, omnisque generis æneatorum, tanta turba, tantus conventus, ut etiam Claudius audire posset, *in ludo Claudii consecrati.*

VIII. *Quibus peractis, tollunt iterum lectum, atque extra urbem perferunt in campum Marcium, ubi quà latissimè campus patet, suggestus quidam specie quadrangulâ lateribus æquis assurgit, nulla præterquam lignorum ingentium materiâ compactus in tabernaculi formam.* Posterioris ævi inventum artificiosum omninò erat, nam in Cæsarum primorum ustrinis nihil tale occurrit. Tantum de Julio refert *Suetonius*, funere indicto rogus exstructus est in campo Marcio juxtà Juliæ tumulum, & pro Rostris aurata ædes ad simulachrum Templi Veneris Genitricis collocata est, intraque lectus eburnius, auro & purpurâ stratus, *lib.* 1. *cap.* 84. Notavimus quæ huc pertinent, *lib* 1. *Antiquit. Roman. cap.* 12. *dist.* 17. ubi videri possunt. Ædem scilicet vocat tabernaculum illud in forma templi exstructum, ut ibi collocaretur Cæsaris corpus, donec laudatio perageretur. In foro laudabantur, ut de exsequiis Augusti refert Suetonius *lib.* 2. *cap.* 100. Cæsar tamen in foro ipso crematus est, non in exstructo ei rogo, quod per tumultum populi evenit.

IX. *Id quidem interius totum est aridis fo-*

mitibus oppletum, extrà autem intectis auro stragulis atque eboriis signis variisq́; picturis exornatum. Infrà verò alterum minusculum quidem positum est, sed formâ & ornatu persimile, portis januisq́; patentibus, tertiumque item & quartum semper superiore contractius, ac deinceps alia, donec ad extremum, quod est omnium brevissimum, perveniatur.] Ejusce tabernaculi pictura est apud Jacobum Laurum *l.d.* Tum quoq; in nummis Antonini Cæsaris (Antonius Augustinus *Tab.42.num.22.*) Faustinæ majoris Augustæ (*Tab.44.num.17.*) Aurelii Cæsaris, (*ibid. Tab.47. num.23.*) Faustinæ minoris Augustæ(*ibid.Tab.49.num.18.19.*) Lucillæ Augustæ (*ibid.Tab.50.num.16.*) Lucii Veri (Sebast.Erissus, *Expositione ad nummos Cæsarum, pag.341.*)

X. *Possis ejus ædificii formam comparare turribus his, quæ portubus imminentes, noctu igne prælato, navem in tutas stationes dirigunt: Pharos vulgò appellant.*] Opus Ptolomæi Philadelphi, Regis in Ægypto, de quo Strabo, Plinius, Pomponius Mela, Hircius *de bello Alexandrino*, locis plurimis.

XI. *Igitur lecto in secundum tabernaculum sublato, aromata & suffimenta omnis generis, fructus, herbasq́; succos omnes odoratos conquirunt atque acervatim effundunt. Quippe neque gens, neque civitas, neque qui honore ullo aut dignitate præcellat, quin certatim pro se quisque suprema illa munera honori Principis deferant.*] De odoribus & aromatis effusis in rogum apud Græcos & Romanos, diximus *lib.4. Antiquitat. Romanar. cap.6. dist.9.*

XII. *Ubi verò ingens aromatum acervus aggestus est, & locus omnis expletus, tum circa ædificium illud adequitant, universis equestris ordinis certâ quadam lege ac recessu, motuq́; pyrrichio, numeroq́; in orbem decurrentibus.*] Equi singulatores, de quibus actum est, *lib. 2. Antiquitat. Romanar. cap. 6 num.5.*

XIII. *Currus item decenti similiter ordine circumaguntur, insessi purpuratis rectoribus, qui personas ferant, quæ habent imagines Ducum omnium Romanorum, Principumq́; illustrium.*] Currus quadrigas pingit Jacobus Laurus *l.d.* in quo manifestum errorem committit. Nam in honorem Deorum Manium agitabantur trigæ, uti diximus *lib.2. Antiquitat. Roman. cap.6 dist.5.* & convincunt meliores picturæ, quas adfert Onufrius Panvinius *lib. 1. de Ludis Circensibus, fol.15.* Quòd præferebantur Larvæ, id est, imagines Ducum & Principum, est à communi lege & more, ut docuimus *lib.2. Antiquit. Rom. cap.1. dist.6. & lib.4. cap.6. dist.6.* Huc pertinet illud *Flavii Vopisci*: Et dignitatem Probo derogent, quem Imperatores nostri prudenter & consecrandum vultibus, ornandum templis, & celebrandum ludis Circensibus judicaverunt, *in vita Probi cap. 23.* Consecrandum vultibus, id est, ut imago ejus præferatur inter alias, quæ majorum sunt, pro funeris Principum deductione. Namque hæ imagines erant facies virorum cum humeris, ἐν προτομαῖς, atque præterea in vexillis appendebantur, uti diximus *lib. 3. Antiquit. Roman. cap.1. dist.6.* Malorum Principum imagines dejiciebantur, si fortè vivi posuerant sibi aliquas, neque earum ratio habebatur in processu funerum.

XIV. *Quæ ubi celebrata sunt, facem capit Imperii successor, eamq́; tabernaculo admovet. Tum cæteri omnes ignem subjiciunt, cunctaq́; illico fomitibus illis aridis odoramentisque*

quæ refert a, igne valido corripiuntur.] Imperii successor accendebat primus, velut proximus defuncti, nam & aliàs hoc usu venit, ut propinqui inflammarent rogos, aversâ facie, subjectis facibus, uti diximus *lib.4. Antiquit. Rom. cap.6 dist.9.*

XV. *Mox ab extremo minimoq; tabernaculo, velut è fastigio quodam simul cum subjecto igne adscensura in atherem aquila dimittitur, quæ in cœlum creditur ipsam Principis animam deferre.*] Aquila Regina avium & Jovis ministra, credebatur Heroum, ac Diis velut genitorum animas in cœlestes sedes inferre, ac sideribus imponere. Et quidem in Julii Cęsaris funere hanc animarum translationem credulum vulgus persuasit sibi & omnibus, propter visum Cometam. Dicebatur, esse animam Cæsaris in cœlum recepti, & hanc ob causam simulacro ejus addebatur stella super vertice, Suetonius *lib.2. cap.*88. Nummos annulosque veteres qui Cometam pręferunt, & habent Inscriptionem, DIVUS JULIUS, laudant Levinus Torrentius *notis ad h. l. p.63.* Joh. Tristanus *Commenariis de Imp. Rom. Tom.1. pag.33.* Sebast. Erissus *Expositione ad nummos Cæsarum, pag.*21.22.23. Æneas Vicus Parmensis *Expositione ad nummos Cæsaris, Tab.1. num.*10.12.16. Abraham Gorlæus *in Promptuario annulorum, num.3.*135.157. Antonius Augustinus *in Recensu numismatum, Tab.2.n.21. Tab.9.n.2*34. De Augusti anima Suetonius: Nec defuit vir prætorius, qui se effigiem cremati euntem in cœlum vidisse juravisset, *lib.2. cap.*100. Virum illum prætorium nomine proprio Numerium Atticum vocat Dion Cassius *lib.56. histor.* Nummos in consecratione Principum virorum procudebant cum apposita aquila, quomodo in consecratione Principum fœminarum signabantur nummi cum apposita imagine pavonis ocellatam caudam expandentis, Abr. Gorlæus *in Thesauro numismatum, Tab.*20 *n.*4. Ant. Augustinus *Tab.16.n.20. Tab.27.n.14. Tab.30.n.22. Tab.36. n.24. Tab.42. n.24. Tab.47. n.19. Tab.62. n.24. Tab.64. n.12.* Johannes Tristanus *Commentariis de Imp. Rom. Tom.1. pag 587. Tom.3. pag.196.* 201. 303. Sebast. Erissus *expositione ad nummos Cæsarum, pag.* 348. Hoc Artemidorus lib.2. Onirocriticorum cap.10. dixit, ὀχεῖσθαι αἰτῷ.

XVI. *Ac jam ex illo unà cum cæteris Numinibus imperator colitur.*] Templis & effigie numinum per flamines & sacerdotes, quæ omnia prolixè descripsimus *lib.1. Antiquit. Roman. cap.12. dist.*17. Nec tantùm per Flamines, sed quoque Flaminicas. *Inscriptio Brixiensis:* P. Posthumiæ. P. F. Paulæ. Avidiæ. Proculæ. Rutiliæ. Probæ. Sacerd. D. Julii. August. D. D. *Et alia Nemausensis*: D. M. Domitiæ. Græciniæ. Flaminic. Aug. V. S. P. *Et ibidem*: D. M. Sammiæ. Q. F. Flamin. Aug. Nemaus. C. Terentius. Apronianus. Amitæ. optimæ & piiss. *Gruterus* in Volumine pag. 320. n.11 p.321. n.5.9. Exemplum hujus rei à Livia, quæ Sacerdos mariti defuncti fuit è decreto Senatus. *Vellejus*: Livia Romanorum eminentissima, quam posteà conjugem Augusti vidimus, quam transgressi ad Deos sacerdotem & filiam, *lib.2. cap.75.* (Et Jacobus Schegkius *notis ad h. l. pag.397.*) Eò pertinent ista *Ovidii*:

Nec pietas ignota mea est, videt hospita terra,
In nostra sacrum Cæsaris esse domo.
Stant pariter natusque pius, conjunxque sacerdos,
Numina jam facto non leviora Deo.

lib.4.

lib.4 de Ponto, Eleg.9. Dicit, se quamvis absentem, colere tamen Augustum velut Deum aliquem in Larario suo, atque illi per imitationem addere Liviam & Tiberium, quibus non minus quàm patri ac marito Cæsari defuncto, offerat thura in ara privata. Natus pius est Tiberius, conjux sacerdos Livia. Inde sequitur:

His ego do toties cum thure cremantia verba,
Eoo quoties surgit ab orbe dies.

Sed parum hæc illi proderat adulatio, quando ab exsilio nunquam liberatus apud Barbaros obiit. Cæsarum Flaminicas, quæ Augustarum consecratarum aris templisque præerant, memorant Inscriptiones. *Italica*: Curtiliæ.C.F.Priscillæ.Sacerdoti.Divæ.Augustæ.ordo.VI.Viral. Nec non alia *Aquinensis*: Dentriæ.L.F.Pollæ.Sacerdoti. Divæ.Augustæ.post.mortem.D.D. Et *Brixiensis*: Æmiliæ.C.F.Æquæ.Sacerd.Divæ. Plotinæ.Coll.Cent.Titulo.usa. Et *Campanica*: Sæniæ.Cn.Fil.Balbillæ.Sacerdoti.Divæ.Faustinæ.Decuriones.ære.collato.ob. merita.ejus. *Gruterus* in Volumine pag. 320.num.12.pag.321.num.4.pag.322. num 12.5.

XVII. De hac Indigitatione ita loquitur *Tertullianus*: Non sufficerat vectigalium Deorum contumelia, de contemptu scilicet æstimanda, nec contenti estis Deis honorem non habuisse, nisi etiam quæcunque habetis, deprecietis aliquâ indignitate. Quid enim omninò ad honorandos eos facitis, quod non etiam mortuis vestris ex æquo præbeatis? Exstruitis Deis templa, exstruitis aras Deis, æque mortuis aras, eisdem titulis superscribitis literas easdem, statuis inducitis formas, ut cuique ars, aut negocium, aut ætas fuit. Senex de Saturno, imberbis de Apolline, virgo de Diana figuratur, & miles in Marte, & in Vulcano faber ferri consecratur. Nihil itaque mirum, si hostias easdem mortuis, quas & Diis cæditis, eosdemque odores excrematis. Quis istam contumeliam excuset, quæ ut aut mortuos cum Deis deputet? Regibus quidem etiam sacerdotia adscripta sunt, sacrique apparatus, ut thensæ, & currus, & solisternia, & lectisternia, lætitiæ & ludi. Planè quoniã illis cœlum patet, hoc quoque non sine contumelia Deorum. Primò quidem, quòd non decuerit alios eis annumerari, quibus datum sit, post mortem Deos fieri. Secundùm, quòd tàm libere atque manifestè coram populo non pejeraret, contemplator cœlitis in cœlum recepti, nisi contemneret, quos dejeraret, tàm ipse, quàm ei, qui ei pejerate permittunt, *lib.1. adversus nationes, cap.*10.

XVIII. Ad quæ verba cumprimis notamus sequentia. *Mortuis vestris ex æquo præbeatis.*] Regibus cumprimis, ut vulgus deinceps credat, fuisse illos è cœlitum numero, ac venisse cœlitus animos, carnemque hominum bono assumpsisse. *Senex de Saturno*] De qua re prolixius scripsimus lib.1. Antiquitat. Romanar. cap.7. *Regibus quidem etiam.*] Ita vocat Imperatores, qui illo ævo Regia cum potestate agebant omnia domi forisque. *Sacerdotia adscripta sunt.*] Sodalium inde numerus ingens exstitit, lib.1. Antiquitat. Romanar. cap.12. dist.17. *Sacriq; apparatus & thensæ*]. Thensæ sunt vehicula sacra, quibus portabantur Deorum & Indigetum sacra, cum pompa ordinum & officiorum, in Ludis Circensibus imprimis, qui Numinum honoribus consecrati erant, uti diximus lib.2. Antiquitat.

Roman.

Roman. cap. 6. dist. 1. Thensa ejusmodi, sive carpentum mulare in Ludis Circensibus traducta videtur in nummis Faustinæ, in altera ejusdem facie est Faustina cum patera & sceptro, uti Dea, Antonius Augustinus Tab. 43. num. 20. 21. *Et currus.*] Notat currus sacros illos, de quibus nunc diximus. Exempla copiosa prostant. Claudius Cæsar effigiem Liviæ templo intulit, ac sacra illi fieri à Vestalibus jussit, in Circensi pompa currum Elephantorum, quo veheretur ipsa, ut Augusti simulacrum decrevit, Suetonius lib. 5. cap. 11. Dion Cassius, lib. 60. histor. Carpentum hoc mulare Liviæ est in nummis apud Onuphrium Panvinium lib. 2. de Ludis Circensibus, pag 87. Et porrò idem Claudius parentibus suis inferias publicas, patri quoque Circenses annuos natali die, matri carpentum quod per Circum duceretur, consecravit, Suetonius l. d. Currus elephantorum Augusto post mortem dicatus est apud Ant. Augustinum Tab. 16. num. 24. Levinum Torrentium, Commentariis ad Suetonium, pag. 153. & 245. Currus Agrippinæ (quem Caligula Cæsar instituit, docente Suetonio, lib. 4. c. 15.) est apud Torrentium l. d. pag. 203. Antonium Augustinum Tab. 18 num. 16. 17. Quadrigæ elephantorum Claudio, Antonino Pio, Aurelio Philosopho, Lucio Vero, Helvio Pertinaci consecratæ sunt apud Antonium Augustinum Tab. 19. num. 24. Tab. 47. num. 17. 18. Sebast. Erissum Exposit. ad nummos Cæsarum, pag. 317. 342. Onufrium Panvinium l. d. pag. 87. *Et solisternia.*] Notat apparatus illos emortuales post excessum Principis, quasi viveret ille, uti est suprà dist. 5. *Et lectisternia.*] Similiter in descriptione honorum Julii Cæsaris, qui humanum fastigium excedebant, recenset Suetonius, thensam & ferculum in Circensi pompa, templa, aras, simulachra juxta Deos, pulvinar, flaminem, lib. 1. c. 76. Pulvinar, id est, lectisternium, atque de hoc genere sacrorum, vide quæ diximus lib. 1. Antiquitat. Roman. cap. 12. dist 9. *Lætitiæ & Ludi.*] Lætitias vocat publicam hilaritatem ob consecrationem Principis, & quos ludos intelligat, vide suprà dist. 10. 11. *Contemplator cœlitis in cœlum recepti.*] Notum, in Principum consecrationibus id solenne fuisse, ut præmio conducti inducerentur, qui in funere cœlum contemplando, assèverarent, vidisse se Principem in cœlos receptum, uti diximus suprà dist. 13.

CAPUT NONUM.

Diatriba singularis de quatuor summis Imperiis.

SUMMARIA.

1. *Colossus & bestiæ Danielis.*
2. *Nota ad ista Danielis relata.*
3. *Nota continuantur.*
4. *An Romanum Imperium intelligatur?*
5. *Nota ad relata Zachariæ.*
6. *Rationes, quòd intelligantur Alexandri successores.*
7. *Solvuntur rationes contrariæ.*
8. *Solutio continuatur.*
9. *Solvuntur instantiæ aliquæ.*

I. *Temporibus autem Regum istorum excitabit Deus cœli regnum, quod in secula non destruetur, & regnum ipsum populo alieno non relinquetur, comminuet ac con-*

sumet omnia Regna illa, ipsum verò stabit in secula.] Dan. 2. 44. Messias debuit nasci tempore illo, quo Seleuci & Lagi posteritas in Asia & Ægypto regnare desiit. Atqui dudum illa regnare desiit. Ergò dudum natus est Messias. Major est *Dan.*2.40.41.42.43. 44. ubi pars infima Colossi est prędictum de Seleucidarum & Lagidarum Imperio, alterum illud Regnum, quod circa illa tempora voluit excitare Deus, est æternum Regnum Messiæ. Rursum *Dan.*7.7.8.9. 10.11.12.13.14. bestia quarta est Imperium Seleucidarum & Lagidarum, quibus eversis, Messiæ adventus (quem nominat *filium hominis* vers. 15. uti frequens eadem appellatio est in Evangelio) promittitur, qui potestatem in omnes populos mundi habere debebat. Minor constat: Syriam occupabant Romani, postquam Tigranes Armeniæ Rex victus erat, Appianus *in Syriacis*, Florus *lib.*3.*cap.*5. Justinus *lib.*40. Porrò Ægyptum subegit Augustus, cæso Antonio, & extinctâ Cleopatrâ, Florus *lib.*4. *cap.* 11. Justinus *lib.* 40. Vellejus *lib.* 2. *histor.*

II. Notetur pro argumenti hujus confirmatione, unicè rectum sensum illorum esse, qui infimam Colossi partem & bestiam quartam interpretantur de Alexandri Magni posteris, in Syria & Ægypto Regibus. Ita Polychronius, Junius, Tremellius, Polanus, Grotius, *Commentariis ad Danielem*, Hugo Brugthonus, *in Concentu Scripturæ*, Grossius *Vindicatione ad Locos Scripturæ, Tom.*2.*pag.*482.*seqq.* Pezelius *in Mellificio historico, pag.*388.*seqq. part.*1. Johannes Scarpius *in Symphonia Prophetica, pag.*277. Daniel Chamierus *in Panstratia Cathol. Tom.*2.*lib.*16.*cap.*4.*dist.*8. Georgius Hornius *Notis ad lib.* 2. *Sulpitii Severi, pag.* 285. Breviter expendemus. Dan. 2. 28. *Quod futurum est in novissimis temporibus.*] Temporibus ab ætate nostra remotioribus, sive *posthac.* Ita enim valet id genus dicendi, ut constat Genes. 49. 1. Deuter. 4. 30. Esa. 2. 1. cap. 41. 22. Jerem. 23. 20. Proverb. 31. 25. Quod cùm non satis perpendunt interpretes, nimis prolatant complementum somnii, & tantùm non extrema ejus ad mundi finem pertrahunt. 29. *Quid esset futurum posthac.*] In Regno tuo patrio, & ei propter felicem armorum progressum adjectis à te provinciis, Arabia, Phœnicia, Ægypto, Asiæ desertis, de quibus est Jerem. 25. 9. seqq. *Tu es caput illud aureum.*] Ob res gestas fortiter & feliciter, ut majores omnes anteiverit gloriâ, τὸν παρὰ χαλδαίοις εὐδοκιμήσαντα ἡρακλέους μᾶλλον, ejus apud Chaldæos fama Herculem vincit, ait ex Megasthene Strabo, lib. 15. Geograph. ubi vocat ναβοκοδρόσορον. De eodem ex Abydeno & Megasthene refert Eusebius: Narrant Chaldæi, quondam cùm Regiam conscendisset, numine quodam afflatum eum hæc prædixisse: Veniet Persa semiasinus, qui vestris Diis auxiliantibus, servitium imponet, ô cives! hujus mali adjutor erit Assyriorum gloria, Medus, utinam eum, antequam cives prodat, mare profundum absorbeat! utinam & ego felicem exitum sortitus essem, priusquam hæc animo meo obversarentur! Hæc ubi effatus erat, statim disparuit, lib. 9. de Præparat. Evangel. cap. 4. Semiasinus Persa est Rex Cyrus, genitus patre Cambyse, qui nobilis Persa erat, & matre Mandane, quæ Regis Astyagis filia erat, Medicæ originis. Ejus rei interpres est Apulejus, Apolog. 1. & confer, quæ ex Herodoto diximus in Recensu historiæ universalis lib. 1. cap. 2. dist. 3.

dist. 3. Mali adjutorem vocat Nabonidum, ultimum Babyloniæ Regem, alio nomine est Darius Medus, Dan. 5. 30. cap. 6. vers. 1. 2. seqq. de quo retulimus in Recensu l. d. cap. 4. dist. 3. Eum deditione cepit Rex Cyrus ad vicum Borsippam. 39. *Regnum alterum.*] Persarum, latissimum quidem illud, uti constat Estheræ 1. 1. nec tamen potens ita ut Babylonicum, quando Nabogdonosor rebus præerat. Series Regum Persiæ hæc est: Cyrus, (Dan. 11. 2.) Cambyses, (ibid.) Darius Hystaspis, (ibid. & Esdræ 4. 6. Estheræ 1. 1.) Artaxerxes Longimanus, (Esdræ 4. 7.) Darius Nothus (Esdræ 4. 24) Artaxerxes Memoriosus (Esdræ 7. 1. Nehemiæ 2. 1.) Ochus, Arsames, Darius Codomannus (Nehemiæ 12. 22.) Hanc quidem enarrationem optimam esse statuimus, quanquam aliter omninò Isaac Vossius in Isagoga Chronologiæ sacræ cap 10. referat, & contendat, Assuerum (Esdræ 4. 6.) esse filium Darii Medi ejus, qui cum Cyro expugnaverat olim Babylonem, multisque annis, volente Cyro, imperavit: Artasastam (Esdræ 4. 7.) esse Cambysen: Darium (Esdræ 4. 24.) esse Hystaspen cognomento: Arthasastam (Esdræ 6. 15. Nehem. 2. 1. cap. 13. 6.) esse Xerxen: Ahasverum (Esther. 1. 1.) esse Artaxerxen Longimanum, adeoque Nehemiam sub Dario Notho mortem obivisse. Hæc ille. Verùm non approbamus ista, quandoquidem Nehemias commemorat Jaddum Pontificem, cap. 12. 10. 11. 12. & Sanballatham Cuthæum, cap 13. 28. qui omninò fuerunt sub Dario Codomanno, & uterque horum apud Alexandrum Macedoniæ Regem præsens compellavit, uti Josephus refert lib. 11. Antiquit. *Regnum tertium.*] Græcorum sub Alexandro Magno, qui præliis perinde ac victoriis orbem percurrit, Dan. 8. 5. seqq. 40. *Regnum quartum.*] Seleucidarum in Asia, & Lagidarum in Ægypto, quorum res integræ perstiterunt usque ad tempora proxima seculo Messiæ, in cujus adventu, & paulò pòst secuto Hierosolymorum excidio, vaticinia Prophetarum omnia desinunt, Dan. 9. 26 27. Malach. 4. 5. 6. *Durum.*] Violentum Judæis cumprimis nocentissimum. *Comminuet hæc omnia.*] Multis bellis vexabit Asiam, Ægyptum, Palæstinam. 41. *Ex firmitate ferri manebit.*] Origo illis erit à validis Regibus. Seleucus & Lagus militiæ Regiæ per Asiam Duces optimi hactenus fuerant. 42. *Ex parte Regnum illud erit solidum.*] Modò hi prævalebunt, modò illi, neque semper penes unam partem certa erit victoria. 43. *Commiscebuntur quidem humano semine.*] Necessitudinem contrahent per matrimonia, ut idem asseritur Dan. 11. 6. seqq. *Sed non adhærebunt sibi.*] Non servabunt fidem datam & acceptam, atque alter alterius Regnum occupare volet. Antiochus Magnus filiam suam Cleopatram dabat matrimonio Epiphani, ejus tamen vitæ & fortunæ insidiabatur, verùm providebant Romani Proceres, ne Rex juvenis damnum caperet, aderatque Marcus Æmylius Lepidus Pontifex Maximus, qui Alexandriæ commoratus, tutorio nomine Regnum pupilli administraret. Prostant nummi argentei, qui referunt ab uno latere Cybelen turrigeram, adscripto nomine, *Alexandria.* in altero, Marcum Lepidum togatum senem, qui à dextris stantem adolescentulum diademate ornat, verbis adscriptis: M. Lepidus Pont. Max. Tutor. Reg. S. C. Fulvius Ursinus in Recensu numismatum, pag. 7. Steph Pighius in Annalibus Urbis, Tom. 2. pag. 404 Porrò

Ægypti Rex Philometor filiam suam Cleopatram dabat nuptum Alexandro Syriç Regi, mox eundem generum suum armis persecutus, vita opibusque spoliabat, 1. Mac. 11.1.2.seqq. Balles cognomen est Principis apud Appianum & Eusebium, potestque educi è Justino, si vera lectio restituatur, hæc enim verba ejus sunt: *Subornant propalàm quendam fortis extrema hominem*, lib. 35.histor.cap.1. Multis conatur Berneccerus in annotatis pag.434.435. ut ostendat, quid sit *propalàm*. Frustrà omnia. Nihil verius est, ac quod scribi debeat, *Balam quendam*, uti notat Joh. Frid. Gronovius lib.2. Observat.cap.5. De quo nos dubitare haut sinunt illi, quos dixi, Eusebius & Appianus. 44. *Regnum quod in secula non destruetur.*] Regnum Messiæ, adversus quod non prævalebunt inferorum portæ, Matth.16.18. 1.Cor 15.12.seqq. *Comminuet omnia Regna ista*] Verbi ministerio, Matth.28.19.20.

III. Sequitur Dan.7.2. *Quatuor venti cœli pugnabunt in mari magno.*] Tempestas sunt ingentia bella, aquæ verò sunt populi, Apoc.17.15. Neque enim sine magnis populorum motibus esse poterat, cùm Imperia vetera everterentur, nova conderentur. 3. *Quatuor bestiæ magnæ adscendebant è mari.*] A populis quisque suis Imperator magnam vim opum virorumque nactus in alios ferebatur. 4. *Prima similis leoni, cui erant alæ aquilæ.*] Imperii Babylonici præstantissimus Dominus Nebucadnezar, fortis & truculentus, Jerem.4.7.13 cap.48.40. Threnor. 4.3. Ezech 17.3. *Avulsis alis ejus.*] Exstinctis bellorum causis. *In pedes velut homo stare coacta est.*] Continuit se in pace. *Cor humanum inditum est ei.*] Exsules Judæos in aliqua gratia habuit, 2. Chron.36.20.21. Jerem.52.31.32.seqq. 5. *Bestia secunda similis urso.*] Imperium Persicum, vicinis populis infestum, propter dominandi libidinem. *Habens tres costas in ore suo.*] Hæ costæ sunt tres populi, Medi, Persæ, Babylonii, è quibus sub Rege Cyro Imperium coaluit, ut diximus in Recensu historiæ universalis, lib. 1.cap.2 dist.3.cap.4.dist. 3. *Comede carnem multam.*] Multos spolia populos 6. *Alia similis parao.*] Imperium Græcorum celeriter partis victoriis acquisitum. Quamvis verò Plutarchus libro singulari conetur persuadere, omnia virtute Regis Alexandri confecta esse, fortunæ parum imputari debere, frustrà tamen ille est. Longè meliora sunt illa *Curtii*: Fatendum est, cùm plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ, quam solus omnium mortalium in potestate habuit. Quoties illum à morte revocavit? Quoties temerè in pericula vectum, perpetuâ felicitate protexit? Vitæ quoque finem eundem illi quem gloriæ statuit. Exspectaverunt eum facta, dum Oriente perdomito, aditoque Oceano, quicquid mortalitas capiebat, impleret, lib.10.histor. *Alæ quatuor volucris erant in dorso ejus.*] Ut velociter peragraret orbem. *Quatuor capita.*] Divisum à se quatuor Imperia minora effecit. 7. *Bestia quarta timenda & terribilis.*] Seleucidæ & Lagidæ sub unius bestiæ figura describuntur, quoniam una domo oriundi, & Regis unius magnum Imperium inter se divisum administraverunt. *Dentes ferreos habebat.*] Sæviebat in Judæos, interemptis multis millibus. *Reliqua.*] Relictos à gladio. *Pedibus conculcabat.*] Carceribus vexabat, exilio damnabat, militum præsidio affligebat. *Eratq́, diversa ab omnibus bestiis antegressis.*] Multò crudelior. Nam Persiæ Re-

ges

ges & Alexander Macedo benigniter admodum cum Judæis egerant, & pro salute sua in templo Hierosolimitano preces ad Deum, & sacrificia offerri, imperaverant. *Cornua decem habebat.*] Decem Reges imprimis sese armis persecuti mutuò, damna maxima intulerunt Judæis. 8. *Ecce cornu ultimum parvum.*] Antiochus Epiphanes. *Tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus.*] Partim vi, partim fraudulentis artibus suis tres Reges oppressit. *Oculi similes oculis humanis.*] Cautus in rebus gerendis. *Os loquens grandia.*] Impiis dictis adversus Deum Israëlis prolatis. 9. *Antiquus dierum.*] Deus, qui fata rerum omnium solus temperat. 10. *Judicium consedit.*] Angeli velut ministri judiciorum, 1.Reg.22.19. seq. 11. *Donec occisa est bestia.*] Pompejus Syriam, Augustus Ægyptum in provinciæ formam redegerunt. 12. *Aliarum quoque bestiarum potestas ablata esset.*] Reliqua Asiæ & Africæ Regna mutaverant Reges suos, quæque hactenus fuerant sub Nebucadnesare, Cyro, Alexandro Magno, omnia illa vel à Parthis subjugata fuerant, vel Romanis accesserant. 13. *Filius hominis veniebat.*] Messias, de quo prædixerat Jacob, Gen. 49. 10. fore ut ad eum colligerentur omnes populi, & de quo Esaias vaticinatur, quòd futurus esset אבי עד pater futuri seculi, cap 9.6. id est, author novi fœderis, τῆς οἰκουμένης τῆς μελλούσης, Hebr. 2.5. seq. 14. *Dedit ei potestatem & honorem.*] Confer novi fœderis loca, Luc.1.33. Philip.2.9.10. Apoc.13.7. seq. 21. *Bellum gerere cum sanctis & prævalere eis.*] Epiphanes bello aggressus Judæos, regionem omnem, urbes, templum devastavit, incolis aut interfectis, aut ejectis. 22 *Judicium datum est sanctis excelsi.*] Post eversos Seleucidas, & brevi post ablatum à Juda potestatis civilis exercitium liberum venit Messias, novi Regni author. 23. *Universam terram.*] Judæam, partem Syriæ meliorem. 24. *Alius consurget.*] Antiochus Epiphanes. 25. *Sermones contra excelsum loquetur.*] Verum Deum, quem Judæi colunt, spernet, ejusdemque numen dictis factisque incesset, 1.Macc.2.6. 2.Macc.9.28. cap.10.4.34. cap.11.34.35.36. cap.12.14. *Mutare velit tempora.*] Abolebit festivitates, 1.Macc.1.47. *Et Legem.*] Legis constitutiones abrogabit, 1.Macc.3.29. *Tradenturq; in manus ejus.*] Deo permittente, ut virtus bonorum exploretur. *Usque ad tempus.*] Annum integrum. *Et tempora.*] Duos annos integros. *Et dimidium temporis.*] Dimidium annum. Tribus annis cum dimidio vexati Judæi, & dira passi, armis deinceps correptis, expulerunt Syros. Confer Dan.12.7 8. seqq. 26. *Auferatur potentia ejus.*] Regnum Asiaticum desinet, cùm Tigranes primùm, deinde Romani illud corripient. 27. *Regnum autem & potestas sub toto cœlo dabitur populo sanctorum.*] Regnum Messiæ propagabitur ad omnes mundi partes.

IV. Ad Romanum Imperium applicant Hieronymus & Theodoretus, *commentar. h. l.* Sulpicius Severus *lib. 2. historiæ sacræ, cap.4.* Matthæus Beroaldus *lib.3. Chronologiæ, pag.293. seqq.* Paræus, Cornelius à Lapide, Pererius, Sanctius *Commentariis ad cap. 2. & 7 Danielis.* Tirinus *ibid.* Alphonsus Mendoza *in floribus Philosophiæ, quæst. 17.* Nicolaus Hemmingius *in Operibus Theologicis, pag.209.* Besoldus *libro de Jurisdictione Imperii, cap.3.* Daniel Brenius *notis ad Vetus Testamentum, fol.228.230.231.*

Salomon Gesnerus *disputat. 2. in Danielem, quæst.13.14.18. disput.7. quæst.5.8.9.10.12.13.* Johannes Gerhardi, *Loco de Magistratu Politico, dist.135.seqq.* Ananias Sturcius *Dissertatione de quatuor Monarchiis*, Benedictus Carpzovius *Commentariis ad Legem Regiam, pag.74.* Petrus Laurembergius *in Epitome Politica, cap.6. dist.2.* quos vulgus Interpretum sequitur. *Bakius* scribit: Si Romana Monarchia non indigitatur Dan.2. & 7. capp. utique cum Judæis dubitare oportet, an jam venerit Messias. Debuit enim Messias sine manibus abscindi velut lapis, Dan.2.45. sub quarta Monarchia, quæ si nostra Romana non est, quæ tandem fuerit? *In Enarrat. Evangel. pag.* 141. Respondeo: Planissima est demonstratio, quam paulò anteà proposuimus: Messias debuit nasci post Syrorum & Ægyptiorum Regna eversa. Atqui dudum illa eversa sunt. Ergò Messias venit. Contraria sententia impedit potius, ne Judæi agnoscant tempora Messiæ, quando multa de Imperio Romano & Antichristo, nec non de Turcis & Saracenis multa hîc annotantur, prorsus à mente Vatis diversa, utpotè de rebus populum suum concernentibus solliciti.

V. Par locus est Zachariæ 6. 1. 2. seqq. *Ecce quatuor currus prodibant è medio duorum montium.*] Sunt montes Ciliciæ, per quos commeabant Assyrii, Babylonii, Persæ, Macedones, quando in Syriam & Ægyptum ultrò citròque adire volebant. *In curru primo equi rufi erant.*] Chaldæi truculenti. *In curru secundo equi nigri.*] Persæ vastatores orbis. *In curru tertio equi albi*] Græci semper victores, & cum triumpho, erant enim equi albi in triumphis, uti diximus lib. 3. Antiquit. Rom. dissert. 2. dist. 4. *Et in curru quarto equi varii.*] Lagidæ & Seleucidæ in Ægypto & Asia potentes. *Sunt quatuor venti cælorum.*] Imperia toto orbe notissima. *Egrediuntur.*] Viribus armantur, populorum concursu. *Ut stent coram Domino terræ.*] Efficiant decreta ejus. *Equi nigri egrediebantur in terram Aquilonis.*] Persæ expediebant in Babyloniam, & Nabonidum profligabat Cyrus. *Albi egressi sunt post eos.*] Græci victricia arma sumpserunt adversus Persas, qui Babyloniam devictam obtinebant cum citeriori Asia & partibus Africæ. *Et varii egressi sunt in terram australem.*] Seleucidæ per Asiam potentes, è Babylonia profecti, exercitum ducebant in Ægyptum, Dan.11.5.6.7.seqq. *Robustissimi.*] Antiochus Epiphanes turbis ubique gentium excitandis aptissimus. *Exiverunt.*] Obibat cum exercitu suo per vicinos populos Egyptios, Armenios, Parthos, Judæos, Arabas, ut spolia daret vel acciperet, Dan. 11.40.41.42.43.44. *Et dixit.*] Nempè Deus, sub quo Reges omnes sunt. *Perambulate terram.*] Volebat enim Judæorum pietatem veluti ad cotem explorare, Ezech. 38. 11. seq. Dan.11.16.seqq. *Qui egressi sunt in terram Aquilonis.*] Cyrus cum exercitu progressus in Babyloniam. *Requiescere fecerunt spiritum meum.*] Confecerunt ultionem meam super populum istum decretam, Esa.44.23. cap.45.1.seqq. Jerem. 50.1.2. seq. cap.51.1.2.seqq.

VI. Argumenta nostra sunt ista: (1.) Regnum illud intelligitur, quod circa adventum Servatoris desinebat, Dan.2.40.44.45. cap.7.23.27. Verùm cum adventu isto non desinebat Imperium Romanum, ac potius efflorescebat, destructis per Romanos Syrorum & Ægyptiorum Regnis. Excipit *Felvvingerus*: Eversio ista non debet intelligi ratione dominii temporalis, sed extir-

patæ

patæ idololatriæ. Probatur, quòd Seleucidæ & Lagidæ jam desiverant ante Christum natum, quodque Vates prædicit statum Ecclesiæ militantis in his terris, quæ non tollit Politias, non verò Ecclesiæ in vita altera triumphantis. *Respondeo*: De eventis civilibus principaliter agit vaticinium, uti constat satis, quando Nebuchadnesar animo sollicito inquirebat de futuris, non quidem in Ecclesia, sed in vasto Imperio illo, quod ipse armis suis constituerat, *Dan.* 2.29. Proinde eversio debet intelligi ratione dominii temporalis, quando Babyloniorum, Persarum, Græcorum Imperia hactenus mutabantur in civili rerum administratione, ab Idolorum cultu non repurgabantur. Lagidæ & Seleucidæ paulò ante adventum Servatoris desiverunt, hoc sufficit, quando modicum non curat sive Prætor, sive Vates. Quæ de statu Ecclesiæ militantis adduntur, Deus scire voluit Judæos, ut de novi fœderis apparatu eò minus errare possent, adeoque describitur, quid futurum esset, non quid Ecclesia ex sese præstaret. (2.) Regnum illud intelligitur, quod cum primo ortu suo habebat duo crura. Verùm hoc est de Lagidis & Seleucidis, qui post Alexandri Magni obitum, particulas Imperii ejus meliores corripuerunt, non etiam verum est de Romanis, qui aliquot demum seculis post natum Christum, Orientis & Occidentis Imperia condiderunt. Excipit *Felwingerus*: Non dicitur in textu, quòd statim cum initio sui deberet Imperium illud esse divisum, verùm hoc vult, quòd Judæi post natum Christum non deberent animis collabi, quando ille debebat instituere æternum & immutabile Regnum, & sub illo quartum Regnum debebat comminui quoad cultum Idolorum. *Respondeo*: Imò expressè dicitur, quòd cum prima origine habere debeat crura duo. De Judæis verum est, quòd habere debebant certissima signa adventus Messiæ, verùm illa petenda erant inde unicè, si non amplius exstarent potentes illi Syriæ & Ægypti Reges, invicem litibus & bellis operam navare soliti. Projectus Idolorum cultus non tàm debebat esse prænuncium signum venturi Messiæ, quàm effectus ejus postquam venerat novi fœderis author, *Esa.* 9.2 3. *cap.* 11.10. *cap.* 42.1.4.7. *cap.* 49.6. *cap.* 60.1.2.3. *Zeph.* 3.9. *Zach.* 9.10. (3.) De illo Regno loquitur Propheta, ubi Regum amicitiæ per matrimonia coalescere, quanquam fide instabili, debebant. Atqui nihil tale in Imperio Romano factum est, sed multoties contigit in Seleucidis & Lagidis, *Dan.* 2.43. *cap.* 11.6. 1. *Macc.* 10.51. *seqq.* *cap.* 11.12. *seq.* Ergò. Excipit *Felwingerus*: Postquam divisum fuit Imperium Romanum, tentabatur unio per matrimonium Caroli Magni & Irenes, verùm non successit. *Respondeo*: Frustrà ad Carolum Magnum abitur, tùm quòd finis vaticiniorum omnium veteris fœderis, est cum destructione populi Judaici, *Dan.* 9.27. *Malach.* 4.6. tùm quòd Daniel ipse interpretatur de Asiæ & Ægypti Regibus, *Dan.* 11.5. *seqq.* tùm quòd agatur de matrimoniis consummatis, quanquam hæc non potuerint bellorum causas tollere. De Caroli Magni tentatis cum Irene Orientis Regina nuptiis dici non potest, quòd consummatæ fuerint. (4.) Regnum illud intelligitur, quod ante adventum Servatoris in carnem, veri Dei cultum apud Judæos impediebat, *Daniel.* 7.25.26.27. Atqui non Romani, verùm Seleucidæ & Lagi-

Lagidæ ante adventum Servatoris impediverunt veri Dei cultum apud Judæos. Ergò. (5.) Illud Regnum intelligitur, quod obtinuit primam universalis Imperii sedem, Babylonem, post Babilonios, Persas, Macedonas. Atqui Romani nullo unquam tempore obtinuerunt primam universalis Imperii sedem, Sabylonem: Obtinuerunt verò illam Seleucidæ. Ergò non intelliguntur Romani, verùm Seleucidæ. Excipit *Felvvingerus*: Non obest sollicitudo Regis, siquidem vaticinii scopus est, Regi manifestare statum Regni sui post mortem, videlicet Deum traditurum illud gentibus aliis, puta Persis, Græcis, denique Romanis, quorum Imperium suo tempore divideretur in Orientale & Occidentale. *Respondeo:* Atqui Romani non habuerunt Babylonem, quæ erat Imperium Nebucadnesaris. De cęteris patet ex illis, quæ diximus.

VII. Seriò contradicunt Gesnerus, *disputat.* 2. & 7. *ad Danielem*, Christoph. Helvicus *in Synopsi historiæ universalis, pag.* 5. *seqq.* Christ. Matthias *in Theatro historico lib.* 1. *pag.* 1. 2. 3. *prolegomen.* & *lib.* 4. *pag.* 1. 2. 3. *prolegomen.* Graserus *in historia Antichristi, pag.* 45. *seqq.* Petrus Molinæus *in Exegesi vaticiniorum, pag.* 450. *seq.* & *pag.* 502. *seqq.* Reineccius *in Clavi Theolog. lib.* 4. *pag.* 111. 112. Cl. Felvvingerus *in Dissertationibus Politicis, pag.* 540. *seqq.* & pro Imperio Romano has adferunt rationes: (1.) Quarta bestia superstes erat tempore eo, quo Servator nascebatur, *Dan.* 2. 44. 45. Atqui Syriæ & Ægypti Reges dudum eversi erant per Romanos, Romani supererant tunc cùm Servator natus est. Ergò Romani intelliguntur, non Reges alii. (2.) Quarta bestia est prorsus alia & diversa ab omnibus præcedentibus, *Daniel.* 7. 7. 19. 31. Lagidæ & Seleucidæ non sunt alii & diversi à præcedentibus, erant enim successores Alexandri Magni, *Dan.* 7. 6. Ergò non sunt bestia quarta. (3.) Parvum cornu est majus præ cæteris decem, *Dan.* 7. 24. Verùm Antiochus Epiphanes, qui corniculum censetur esse, non fuit potentior cœteris, postquam Antiochus Magnus prælio à Romanis victus, optimas provincias tradiderat. Ergò. (4.) Non possunt monstrari cornua tria, quæ Epiphanes avulsit, si ille corniculum est. (5.) Nec possunt monstrari cornua decem in successoribus Alexandri Magni. (6.) Post eversum corniculum, debet sequi Regnum perpetuum apud Sanctos in cœlis, *Dan.* 2. 44. 45. *cap.* 7. 22. Atqui post obitum Epiphanis nondum aderat regnum cœleste. (7.) Regnum, de quo Propheta agit perstabit ad novissimum diem, *Dan.* 7. 9. 17. At Seleucidæ & Lagidæ ante Servatoris adventum desiverunt esse. Ergò. *Hæc illi.*

VIII. *Respondeo:* Non ita dudum post eversos Lagidas venit Servator, adeoque verum est, quòd Regum istorum memoria adhuc durabat, idque sufficit ad defendendam notationem temporis. (2.) Imò *diversa* est ideò, quia distracta est in plures dominatus particulares, cùm anteà Regem unum Alexandrum Magnum haberet. (3.) Non dicitur in Ebræo, *quòd corniculum sit majus futurum*, sed locus rectè conversus ab Ariæ-Montano sonat, *ipse differet à prioribus*, id est, decessores suos exercitâ in Judæos crudelitate, vincet, *vers.* 23. 24. Neque enim quisquam Regum Syriæ vel Ægypti ita in Judæos crudelis fuit, quàm Antiochus ille ὁ ἐπιμανής, de quo idem Propheta accuratè agit, *cap.* 11. 28. *seqq.* (4) Antiochus obses Roma-

Romanus vilis & degener à patre suo æstimatus, *Dan.*11.21. partim vi armorum, partim artibus fraudulentis tres Reges legitimos oppressit. Seleucus Rex frater ejus occisus est, operâ Heliodori Purpurati, quem ad cædem hanc perpetrandam, occultis promissis Antiochus permovisse non vanè creditur. Spoliatus Regni honore Demetrius, ejusdem Seleuci filius, & legitimus hæres, qui posteà illud repetivit armis: Regno Ægypti pulsus ferè est Ptolomæus Philometor. Confer Appianum *in Syriacis*, 1. *Macc.*1.11.*cap.*14.1.*seqq. Dan.*11.22.23.24. 42.43. & nos in Recensu historiæ universalis, *lib.*3.*cap.*2.*dist.*8.9.10. Regerunt: Antiochus non potuit bello vincere Demetrium, quem constat, successisse demum Antiochi ejus filio. *Respondeo:* Cùm Regni hæres Demetrius esset, præterito illo, Romanorum consensu, & Eumenis Asiæ Regis commendatione adducti Proceres, Antiochum constituerunt Regem, eique Antiochus Eupator, filius ejus, successit, quo demum occiso, Demetrius patriam hæreditatem recuperavit, 1.*Macc.*7.1.2. 2.*Macc.*14. 1. Josephus *lib.*12. *Antiquit.cap.*15. (4.) Possunt utique monstrari decem cornua illa: Ptolomæus Lagus (qui Judæorum multa millia abduxit è Palestina, Josephus *lib.*11. *Antiquitat.cap.*1.) Seleucus Nicanor (qui primus Judæam corripuit, veluti inclusam Syriæ territorio) Ptolomæus Evergetes, Seleucus Callinicus, Antiochus Magnus, Ptolomæus Epiphanes, Seleucus Philopator, Antiochus Epiphanes, de quibus omnibus plura diximus in Recensu historiæ universalis, *lib.*3.*cap.*2.*dist.*1.*seqq.* Regerunt: Non quidem Reges, sed Regna indicantur. Neque Reges Ægypti debent permisceri cum Regibus Syriæ. Denique corniculum Epiphanes oritur post decem cornua illa. Ergò non potest decem illis accenseri. *Respondeo:* Nego, quòd Regna indicentur: Cornua prominent in animali, sic Reges inter Regni cives. Eminenter notat illos utriusque domus Reges oppressores, qui Judæam afflicturi essent, vel per se, vel occasionem à bello nacti. Reges Syriæ & Ægypti permiscentur, quoniam fuerunt ejusdem originis, nempè ab Alexandro, eorundem morum, quoniam bello invicem sese vexabant, & Judæos, qui perindè ut Syri & Afri prævaluerunt, nunc horum, nunc illorum vestigia sequi cogebantur. Epiphanes, quà ortum, est ex decem illis, quà res gestas, discernitur ab illis. (5.) Sanctos intelligit, non illos in cœlis qui triumphant, sed in terris, qui militant hactenus, communionem Sanctorum, quorum nomina perscripta sunt in cœlis, quique animo jam in cœlis sunt, cœlestia cogitant, curant ea, quæ ducunt illuc, cœlestibus legibus reguntur, *Philip.*3. 20. *Apoc.* 4.8. *Luc.*10.20. *Hebr.*12.23. Post Seleucidas & Lagidas eversos venit Messias Rex Sionis, & per Evangelii præconium conscribit orbe toto gentes, *Psalm.*2.9. *Zach.*12.3.4.5. *Matth.*16.18.*seqq.cap.*18.18 19.20. *Luc.*1. 33.*seq.* (7.) Major fallit, nec enim potest hoc exponi de judicio extremo. Ratio hæc est: Lapis ille de monte revulsus, & filius hominis in nubibus veniens, totum orbem implebant gloriâ. Atqui Regnum Christi non demum post ejus adventum in judicio universali, erit gloriosum, sed tale cepit esse cum primo adventu ejus, docendo, moriendo, resurgendo, in cœlos ascendendo, *Psal.* 110.1.2.*seq. Hagg.*2 4.5 *seqq.* Id ostensum fuit, cùm ingruebat ventus magnus, & implebat

plebat totam domum, in qua sedebant Apostoli, *Actor*.2.2. Ventus signum divinæ præsentiæ, *Gen*.3.18. & quidem vehemens, ut magnitudo donorum supra Prophetas indicetur. Domusque tota impletur, præsagium sic etiam implendi totius orbis, per quem Ecclesia diffusa est, quatenus Apostoli prædicare imprimis debebant potentiam Dei, quæ Jesu resuscitato apparuit. Id enim præcipuum argumentum fuit, quo conversus est mundus, *Actor*.1.22. *cap*.2.24. *cap*.3. 33. Est ergò judicium particulare ἀνθρωποπάθως, ut notetur, divino consilio Regnorum periodos dispensari, & ab uno populo ad alium transferri. Confer *Psalm*.50.1.2. *seqq*.1.*Reg*.22 19.*seqq*.

IX. Instat *Gesnerus*: (1.) Venit filius hominis cum nubibus cœli & magnâ potentiâ. Atqui hoc non est factum, cùm veniebat in carnem. (2) Venit filius hominis ad judicium. Atqui in primo adventu non venit Servator, ut quenquam judicaret, *Joh*.3.17. *cap*.12.46. (3.) Venit filius hominis cum Patre & Spiritu sancto, nec non cum Sanctis aliis. Atqui ita describitur judicium novissimum, *Matth*.25.31.*seq*. *Luc*.22.69.*Apoc*.4. 3.4.*seqq*. (4.) Aperiuntur libri, quæ circumstantia judicio ultimo convenit, uti *Apoc*.20.11.12. videre est. (5.) Prorsus abolentur Imperia, quod non est factum in primo adventu Servatoris. (6.) Regnum & potestas dantur populo Sanctorum Altissimi, quod non est factum in primo adventu, sed fiet in novissimo judicio, *Matth*.25.34. Sic ille *disput*.7.*ad Danielem quæst*.24. Respondeo: (1.) Verè ad patrem rediit filius hominis in nubibus, cùm in cœlos ascendit, & Apostolis suis paulò antè præcepta dederat, ut Regnum gratiæ, quod per adventum primum sanciverat ipse, prædicarent orbe toto, *Luc*.24.48.*seq*. *Actor*.1.4.5.*seq*. (2.) Judicium hîc describitur, quo Deus fatorum arbiter, voluit Asiæ & Africæ Regna hactenus Regum suorum potestati obnoxia, ad peregrinum statum redigere, idque futurum erat eo ferè tempore, quo Servator orbis tot Prophetarum vaticiniis celebratus, tantis piorum omnium votis postulatus, venire, & novum Regnum auspiciis suis condere, novumque populum conscribere debebat. (3.) Etiam particularia judicia describuntur per solennem consessum, ut Deus secum habeat præsentes Angelos, rerum humanarum vicarios Rectores, 1. *Reg*. 22. 19. *seqq*. *Dan*.4.14.21. *Joel*.3.1.2.*seq*. *Apoc*.1.7. (4.) De libris perinde est in judiciis particularibus, suntque libelli acta litis: Per acta litis intellige hominum cogitata, dicta, facta, quomodo Reges habent commentarios rerum gestarum, *Malach*.3.16. Verbo, notatur, quòd series fatorum sit revoluta. (5.) Omninò factum esse constat. Ubi enim Seleuci & Lagi Regna erant tempore eo, quo Servator veniebat in carnem? (6.) Doctrina Evangelii invaluit per orbem, ut Jesus Nazarenus ubique coleretur autor fœderis ejus, quod in melioribus promissis fundatum est, eoque major gloria hæc erat, quandò notum est, Legem veterem populo uni latam, exiguis Palestinæ finibus sese continuisse, *Philip*.2 9.10.11. *Apoc*.4.10.11. *Psalm*. 147.19.20. Et quòd in veteri fœdere mentio est cujusdam novi fœderis, *Jerem*. 31. 40 *Dan*.9.24.*seq*. At in novo fœdere asseritur, nullum exstiturum posterius, *Matth*. 28.20.

CAPUT DECIMUM.

De civili potestate Papæ.

SUMMARIA.

1. *An Papa habeat potestatem civilem?*
2. *Rationes pro negativa.*
3. *Solvuntur rationes contrariæ.*
4. *Monachi parricidæ.*
5. *Galliæ Regis periculum.*
6. *Navarrhæ Regis fuga.*

I. PApa Latinus, postquam sedem primam inter alios Patriarchas, amplissimarum Ecclesiarum Præfectos, Imperatorum commendatione & suffragio obtinuisset, pertæsus fortunæ suæ, ingratissimus erga Dominos suos, Imperatores, ne beneficium illis deberet, & quasi nihil dum egisset, ad temporalem dominationem unà habendam, omnes animi nervos intendit. Et successit, ut libertas Christiana in horrendam servitutem verteretur, ut servi insiderent equis, Principes verò ut servi irent super terram, *Eccl* 10.4. Itaque docent Canonistæ veteres & novi Pontificii, quòd Papa habeat dominium in Reges & Principes imprimis Christianos, ita, ut eorum acta inspicere, approbare, pro lubitu reprobare possit, morigeros præmiis afficere, & nisi ad quævis jussa ejus pareant, nisi Papalem authoritatem defendant, excommunicare illos, deprivare illos, id est, cives sacramento & religione obsequii exsolvere, solio deturbare, cædibus privatorum objicere impunè, alios subrogare possit, velut summus & unicus orbis ad Christi fidem conversi, Rector. Magno conatu hoc olim egit, decretisque stabilivit Hildebrandus Papa, alio nomine Gregorius VII. vir perversè crudelis, Imperatoris Henrici IV. funestus hostis, uti docent acta ejus descripta apud Bennonem, Platinam, Balæum, quibus adde Philippum Mornæum, *in mysterio iniquitatis, pag.*518.*seqq.* Abrogabat ille Cæsari Domino suo contra omne jus fasque Imperium, jubebatque pro Imperio, ut Proceres Cæsarem alium eligere vellent, Imperatori novo ab eis electo favebat ita, ut Proceribus illis prolixas grates ageret, *peccatorum omnium remissionem in hac & futura vita concederet*, Sigonius *lib.9.historiæ Italicæ*, & nos *lib.10. historiæ universalis, cap.2. dist. 5. 6.* Frustrà verò occupatur Onuphrius Panvinius *libris quinque de rebus gestis Hildebrandi*, ut ferrea decreta vel excuset, vel defendat. Porrò defendunt illa Martha Neapolitanus *Tractatu de Jurisdictione lib 1. cap.*18. 19 20. Balthasar Ajala *de Jure belli lib.1.cap. 2.num.*27. Nicolaus Sanderus *libris de Monarchia visibili*, Caspar Scioppius *in Ecclesiastico cap.*42.*seqq.* Thomas Bozius *lib.3.de ratione status cap.*1.2.3.*seq.* Franciscus Bozius *libris quinque de temporali Ecclesiæ jurisdictione*, Bellarminus *lib.5.de Pontifice Romano,cap.*6.7 8. Franciscus Suarez *adversus sectam Anglicanam lib.6.cap.*4. Johannes Azorius *lib. 8. Institut. moral. cap.*13. *lib.*10. *cap.*9. Adamus Conzenus *lib.6.doctrinæ civilis pag.*8.9. Vitus Erbermannus *in Bellarmino vindicato, Tom.*1.*pag.*439.*seqq.* Antonius Cordubensis *in Controversiis Theologicis lib.*1.*quæst.*57.

II. Contrarium rectè docent Antonius de Rosellis *libro de potestate Cæsaris & Papæ part.*1.*cap.*20.*seqq.* & *part.*2.*cap.*1.*seqq.* Ro-

gerius Widringtonus Anglus, *Apologia pro juramento fidelitatis*, Edmundus Richerius Parisiensis, *libro de Ecclesiastica & Politica potestate*, Johannes Bedæus *libro de Jure Regum*, Robertus Abottus *libro de suprema potestate Regis*, Petrus Molinæus *lib. de temporali potestate Papæ & Regum*, & cum illis Johannes Bodinus *lib.* 1. *de Republica*, *cap.* 10. ubi prolixè adfert veterum Germaniæ Imperatorum concertationes adversum Italiæ factiosos Proceres, horumque antesignanum Papam, à quorum potentia Imperatorum nostrorum majestas ita diminuta fuerit, ut antiquæ gloriæ vix umbra quædam restare videatur: suæ verò gentis Reges laudat, qui à Papis ita vexari noluerint. *Ita ille*, patriæ suæ studiosus cum populorum aliorum contemptu, non quidem ut Papæ facinora approbet, sed ut Imperium Germanicum more suo verbis lacessat. Non tamen eum latere poterat, quod vulgò dicitur:

Non humiles frutices iram metuere Tonantis,
Excelsas quercus, annosas fulminat ornos.

Tonabat Papa in Cæsares, subditus in Dominos suos, ab ejus fulmine haud metuebant Franciæ Reges, quibus cum Italiæ Imperio nihil fuit negocii post abdicatam Caroli Magni familiam, imò, à quibus larga munera petere sibi sueverant Papæ. Cæsares Germaniæ volebant Imperio suo continere Italiam, Papam, civitates, illam uti provinciam suam, istum uti vasallum ligium pariter atque subditum, has uti provinciales, aut si forte liberas, non tamen ab Imperio exemptas, haud aliter quàm Dominus in servum fugitivum perpetuam manus injectionem sibi reservat. Hinc illæ seditiones motæ in Ottones, Henricos, Fridericos, Ludovicos, Papis ipsis exitiosæ multoties. Nimirum hoc istorum Cæsarum fuit proprium, ut virtutes suas, quibus ad posteritatem clarissimi sunt, non ostenderent sine comite invidia, sed quantò altius illæ radices egerant, tantò magis eidem expositæ essent, utque adeò quàm nihil ex omni parte beatum sit, exemplis magnis comprobaretur. Unicum fuit, quod adversus eos provocare malos conatus poterat, non vitium quidem, quod vituperio esse, quodque Imperii majestatem diminuere posset; tale tamen quocunq; majestas admodùm rarò, & fortè nunquam sine insigni aliquo detrimento consistit. Et erat id quidem nimia LENITAS. Quæ virtus in vitium tracta fuit inter facinorosos, & quia Religionis metu connivere volebant Cæsares, turpe putabant Cæsarum hostes, per indulgentiam istam non moliri ea, quibus tàm insignis patientia magis magisque exerceri posset. Demùm non soli Germaniæ Imperatores sunt, quos exagitare Papa voluit, evolvatque Bodinus annales suæ gentis, & observabit, Papas non aliter egisse cum Galliæ Regibus, Philippo Augusto, Philippo Pulchro, Carolo VII. Ludovico XII. Henrico Navarrheno, de quibus egimus in Recensu historiæ universalis, *lib.* 13. *cap.* 3. *dist.* 5. *cap.* 4. *dist.* 16. *cap.* 5. *dist.* 1. Cæterùm illa Papæ arrogata potestas meritò impugnatur. Rationes sunt: (1.) Quia Christus seriò interdixit Apostolis, omnibusque verbi sacri præconibus, ne vellent in Regum jura involare, *Matth.* 20. 25. *Luc.* 22. 24. Reges gentium dominantur, vos autem non sic, qui maximus inter vos, sicut minimus esto. *Excipiunt:* Non removet Dominus regimen omne ab Ecclesia, sed istud saltem, quod

quod cum sævitia conjunctum est, itaque additur, *vos autem non sic*, videlicet more Tyrannorum, qui populos regunt, Becanus *lib.2.de Republ. Ecclesiast. pag.*187.*seqq.* Cornelius à Lapide *Commentario ad Matthæum pag.*390. Respondeo: Simpliciter interdicit dominio illis, quos vult esse inter se pares, humiles, ministros. Ergò illud à Clericis removetur, quod directè opponitur ministerio, uti ministrum esse, & habere sibi ministrantes, opponuntur, Matth.20.28. Atqui hoc est dominium. Ergò dominium à ministris removetur. Nec verò tantùm prohibetur dominium crudele: Quod enim Servator Regibus attribuit, hoc Regibus omnibus convenit. Omnes Reges Tyrannos esse, nemo affirmaverit. Et cupiebant Apostoli, ut participes fierent ejus Imperii, quod Servator auspicaturus erat, *Luc.* 24.21. *Actor.* 1.6. Hoc verò uti crudele nullum erat, ita ipsi credebant, futurum esse civile. Verba οὐχ οὕτω negant simpliciter, quomodo לא כן apud Hebræos valent, *Gen.*4.15. *Psal.*1.4. *Matth.*19.8. *Eph.*4.20. Denique removebat Servator has curas ab eis, quòd non posset esse verbi minister cum debita industria, ille, qui civilibus negociis seque suosque labores addiceret, 2.*Timoth.*2.3.4. Quòd enim Bellarminus *lib.*5. *de Pontifice Romano, cap.*9. Franciscus Bozius *lib.*5. *de Jurisdict. Ecclesiast. cap.*10 conquirunt exempla eorum, qui Reges atque unà Sacerdotes fuerunt, ut Melchisedechus, *Gen.*14.18.19. & Hasmonæi, 1. *Maccab.*2.1 *seqq.* hoc, inquam, parum juvat. Erat apud populos vetustos Sacerdotium velut accessorium Regno, itaque Justinus refert de Mida Rege, quod ab Orpheo sacrorum solennibus initiatus, Phrygiam religionibus implevit, *lib.* 11.*cap.*7. Verùm Respublica Hebræorum, uti à Deo constituta est, non admisit Reges, qui Sacerdotes insimul essent, distinctos potius voluit esse, & Sacerdotes quidem Regibus inferiores atque subjectos, *Exod.* 28.1.2.*seqq. Jos.*21.13. 1.*Sam.*22.13.14. 1.*Reg.* 1.7.8. Cæterùm sub Hasmonæis antiquus mos restitui cepit, ac toleratus fuit, velut ritus aliquis Legis ceremonialis, quam Servator proximo tempore adfuturus debebat adventu suo abolere, uti veniente corpore cessant umbræ, *Coloss.*2.17. *Hebr.*7.12.*seqq.* Hodiè aliter est, *neque potest quis simul Deo & seculo militare*, uti est in Concilio Meldensi cap.37. (2.) Quia monitorum istorum curâ ducti Apostoli non imperaverunt Regibus, quæ agere deberent, sed obediendo eis subditi fuerunt, utque privati omnes ita agerent, admonuerunt, *Roman.*13.1.2 *seq.* 1.*Petr.*2.13.18. *Tit.*3.1.2. (3.) Quia veteris ævi Potifices abstinuerunt prorsus ab inaudita curiositate illa, ac potius quò magis pietatem quisque colebat, eò impensius venerabatur Cæsares, Reges, Principes, quorum servos indigitabant sese, exemplo Gregorii Magni *lib.*2.*epist.*61. (4.) Quia Servator hoc unum injunxit verbi ministris, ut vellent prædicare verbum, *Matth.*28. 19. 20. atque ita Apostoli commendant munus suum, quòd arma spiritualia adhibeant in convertendis hominum animis, non verò in perdendis illis occupentur, 2.*Cor.*10.4.5. (5.) Quia primi Christiani adversus Cæsares, Reges, Principes infideles nunquam seditiones ullas commoverunt, nullas proscriptiones evulgaverunt, nullos sicarios emiserunt, sed precibus egerunt pro salute illorum pariter atque sua, uti docet Tertullianus *libro ad Scapulam.* Excipiunt *Bellarminus*

gerius Widringtonus Anglus, *Apologia pro juramento fidelitatis*, Edmundus Richerius Parisiensis, *libro de Ecclesiastica & Politica potestate*, Johannes Bedæus *libro de Jure Regum*, Robertus Abottus *libro de suprema potestate Regis*, Petrus Molinæus *lib. de temporali potestate Papæ & Regum*, & cum illis Johannes Bodinus *lib. 1. de Republica, cap. 10.* ubi prolixè adfert veterum Germaniæ Imperatorum concertationes adversum Italiæ factiosos Proceres, horumque antesignanum Papam, à quorum potentia Imperatorum nostrorum majestas ita diminuta fuerit, ut antiquæ gloriæ vix umbra quædam restare videatur: suæ verò gentis Reges laudat, qui à Papis ita vexari noluerint. *Ita ille*, patriæ suæ studiosus cum populorum aliorum contemptu, non quidem ut Papæ facinora approbet, sed ut Imperium Germanicum more suo verbis lacessat. Non tamen eum latere poterat, quod vulgò dicitur:

Non humiles frutices iram metuere Tonantis,

Excelsas quercus, annosas fulminat ornos.

Tonabat Papa in Cæsares, subditus in Dominos suos, ab ejus fulmine haud metuebant Franciæ Reges, quibus cum Italiæ Imperio nihil fuit negocii post abdicatam Caroli Magni familiam, imò, à quibus larga munera petere sibi sueverant Papæ. Cæsares Germaniæ volebant Imperio suo continere Italiam, Papam, civitates, illam uti provinciam suam, istum uti vasallum ligium pariter atque subditum, has uti provinciales, aut si fortè liberas, non tamen ab Imperio exemptas, haud aliter quàm Dominus in servum fugitivum perpetuam manus injectionem sibi reservat. Hinc illæ seditiones motæ in Ottones, Henricos, Fridericos, Ludovicos, Papis ipsis exitiosæ multoties. Nimirum hoc istorum Cæsarum fuit proprium, ut virtutes suas, quibus ad posteritatem clarissimi sunt, non ostenderent sine comite invidia, sed quantò altius illæ radices egerant, tantò magis eidem expositæ essent, utque adeò quàm nihil ex omni parte beatum sit, exemplis magnis comprobaretur. Unicum fuit, quod adversus eos provocare malos conatus poterat, non vitium quidem, quod vituperio esse, quodque Imperii majestatem diminuere posset; tale tamen quocunque majestas admodùm rarò, & fortè nunquam sine insigni aliquo detrimento consistit. Et erat id quidem nimia LENITAS. Quæ virtus in vitium tracta fuit inter facinorosos, & quia Religionis metu connivere volebant Cæsares, turpe putabant Cæsarum hostes, per indulgentiam istam non moliri ea, quibus tàm insignis patientia magis magisque exerceri posset. Demùm non soli Germaniæ Imperatores sunt, quos exagitare Papa voluit, evolvatque Bodinus annales suæ gentis, & observabit, Papas non aliter egisse cum Galliæ Regibus, Philippo Augusto, Philippo Pulchro, Carolo VII. Ludovico XII. Henrico Navarrheno, de quibus egimus in Recensu historiæ universalis, *lib. 13. cap. 3. dist. 5. cap. 4. dist. 16. cap. 5. dist. 1.* Cæterùm illa Papæ arrogata potestas meritò impugnatur. Rationes sunt: (1.) Quia Christus seriò interdixit Apostolis, omnibusque verbi sacri præconibus, ne vellent in Regum jura involare, *Matth. 20. 25. Luc. 22. 24.* Reges gentium dominantur, vos autem non sic, qui maximus inter vos, sicut minimus esto. *Excipiunt:* Non removet Dominus regimen omne ab Ecclesia, sed istud saltem,

quod cum sævitia conjunctum est, itaque additur, *vos autem non sic*, videlicet more Tyrannorum, qui populos regunt, Becanus *lib. 2. de Republ. Ecclesiast. pag.* 187. *seqq.* Cornelius à Lapide *Commentario ad Matthæum pag.* 390. Respondeo: Simpliciter interdicit dominio illis, quos vult esse inter se pares, humiles, ministros. Ergò illud à Clericis removetur, quod directè opponitur ministerio, uti ministrum esse, & habere sibi ministrantes, opponuntur, Matth. 20. 28. Atqui hoc est dominium. Ergò dominium à ministris removetur. Nec verò tantùm prohibetur dominium crudele: Quod enim Servator Regibus attribuit, hoc Regibus omnibus convenit. Omnes Reges Tyrannos esse, nemo affirmaverit. Et cupiebant Apostoli, ut participes fierent ejus Imperii, quod Servator auspicaturus erat, *Luc.* 24. 21. *Actor.* 1. 6. Hoc verò uti crudele nullum erat, ita ipsi credebant, futurum esse civile. Verba οὐχ οὕτως negant simpliciter, quomodo כן לא apud Hebræos valent, *Gen.* 4. 15. *Psal.* 1. 4. *Matth.* 19. 8. *Eph.* 4. 20. Denique removebat Servator has curas ab eis, quòd non posset esse verbi minister cum debita industria, ille, qui civilibus negociis seque suosque labores addiceret, 2. *Timoth.* 2. 3. 4. Quòd enim Bellarminus *lib. 5. de Pontifice Romano, cap.* 9. Franciscus Bozius *lib. 5. de Jurisdict. Ecclesi. cap.* 10 conquirunt exempla eorum, qui Reges atque unà Sacerdotes fuerunt, ut Melchisedechus, *Gen.* 14. 18. 19. & Hasmonæi, 1. *Maccab.* 2. 1. *seqq.* hoc, inquam, parum juvat. Erat apud populos vetustos Sacerdotium velut accessorium Regno, itaque Justinus refert de Mida Rege, quod ab Orpheo sacrorum solennibus initiatus, Phrygiam religionibus implevit, *lib.* 11. *cap.* 7. Verùm Respublica Hebræorum, uti à Deo constituta est, non admisit Reges, qui Sacerdotes insimul essent, distinctos potius voluit esse, & Sacerdotes quidem Regibus inferiores atque subjectos, *Exod.* 28. 1. 2. *seqq. Jos.* 22. 13. 1. *Sam.* 22. 13. 14. 1. *Reg.* 1. 7. 8. Cæterùm sub Hasmonæis antiquus mos restitui cœpit, ac toleratus fuit, velut ritus aliquis Legis ceremonialis, quam Servator proximo tempore adfuturus debebat adventu suo abolere, uti veniente corpore cessant umbræ, *Coloss.* 2. 17. *Hebr.* 7. 12. *seqq.* Hodiè aliter est, *neque potest quis simul Deo & seculo militare*, uti est in Concilio Meldensi cap. 37. (2.) Quia monitorum istorum curâ ducti Apostoli non imperaverunt Regibus, quæ agere deberent, sed obediendo eis subditi fuerunt, utque privati omnes ita agerent, admonuerunt, *Roman.* 13. 1. 2 *seq.* 1. *Petr.* 2. 13. 18. *Tit.* 3. 1. 2. (3.) Quia veteris ævi Potifices abstinuerunt prorsus ab inaudita curiositate illa, ac potius quò magis pietatem quisque colebat, eò impensius venerabatur Cæsares, Reges, Principes, quorum servos indigitabant sese, exemplo Gregorii Magni *lib. 2. epist.* 61. (4.) Quia Servator hoc unum injunxit verbi ministris, ut vellent prædicare verbum, *Matth.* 28. 19. 20. atque ita Apostoli commendant munus suum, quòd arma spiritualia adhibeant in convertendis hominum animis, non verò in perdendis illis occupentur, 2. *Cor.* 10. 4. 5. (5.) Quia primi Christiani adversus Cæsares, Reges, Principes infideles nunquam seditiones ullas commoverunt, nullas proscriptiones evulgaverunt, nullos sicarios emiserunt, sed precibus egerunt pro salute illorum pariter atque sua, uti docet Tertullianus *libro ad Scapulam*. Excipiunt *Bellar-*

minus & *Erbermannus*: Primi Christiani toleraverunt Magistratum infidelem, quia defuerunt ipsis vires in temporalibus. *Respondeo:* Imò quid opus erat copiis atque armis, si unus Catisbejus, unus Ravalliacus, unus Girhardus huic negocio sufficeret? Annon fuisset ita promptum, quantumvis paucis in caput Imperatoris conjurare, atque Garneto cum allectis in perniciem Regis Britanniæ? Reprimebant autem manus, & occasioni renunciabant, non quia viribus inferiores erant; sed quia Magistratus potestati legitimæ suberant, ideò paruerunt. Neque enim rebellionis crimen incurrere voluerunt, memores verborum Apostoli, *non solùm propter pœnam, sed & propter conscientiam.* Quàm verò etiam non fuerint sine viribus, docet *Tertullianus:* Si hostes exsertos, & non tantùm vindices occultos agere vellemus, non deesset nobis vis numerorum & copiarum. Externi sumus & vestra omnia implevimus, orbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatia, Senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, si non apud illam disciplinam magis occidi liceret, quàm occidere, *in Apologetico.* (6.) Quia potestas civilis non derivatur à gratia & fide, sed est Juris gentium, proinde Reges ad fidem conversi, essent deterioris conditionis, quàm Reges infideles, quando his nihil præscribere quiverit Papa, illos in potestate sua contineat, ut aufferre posset Regna, & dare aliis, cùm luberet. (7.) Quia hæc parricidialis doctrina velut equus Sejanus proprios dominos perdidit, turbisque funestis implevit orbem, armavit sicarios in Reges, cædibus ac veneficiis permiscuit populos, diris litibus fœdavit omnia. Et tamen facinorosi isti laudes amplas promeruerunt, uti dicemus *infrà dist.4.*

III. Instant *Bellarminus* & *Becanus:* (1.) Non licere Christianis tolerare infidelem Regem sive hæreticum, quomodo Judæis vetitum erat exteræ gentis Regem sibi imponere, ne ad impietatem seducerentur, Deut. 17. 15. *Respondeo:* Negatur consequentia. Equidem vetitum erat Judæis, ne tale quid facerent, interim nemo Pontificum, nemo Procerum gentis ejus, adversus Regem suum, suæ gentis, quanquam impietatis reum, vitiis deformem, invasisse dolo, armis, excommunicavisse, uspiam legitur. Si quisquam Regum istorum, qui tunc multi fuerunt, à sicariis occisus est, Deum, Proceres, populumque omnem ultores habuit. Nadabum occiderat Baësa, hujus filius, Ella patiebatur à Simri, quæ pater ejus in Rege suo designaverat, 1. *Reg.* 15. 25. 27. *cap.* 16. 8. 9. Hinc Jehu Vates pronunciabat adversus Baësæ domum, fore ut illa pessimis modis haberetur, tùm ob causas alias, tùm verò etiam ideò, *quòd* (Baësa) *percusserat eum* (Nadabum) 1. Reg. 16. 7. Nam & hoc facinus pœnam merebatur, cùm nullo Dei jussu istud patraverat. Romanus Interpres vertit, *ob hanc causam occidit eum.* Menochius annotat, *Baësa Rex Prophetam Jehu.* Quod contra veritatem asseritur, ut rectè monet Tostadus *Commentariis ad h. l.* & ostenditur, tùm quia Jehu venit ad Regem Josaphat, 2. *Paral.* 19. 20. tùm quia Regis Josaphati acta perscripsit, 2. *Paral.* 20. 34. Neutrum esse poterat, quando Baësa interfecisset eum. Rectius notat *Vatablus:* Minatur Deus interitum familiæ Baësa, duas ob causas,

causas, prima est cultus Idolorum, secunda est, quòd ille Dominum suum Nadabum interfecerat. *Hæc ille.* Porrò sciendum est, quòd electio per libera suffragia facilè vitare poterat, ne peregrinæ gentis, peregrinis cultibus addictus Rex eligeretur, attamen si alio quopiam pacto devenirent in potestatem Regis exteri, omninò fidem illi datam servare debebant, *Jerem.* 38. 17. *Ezech.* 17. 12. 13. 14. 15. Denique si non licet obedire infidelibus Regibus, quare primitiva Ecclesia obediebat Neronibus, Trajanis, Deciis, Julianis? Quare pro illis preces ad Deum fundebant? Quare mori præoptabant, quàm seditionibus animum intendere? (2.) Pontifex Jojada Imperium pariter ac vitam eripiebat Athaliæ Reginæ impiæ & malignæ, 2. *Reg.* 11. 3. *seqq.* Eodem modo Papa Romanus adversus Reges impios agere potest. *Respondeo*: Athalia incubabat Regno alieno, Regum latro, itaque tyrannidis manifestæ ream Proceres totusque populus armis invadebant, cæsam è medio tollebant, verum hæredem Joasum restituebant in solium. Regerit *Becanus*: Erat Regina legitima, quamvis enim occupaverat Imperium per vim, tamen consensus & obedientia subditorum accessit tandem, uti Baësa, Simri, Sallum, Menahem, Pekah, Hoseas per tyrannidem invaserunt solium, & non obstante eo, legitimi Reges habentur. Porrò, quamdiu non constat, alium esse Regni successorem, tamdiu jus Regni censetur ad illum pertinere, qui de facto Regnum administrat, consentiente populo. Atqui sexennio illo, quo præfuit Athalia, non constabat, alium esse Regni successorem, Joas enim latitabat, omnesque hæredes putabantur ab Athalia esse occisi. Ergò Athalia legitimè regnavit, *libro de Potestate Papæ, adversus Lancellottum, pag.* 133. *seqq.* Respondeo: Præerat vi merâ, nullo jure, & verò obedientiâ, quam populus exhibebat, coacta erat, uti sub Tyrannis exercitio esse assolet, neque enim poterant legitimum hæredem spoliare, & ad peregrinum transferre, quòd vetuerat Deus ex peregrinis Regem sibi imponere, *Deut.* 17. 15. 2. *Reg.* 8. 18. 2. *Paralip.* 21. 6. Proinde affabatur eos Jojada: Ecce, filius Regis dominabitur vobis, prout loquutus est Dominus filiis David, 2. *Samuel.* 7. 8. *seq. Psalm.* 2. 6. 7. 8. 9. Exempla de Baësa, Simri, Hosea non faciunt ad rem. Contigerunt ista in Regno schismatico, neque tunc hæredes supererant, itaque Regnum erat ejus, qui invadebat, & consensu populi obtinebat. Quòd non constaret, hæredem superesse, falsum est. Satis noverant Proceres, melior pars populi, superesse Joasum, & clàm habebant, 2. *Reg.* 11. 4. Horum operâ usus Pontifex, depulit Athaliam, Joaso reddidit, quod ei debebatur. Pergit *Becanus*: Pontifex omnia ista fecit propriâ authoritate, exsecutionem verò citra armorum usum peragere non potuit, quoniam Athalia satellitio munita & favore publico, solâ authoritate depelli non poterat. Unde argumentum: Aut publicâ, aut privatâ authoritate fecit Jojada, quod fecit. Non hoc, quia nemini licet privatâ authoritate Regem deponere, qui à subditis toleratur. Ergò illud. At publi-

publica non fuit alia quàm Pontificia in Pontifice. Ergò Pontificiâ authoritate fecit, quod fecit, *l.d.pag.* 136.137. Respondeo: Nihil fecit proprio arbitrio, itaque sancit fœdus cum Proceribus reliquis, tantùm quòd negotii supremus Procurator erat, idque meritò, quia erat proximus cognatus pupilli, & magnæ authoritatis, 1. *Reg*, 11.1. 2.8.15. Falsum est, quòd Athalia favore publico munita fuerit. Tolerare furiam tot innocentium cruore madidam, non est pleno assensu venerari. Cæterùm non ferit dilemma. Nihil fecit Jojada, quod non impunè licuisset privato cuivis. Erat enim Athalia Tyrannus invasione, quem populorum omnium receptâ consuetudine licet cujusvis manibus è medio tollere, uti diximus *suprà cap.* 7. *dist.* 8. (3.) Pontifex Zacharias decernebat adversus Regem Usiam leprâ fœdum, ut de templo ejiceretur, solioque privaretur, 2. *Chron.* 26.16. *seqq.* Respondeo: Non hoc quidem Pontificis decretum erat, ut templo vellet Rex leprosus exire, sed Rex ipse correptus leprâ, maturabat abire, *vers.* 20. Tantò minus cum solio privare debuit, quod occupavit Usias adusque obitum suum, filius Jotham Pro-Regis munus gessit, interim dum pater in domo privata vitam calamitosam agebat, 2. *Reg.* 15. 5.6. 2. *Paral.* 26.3. Totum hoc Dei ultoris opus fuit, non verò Pontificis. Leprosi enim abstinebant consortio hominum, *Lev.* 13.1. 2. *seq. cap.* 14.1.2. *seq.* Regerunt *Bellarminus* & *Erbermannus*: Usiam leprâ percussum, retinuisse quidem nomen Regium, sed inane, postquam loco ejus regnaret filius Jotham. *Respondeo*: Negatur, quòd nomen inane haberet. Namque filius patris vicarius, patri subjectus erat, quamdiu pater superabat, exemplo ejus quod de Nebucadnesare ab atra bile vexato legitur, *Daniel.* 4. 28. *seqq.* Proinde Usiâ defuncto successit Jotham, 2. *Reg.* 15.7. ante cujus obitum nec Regni proprietatem, nec Regis authoritatem habebat, functiones verò aliquas patre volente jubente obiverat, Reipublicæ bono. (4.) Pastor bonus mactat arietes furiosos, ne damnum inferant ovibus: Eodem modo Pontifex animarum pastor abrogare potest Reges pravos, ne subditis exemplo factisque noceant. *Respondeo:* Simile pessimum & omnibus modis exsecrandum! Pontifex animarum pastor tunc demum est, cùm è verbi sacri præscripto agit, monendo, orando, suadendo. Cùm aliter agit, occidendo, spoliando, rapiendo, latro est, Regum hostis. Interim Lector miretur compendium doctrinæ Papisticæ in verbis illis, *pasce oves meas*, comprehensum. Monarchæ & Reges in Ecclesia esse volunt & sunt hodiè Papæ. Quare? Quia dixit Petro Servator: *Pasce oves meas*. Papæ volunt esse judices controversiarum fidei, quæ fuerunt olim partes Conciliorum è verbo Dei, & probat Bellarminus inde, quia dictum est: *Pasce oves meas*. Papæ arrogant sibi jus, quod non possint errare in fide, scilicet quia Servator dixit ad Petrum: *Pasce oves meas*. Papæ arrogant sibi jus ferendi leges obligantes in conscientia, quia dixit Servator: *Pasce oves meas*. Papæ largiuntur venias & indulgentias numero & pondere immensas, quia Servator dixit: *Pasce oves meas*. Papæ imperium exercent in Reges, quia Servator dixit: *Pasce oves meas*. Papæ denunciare possunt mortis judicium in Reges sibi immorigeros, quia Servator dixit: *Pasce oves meas*. Nimirum pascere est idem quod occidere!

Et

Et unum est in terris nomen atque numen, Papæ! Unius Papæ sunt propria rerum suprema arbitria! (5.) Sunt exempla Regum, quos Papa solio dejecit, videlicet Leonis Constantinopolitani, Childerici Franci, Henrici IV. Friderici II. Ludovici IV. Cæsarum Germaniæ. Atqui omnes illi patienter hoc pertulerunt, & factum laudant Authores. *Respondeo:* Quis verò collaudet ita Luciferos illos egisse, ut abominandis ausis obtendendo nomen pietatis, Unctos Domini soli Deo subjectos, solo Deo minores, perversè exagitando, orbem cladibus sanguinariis impleverint, familias illustres exitio addixerint! Erat hæc potestas tenebrarum ævi ejus, adeoque facinora illa apud posteros sunt damnatæ memoriæ, uti prolixius ostendit Wilhelmus Barret *lib. 3. de Jure Regis, cap. 2. seqq.* Neque laudant factum Authores, nisi Regum perduelles, aulæ Romanæ parasiti, rudes literarum meliorum, sed benè ac gnaviter impudentes Canonum Doctores. Aliter *Otho Frisingensis:* Lego & relego Imperatorum gesta, & nusquam invenio, quenquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum vel Regno privatum, nisi fortè quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus à Romano Episcopo inter pœnitentes collocatus, & Theodosius à B. Ambrosio propter cruentam cædem à liminibus Ecclesiæ sequestratus sit, *lib. 6. hist. cap. 35.* Hæc optimus ille Scriptor, & verissimè, quanquam de excommunicatione proponat duo exempla illa, si non vera, tantùm veri speciem mentientia. De Philippo Cæsare dicemus *infrà cap. 16. dist. 15.* esse fictum. De Theodosio constat, agnovisse ipsum crimen horribilis ejus lanienæ, quam adversus homines promiscuos exercuerat, & paruisse monitis Episcopi, non etiam ut hic sese efferre posset, quasi pro Imperio ageret. Atqui Papis Imperium arrogant Canonistæ, quos imitari voluit Cæsar Baronius mercede conductus, ut Hildebrandinam hæresin vastis Annalium voluminibus incrustaret. Nulla inter Papas & ullum Principum rixa intervenit, quæ non ita describatur, ut excusentur Papæ, & verò Principes ejus potestatis, quam Dei nomine in his terris gerunt, tenaces, ut perditorum perditissimi lacerantur. Itaque Principes locis innumeris & ad fastidium Lectoris hortatur, *ut humili servitio Christi Vicarios colant.* Quasi Reges non essent in Regnis suis Vicarii Dei, quorum majestatem imminuere, crimen esse apud Deum, ante exortam hanc novam doctrinam nemo dubitaverat! Neque autem refert qualis sit Papa, nam cùm ipsa rei veritas etiam illos, qui Papam Latinum ceu terrenum Jovem colunt, fateri coëgerit, fuisse Papas sæpius scelestissimos, dicente Genebrardo *lib. 4. Chronici*, quando tamen optimus Cæsar improbos Papæ mores in Ecclesia accusavit, & Censuræ justæ subjecit, malè egisse contenditur verbis multis, Papæ jus asseritur, Sedes Apostolica neminis judicio subjacere, pronunciatur, Spondanus *in Epitoma Annalium pag. 867. 868.* Ita omninò periit de rebus pudor!

IV. Fingit *Henricianos*, uti vocat, hæreticos, dictos ab Henrico IV. Cæsare Germaniæ, quem diris modis persecutus Gregorius VII. seculi sui opprobrium, arma, excommunicationes, diffidationem, citationes ad tribunal, infidas absolutiones, quoties voluit, minitando & exercendo, primus Imperia & Regna orbis in potestate sua esse

L decre-

decrevit, ut posset dare illa, cui vellet. Diaboli præcepta hæc sunt, *Luc.4.6.* Multò aliter Paulus, *Roman.13.1.2.seq.* Ecquæ igitur hæresis illa? Post Deum agnoscere potestatem supremam illam in terris, quam Cæsar & Reges habent, *dare Deo, quæ sunt Dei, & Cæsari quæ sunt Cæsaris.* Ita jussit Christus hæreseos ejus (quam ita Hildebrandistæ vocabant) primus author, *Matt. 22.21.* Lege de Schola illa celebres Doctores, Jacobum Gordonum *in Chronologicis, Tom.2.pag.295.seq.* Francisc. Longum *in Chronologia, fol.314.seqq.* Theod. Petrejum *in Catalogo hæreticorum, pag.84.* Spondanum *in Epitoma Annal. pag.940.seqq.* Vidit similes conatus ætas nostra in Gallia, Anglia, Belgio, cædes Regum & Principum, qui ad impias Papæ aras Sacramentum dicere, & cœlestis veritatis ejus, quæ Reges magnos ab hac tertia servitute liberat, Professores ad necem persequi nolebant; Elisabetham Anglicam veneno tentaverunt, Jacobum Britannum & tot illustres viros pulveraria conjuratione aggressi, Henricum III. & Henricum IV. Gallos venenatis cultris foderunt, Wilhelmum Orangium globo percusserunt, Barrerius, Varadas, Castellus, Guinandus, Parrius, Cullenus, Williamus, Jorkius, Sequijerus, Hesketus, Garnetus, Oldkornus, Hammondus, Grenvellus, Jac. Clemens, Fr. Ravalliacus, Balthasar Girardus parricidæ, quos de patibulo martyres libris instruxerunt, defenderunt, Sanctorum Catalogo adscripserunt, cœlis inseruerunt, Johannes Mariana *libro de Regno & Regis institutione*, Antonius Santarellus *libro de potestate Papæ in Reges*, Cornelius à Lapide, *in Expositionibus Biblicis*, Thomas Bozius *libris de ratione status*, Petrus Obmeer, *libro 6. Chronographiæ, pag.850.* Wilhelmus Estius *in historia de Martyribus Belgicis*, Clarus Bonarscius, *in Amphitheatro honoris lib.1.pag.56.seqq.* & rabiosus veritatis desertor Caspar Scioppius *in Ecclesiastico.* De Balthasare Girardo scripsit carmen Levinus Torrentius, quod inter Poëmata ejus extat, *pag.308.* & commendat infamem sicarium: *Morte inferendus cœlicolum choris, Æterno ab omni labe puram, Reddis ovans animam parenti.* Sic ille. De Henrico Garnetto refert *Cornelius à Lapide*: Cùm Garnettus Angliæ Martyr, sociis in Anglia per viginti annos magna cum laude in quotidianis mortis periculis præfuisset tandem gloriosum obiit martyrium pro Catholica fide. Catholicus qui spectator aderat, purpuratam sanguine spicam, ex substrato martyris corpori stramine, religiosè sustulit, quam cùm domi conspicatur attentius; vivam patris imaginem in ea expressam conspexit. Verticem capitis ingens cingebat corona. Crux in fronte rutilabat stellæ inclusa, signaculum cordis illius utique, in quo fasciculus myrrhæ commorabatur. Sub mento Cherubinus visebatur alatus, vel Angelicam ejus puritatem, vel sapientiam & doctrinam indicans. Imago hæc vultus ejus sæpius excusa per omnes Christianorum provincias sparsa est, *Commentariis ad Apocal.7.pag.146.* Benè quidem, si Dominus ei gratiam dedit, ut seriò pœniteret super horribili facto, quod in confessionibus auditis approbaverat, & facti authoribus præmia cœlestia addixerat. Cæterùm Henricianam hæresin, uti nos, defendunt Sorbonistæ, qui Marianæ & Santarelli scelestos libros ad sugillandam Regum potestatem compositos, carnificis manu palàm exuste-

exsufferunt, Bellarmini libello adversus Barclajum edito facturi idem, nisi pro Cardinale intercessissent Cardinales, Daniel Chamierus *in Panstratia Cathol. Tom. 2. lib. 15. cap. 14. num. 11.* Barthol. Gramondus *lib. 1. historia Gallicæ*, Joh. Cluverus *in Epitoma historiarum lib. 10. pag. 816.* Audiet interim posteritas, & mirabitur, quòd Papistæ talibus Divis impleant cœlorum regiam, à qua homicidas istos longius protestant sacræ literæ, & ad inferna deturbant, *Gal. 5. 21. Apoc. 22. 15.* ubi facinora expiare debeant.

V. Cùm Henricus III. Galliæ Rex prolem non haberet, successio in Regno pertinebat ad Henricum Burbonium Navarræ Principem, & post Condæum, Reformatæ Religioni addictos, quando Valesia familia defecerat. Contrario studio impulsi Principes Galliæ Pontificii, conscio Hispaniæ Rege, inierant validam conjurationem, Sanctæ Ligæ titulo, ad exstirpandos Religionis Reformatæ sectatores. Zampinus Italus tabula describebat schedam, quâ probare conabatur, Navarrhenum successionis jure spoliari posse, & Patronus causæ accedebat Papa Gregorius XIV. Qui in hanc nomina dederant, fidem mutuam juramento obstrinxerunt, se neutiquam in Gallia quenquam regnare passuros, qui aliam Religionem, quàm Catholicam Romanam professus fuisset, & profiteri vellet, neque eum admissuros, qui in alia enutritus, etiamsi eam abnegaret, ne Regnum adeptus, Religionem majorum labefactaret. Quæ omnia ad excludendos Navarrhenum ejusque agnatum proximum Condæum spectare, nemo dubitabat, & ne viderentur familiæ Regiæ desertores esse, igitur Burbonii patruum, Carolum Romanæ Sedis Cardinalem, Latinis sacris addictum, Regio solio impositum cupiebant, Paulus Piasecius *in Chronico Europæ pag. 92. 93* Petrus Bartholdi *in Floro Francico lib. 4. cap. 35.* Jacob. Aug. Thuanus *in historia lib. 90. 91. 92. 93.* Summa totius negocii erat ista: Jus successionis in Regno ratione sanguinis à Legibus humanis dependere, quas populus mutare possit: In successione qualitates alias, quàm propinquitatem sanguinis adverti debere, ne ineptus imponatur solio: Religionem & cultum Dei præcipuum cujusque Reipublicæ finem esse, & proinde ab omnibus cavendum esse, ne Principem admittant, qui à vera Religione alienus est, & quem cultui divino inimicum esse suspicentur. Pro Navarrheno diligenter urgebant Franciscus Hottomannus *in Bruto fulmine*, Johannes Haivardus *libro de Successione Regia.* Johannes Servinus Advocatus Regius, *Vindiciis pro libertate Ecclesiæ & Regii status Francorum*, quod in Regnis, ubi successores per electionem surrogantur, populi quidem jus sit de idoneis statuere, verùm in Regnis, ubi hæreditaria successio valeat, jus quod sanguinis effectum est, nemini auferri posse. Leges enim non esse mutabiles, postquam universalis consensus stabilivit eas. Porrò verum est, quòd ne ineptus quidem excludatur, ubi mera successio est, itaque cùm Lysander vellet ferre Legem, ut maximè idoneus, non verò sanguine proximus in Regno Lacedæmonio succederet, neminem invenit, qui sententiæ illi suffragaretur, teste Plutarcho *in Vitis Illustribus.* Denique Religionis causa nihil injustum peragendum, quando illa est penes omnes, qui

modo quocunque Deum colunt, uti diximus *infrà lib.2.cap.2.dist.7.*

VI. Cùm Ludovicus XII. Galliæ Rex adversus civitates Papæ Romano subjectas in Italia bellum pertinaci successu gerebat, Julius II Papa, Ferdinandum Regem Arragoniæ, & Henricum VIII. Regem Angliæ concitavit, ut armis Galliam invaderet, horum copiæ ut convenirent, Ferdinando Regi oportunum visum est, per Navarrham ducere, idque à Johanne Labretano Rege, missis Legatis petiit, cumque non impetraret, Regnum invasit, & Regem à copiis imparatum, ab auxiliis destitutum fugavit, ut cum familia sua Benearnum, cis Pyrenæum abiret, inque clientelis Gallicis proviveret. Asserebatur libris evulgatis, quòd Ferdinandus justis armis occupavisset Regnum Navarrhæ: Quia transitus per Regnum, qui de Jure Gentium debebatur, negatus esset: Quia Johannes Labretanus, velut summus Galliæ Regis amicus, excommunicatus à Papa, Regnum perdidisset, Hispano per donationem accessisset, Guicciardinus *lib.11. histor.* Paulus Jovius *lib.11. histor.* & nos in Recensu historiæ universalis *lib.13.cap.3. dist.17.* Contrà pro Johanne Labretano dicebatur, ipsum Galliæ Regis fiduciarium fuisse, & multum patrimonii, quando faveret Hispanis, amissurum ultrà Pyrenæos montes in Gallia. Quòd Ferdinandus Rex non solùm petiverit liberum transitum pro exercitu, verùm quò magis exercitui suo consuleret, insuper rogaverit arces & loca munita, quæ armatis sine periculo tradi non poterant. Quòd transitus non facilè concedatur Principi alicui, cum justo exercitu venienti, quando ille admissus queat regionis ejus dominus esse cùm volet. Quòd Papæ Romani diræ in Regem Ecclesiæ fidelem actæ, satis injustæ fuerint, & donatio improba. Rem totam pluribus disceptant, ut Ferdinandum defendant, Antonius Nebrissensis *libro de bello Navarrheno*, Johannes Lopez *libro de obtentu Regni Navarrhæ.* Labretani Regis causam agunt Carolus Molinæus *notatis ad consuetudines Parisienses dist.41.* Johannes Bodinus *lib.1.de Republica cap.9.* Credebat Machiavellus, & verum est, *quod Religionis nomen à Ferdinando Rege semper fuerit prætextum, quodq́; pallio isto tectus vicinos populos armis invaserit*, libro de Principe cap.21. Verè inquam ille, & conjunge Ferdinandi elogium insigne, quod describit Johannes Mariana *lib.30. Annal.Hispan.cap.27.*

CAPUT UNDECIMUM.

Diatriba singularis de potestate Regia Servatoris.

SUMMARIA.

1. *Potestas Regia Servatoris.*
2. *Servator Rex post resurrectionem.*
3. *An fuerit Rex temporalis?*
4. *Rationes pro negativa.*
5. 6. *Servatoris Regnum terrenum.*
7. *Regnum gratiæ.*
8. *Regnum gloriæ.*

I. POtestas Regia Servatoris est, *quâ ille omnia potenter gubernat in cœlo & in terra.*] Servator appellatur Rex, *Psalm.2.6. Jerem.23.5. Zach.9.9. Matth.2.6.* Rex Regum, *Apoc.17.14.* proinde regios honores in his etiam terris exhiberi sibi passus est. Ve-

Venienti ei occurrit populus, & vestibus suis consternit vias publicas, *Matth.* 21.8. scilicet ex more applaudentium novi Regis honoribus, 2. *Reg.* 9.13. Sunt talia apud Æschylum *in Agamemnone*, & Plutarchum *in Catone Uticensi.* Sic Johan. 12.13. ἔλαβον τὰ βαΐα τῶν φοινίκων καὶ ἐξῆλθον εἰς ὑπάντησιν αὐτῷ. Palmarum ramis Principibus & Regibus adventum gratulari, mos erat, quomodò excepti fuerunt Judas Maccabæus, 2. *Macc.* 10.7. Simon Maccabæus post victoriam illustrem, 1. *Macc.* 13.51. Alexander Macedoniæ Rex, Josephus *lib.* 11. *Antiquit. cap.* 1.

II. *Potenter gubernat.*] Contendunt Photiniani, quòd Servator demum post Resurrectionem factus fuerit Rex, Socinus *Animadversionibus in Collegium Posnanense pag.* 65.87. Catechismus Racoviensis *pag.* 311. *seq.* Valent. Smalcius *Examine centum errorum Smiglecii, sect.* 40. & *libro de Christi divinitate cap.* 13. Verùm quemadmodum Propheta & Sacerdos fuit in terris ante Resurrectionem, docendo videlicet ac populum expiando: Ita non minus Rex erat, saltem potestate. Exercitium potestatis obscurius quidem, non tamen prorsus nullum erat, cumprimis quoties pellebat dæmonas ex obsessis. Debebat enim potestatis exercitio sese abdicare, ut hominum communi more pati ac mori posset, *Philip.* 2.6.7.8. Eminentior potestatis usus fuit post resurrectionem, *Matth.* 28.18. *Luc.* 24.26. *Philip.* 2.9.10.11. *Eph.* 1.20.21. 1. *Petr.* 3.22. Huc pertinet locus Rom. 1.3.4. *De filio ejus facto ex semine Davidis secundùm carnem, declarato filio Dei potenter secundùm Spiritum sanctitatis per resurrectionem ex mortuis.* Christus homo de virgine Maria natus est, quæ erat è posteris Davidis, *Matth.* 9.27. *cap.* 12.23. *cap.* 15.22. *Marc.* 10.27.48. *Luc.* 1.32.69. *cap.* 2.5. *cap.* 18.38.39. Atque idem filius Dei multis modis dicitur, maximè populariter ideò, quòd ad Regnum à Deo evectus est, quo sensu verba *Psalmi* 2.7. de Rege Davide prolata, cùm ad Regnum pervenit, Christo aptantur, *Actor.* 13.33. *Heb.* 1.5. cap. 5.5. Hæc autem filii sive regia dignitas Jesu præfigurabatur, jam tum, cùm mortalem agens vitam, magna ista signa & prodigia ederet, quæ δυνάμεως voce indigitantur, *Marc.* 6.5. *cap.* 9.39. *Luc.* 4.36 *cap.* 5.17. *cap.* 6.19. *cap.* 8.46. *Actor.* 3.12. *cap.* 4.33. *cap.* 6.8. *cap.* 10.38. Signa talia edebat Jesus per Spiritum illum sanctitatis, id est, vim divinam, per quam ab initio conceptionis sanctificatus fuerat, *Marc.* 2.8. *Luc.* 1.35. *Joh.* 9.36. Ostenditur ergò Jesus nobilis à parte materna, utpote ex Rege terreno ortus, sed nobilior à patris conditione, quippe à Deo factus Rex cœlestis post resurrectionem, *Actor.* 2.30. *cap.* 26.23. *Hebr.* 5.9. & ei Regno etiam ante destinatus per tot miracula, facta vi divina ipsi propria & in ipso habitante, *Col.* 2.9.

III. *Omnia in cœlo & in terra.*] Matth. 28.18. 1. Cor. 15.27. Eph. 1.20.21. Hebr. 1.3. Nimis amplè sentiunt de potestate regia Servatoris Doctores Scholastici & Canonistæ, qui Regem illum in temporalibus etiam, tunc cùm in his terris miser oberrabat, fuisse affirmant, ut inde aliquod fulcimentum potestatis ejus, quam Papa Romanus in temporalibus sibi arrogat, desumere possint, Alexander Carrerius *lib.* 2. *de potestate Papæ cap.* 5. Torreblanca Villalpandus *lib.* 3. *de Magia cap.* 4. Thomas Bozius *lib.* 2. *de Jure status cap.* 8. *seq.* Franciscus Bo-

Lagidæ ante adventum Servatoris impediverunt veri Dei cultum apud Judæos. Ergò. (5.) Illud Regnum intelligitur, quod obtinuit primam universalis Imperii sedem, Babylonem, post Babilonios, Persas, Macedonas. Atqui Romani nullo unquam tempore obtinuerunt primam universalis Imperii sedem, Sabylonem: Obtinuerunt verò illam Seleucidæ. Ergò non intelliguntur Romani, verùm Seleucidæ. Excipit *Felvvingerus*: Non obest sollicitudo Regis, siquidem vaticinii scopus est, Regi manifestare statum Regni sui post mortem, videlicet Deum traditurum illud gentibus aliis, puta Persis, Græcis, denique Romanis, quorum Imperium suo tempore divideretur in Orientale & Occidentale. *Respondeo*: Atqui Romani non habuerunt Babylonem, quæ erat Imperium Nebucadnesaris. De cęteris patet ex illis, quæ diximus.

VII. Seriò contradicunt Gesnerus, *disputat.2 & 7. ad Danielem*, Christoph. Helvicus *in Synopsi historiæ universalis, pag.5. seqq.* Christ. Matthias *in Theatro historico lib. 1. pag. 1. 2. 3. prolegomen. & lib.4. pag. 1. 2. 3. prolegomen.* Graserus *in historia Antichristi, pag. 45. seqq.* Petrus Molinæus *in Exegesi vaticiniorum, pag. 450. seq. & pag. 502. seqq.* Reineccius *in Clavi Theolog. lib.4. pag. 111. 112.* Cl. Felvvingerus *in Dissertationibus Politicis, pag. 540. seqq.* & pro Imperio Romano has adferunt rationes: (1.) Quarta bestia superstes erat tempore eo, quo Servator nascebatur, *Dan.2.44.45.* Atqui Syriæ & Ægypti Reges dudum eversi erant per Romanos, Romani supererant tunc cùm Servator natus est. Ergò Romani intelliguntur, non Reges alii. (2.) Quarta bestia est prorsus alia & diversa ab omnibus præcedentibus, *Daniel.7.7.19.31.* Lagidæ & Seleucidæ non sunt alii & diversi à præcedentibus, erant enim successores Alexandri Magni, *Dan.7.6.* Ergò non sunt bestia quarta. (3.) Parvum cornu est majus præ cæteris decem, *Dan.7.24.* Verùm Antiochus Epiphanes, qui corniculum censetur esse, non fuit potentior cœteris, postquam Antiochus Magnus prælio à Romanis victus, optimas provincias tradiderat. Ergò. (4.) Non possunt monstrari cornua tria, quæ Epiphanes avulsit, si ille corniculum est. (5.) Nec possunt monstrari cornua decem in successoribus Alexandri Magni. (6.) Post eversum corniculum, debet sequi Regnum perpetuum apud Sanctos in cœlis, *Dan.2. 44.45. cap.7.22.* Atqui post obitum Epiphanis nondum aderat regnum cœleste. (7.) Regnum, de quo Propheta agit, perstabit ad novissimum diem, *Dan.7.9.17.* At Seleucidæ & Lagidæ ante Servatoris adventum desiverunt esse. Ergò. *Hæc illi.*

VIII. *Respondeo*: Non ita dudum post eversos Lagidas venit Servator, adeoque verum est, quòd Regum istorum memoria adhuc durabat, idque sufficit ad defendendam notationem temporis. (2.) Imò *diversa* est ideò, quia distracta est in plures dominatus particulares, cùm anteà Regem unum Alexandrum Magnum haberet. (3.) Non dicitur in Ebræo, *quòd corniculum sit majus futurum*, sed locus rectè conversus ab Ariæ-Montano sonat, *ipse differet à prioribus*, id est, decessores suos exercitâ in Judæos crudelitate, vincet, *vers.23.24.* Neqne enim quisquam Regum Syriæ vel Ægypti ita in Judæos crudelis fuit, quàm Antiochus ille ὁ ἐπιμανής, de quo idem Propheta accuratè agit, *cap.11.28. seqq.* (4) Antiochus obses

Roma-

Romanus vilis & degener à patre suo æstimatus, *Dan.*11.21. partim vi armorum, partim artibus fraudulentis tres Reges legitimos oppressit. Seleucus Rex frater ejus occisus est, operâ Heliodori Purpurati, quem ad cædem hanc perpetrandam, occultis promissis Antiochus permovisse non vanè creditur. Spoliatus Regni honore Demetrius, ejusdem Seleuci filius, & legitimus hæres, qui posteà illud repetivit armis: Regno Ægypti pulsus ferè est Ptolomæus Philometor. Confer Appianum *in Syriacis*, 1. *Macc.*1.11.*cap.*14.1.*seqq.* *Dan.*11.22.23.24.42.43. & nos in Recensu historiæ universalis, *lib.*3.*cap.*2.*dist.*8.9.10. Regerunt: Antiochus non potuit bello vincere Demetrium, quem constat, successisse demum Antiochi ejus filio. *Respondeo:* Cùm Regni hæres Demetrius esset, præterito illo, Romanorum consensu, & Eumenis Asiæ Regis commendatione adducti Proceres, Antiochum constituerunt Regem, eique Antiochus Eupator, filius ejus, successit, quo demum occiso, Demetrius patriam hæreditatem recuperavit, 1.*Macc.*7.1.2.2.*Macc.*14.1. Josephus *lib.*12. *Antiquit.cap.*15. (4.) Possunt utique monstrari decem cornua illa: Ptolomæus Lagus (qui Judæorum multa millia abduxit è Palæstina, Josephus *lib.*11. *Antiquitat.cap.*1.) Seleucus Nicanor (qui primus Judæam corripuit, veluti inclusam Syriæ territorio) Ptolomæus Evergetes, Seleucus Callinicus, Antiochus Magnus, Ptolomæus Epiphanes, Seleucus Philopator, Antiochus Epiphanes, de quibus omnibus plura diximus in Recensu historiæ universalis, *lib.*3.*cap.*2.*dist.*1.*seqq.* Regerunt: Non quidem Reges, sed Regna indicantur. Neque Reges Ægypti debent permisceri cum Regibus Syriæ. Denique corniculum Epiphanes oritur post decem cornua illa. Ergò non potest decem illis accenseri. *Respondeo:* Nego, quòd Regna indicentur: Cornua prominent in animali, sic Reges inter Regni cives. Eminenter notat illos utriusque domus Reges oppressores, qui Judæam afflicturi essent, vel per se, vel occasionem à bello nacti. Reges Syriæ & Ægypti permiscentur, quoniam fuerunt ejusdem originis, nempè ab Alexandro, eorundem morum, quoniam bello invicem sese vexabant, & Judæos, qui perindè ut Syri & Afri prævaluerunt, nunc horum, nunc illorum vestigia sequi cogebantur. Epiphanes, quà ortum, est ex decem illis, quà res gestas, discernitur ab illis. (5.) Sanctos intelligit, non illos in cœlis qui triumphant, sed in terris, qui militant hactenus, communionem Sanctorum, quorum nomina perscripta sunt in cœlis, quique animo jam in cœlis sunt, cœlestia cogitant, curant ea, quæ ducunt illuc, cœlestibus legibus reguntur, *Philip.*3 20. *Apoc.*4.8. *Luc.*10.20. *Hebr.*12.23. Post Seleucidas & Lagidas eversos venit Messias Rex Sionis, & per Evangelii præconium conscribit orbe toto gentes, *Psalm.*2.9. *Zach.*12.3.4.5. *Matth.*16.18.*seqq.cap.*28.18 19.20. *Luc.*1.33.*seq.* (7.) Major fallit, nec enim potest hoc exponi de judicio extremo. Ratio hæc est: Lapis ille de monte revulsus, & filius hominis in nubibus veniens, totum orbem implebant gloriâ. Atqui Regnum Christi non demum post ejus adventum in judicio universali, erit gloriosum, sed tale cepit esse cum primo adventu ejus, docendo, moriendo, resurgendo, in cœlos ascendendo, *Psal.*110.1.2.*seq.* *Hagg.*2 4.5 *seqq.* Id ostensum fuit, cùm ingruebat ventus magnus, & im-

plebat totam domum, in qua sedebant Apostoli, *Actor*.2.2. Ventus signum divinæ præsentiæ, *Gen*.3.18. & quidem vehemens, ut magnitudo donorum supra Prophetas indicetur. Domusque tota impletur, præsagium sic etiam implendi totius orbis, per quem Ecclesia diffusa est, quatenus Apostoli prædicare imprimis debebant potentiam Dei, quæ Jesu resuscitato apparuit. Id enim præcipuum argumentum fuit, quo conversus est mundus, *Actor*.1.22. *cap*.2.24. *cap*.3.33. Est ergò judicium particulare ἀνθρωποπάθως, ut notetur, divino consilio Regnorum periodos dispensari, & ab uno populo ad alium transferri. Confer *Psalm*.50.1.2. *seqq*.1.*Reg*.22 19.*seqq*.

IX. Instat *Gesnerus*: (1.) Venit filius hominis cum nubibus cœli & magnâ potentiâ. Atqui hoc non est factum, cùm veniebat in carnem. (2) Venit filius hominis ad judicium. Atqui in primo adventu non venit Servator, ut quenquam judicaret, *Joh*.3.17. *cap*.12.46. (3.) Venit filius hominis cum Patre & Spiritu sancto, nec non cum Sanctis aliis. Atqui ita describitur judicium novissimum, *Matth*.25.31.*seq*. *Luc*.22.69. *Apoc*.4.3.4.*seqq*. (4.) Aperiuntur libri, quæ circumstantia judicio ultimo convenit, uti *Apoc*.20.11.12. videre est. (5.) Prorsus abolentur Imperia, quod non est factum in primo adventu Servatoris. (6.) Regnum & potestas dantur populo Sanctorum Altissimi, quod non est factum in primo adventu, sed fiet in novissimo judicio, *Matth*.25.34. Sic ille *disput*.7.*ad Danielem quæst*.24. Respondeo: (1.) Verè ad patrem rediit filius hominis in nubibus, cùm in cœlos ascendit, & Apostolis suis paulò antè præcepta dederat, ut Regnum gratiæ, quod per adventum primum sanciverat ipse, prædicarent orbe toto, *Luc*.24.48.*seq*. *Actor*.1.4.5.*seq*. (2.) Judicium hîc describitur, quo Deus fatorum arbiter, voluit Asiæ & Africæ Regna hactenus Regum suorum potestati obnoxia, ad peregrinum statum redigere, idque futurum erat eo ferè tempore, quo Servator orbis tot Prophetarum vaticiniis celebratus, tantis piorum omnium votis postulatus, venire, & novum Regnum auspiciis suis condere, novumque populum conscribere debebat. (3.) Etiam particularia judicia describuntur per solennem consessum, ut Deus secum habeat præsentes Angelos, rerum humanaum vicarios Rectores, 1. *Reg*.22.19. *seqq*. *Dan*.4.14.21. *Joel*.3.1.2.*seq*. *Apoc*.1.7. (4.) De libris perinde est in judiciis particularibus, suntque libelli acta litis: Per acta litis intellige hominum cogitata, dicta, facta, quomodo Reges habent commentarios rerum gestarum, *Malach*.3.16. Verbo, notatur, quòd series fatorum sit revoluta. (5.) Omninò factum esse constat. Ubi enim Seleuci & Lagi Regna erant tempore eo, quo Servator veniebat in carnem? (6.) Doctrina Evangelii invaluit per orbem, ut Jesus Nazarenus ubique coleretur autor fœderis ejus, quod in melioribus promissis fundatum est, eoque major gloria hæc erat, quando notum est, Legem veterem populo uni latam, exiguis Palestinæ finibus sese continuisse, *Philip*.2 9.10.11. *Apoc*.4.10.11. *Psalm*.147.19.20. Et quòd in veteri fœdere mentio est cujusdam novi fœderis, *Jerem*. 31. 40 *Dan*.9.24.*seq*. At in novo fœdere asseritur, nullum exstiturum posterius, *Matth*. 28.20.

CAPUT

CAPUT DECIMUM.

De civili potestate Papæ.

SUMMARIA.

I. PApa Latinus, postquam sedem primam inter alios Patriarchas, amplissimarum Ecclesiarum Præfectos, Imperatorum commendatione & suffragio obtinuisset, pertæsus fortunæ suæ, ingratissimus erga Dominos suos, Imperatores, ne benificium illis deberet, & quasi nihil dum egisset, ad temporalem dominationem unà habendam, omnes animi nervos intendit. Et successit, ut libertas Christiana in horrendam servitutem verteretur, ut servi insiderent equis, Principes verò ut servi irent super terram, *Eccl* 10.4. Itaque docent Canonistæ veteres & novi Pontificii, quòd Papa habeat dominium in Reges & Principes imprimis Christianos, ita, ut eorum acta inspicere, approbare, pro lubitu reprobare possit, morigeros præmiis afficere, & nisi ad quævis jussa ejus pareant, nisi Papalem authoritatem defendant, excommunicare illos, deprivare illos, id est, cives sacramento & religione obsequii exsolvere, solio deturbare, cædibus privatorum objicere impunè, alios subrogare possit, velut summus & unicus orbis ad Christi fidem conversi, Rector. Magno conatu hoc olim egit, decretisque stabilivit Hildebrandus Papa, alio nomine Gregorius VII. vir perversè crudelis, Imperatoris Henrici IV. funestus hostis, uti docent acta ejus descripta apud Bennonem, Platinam, Balæum, quibus adde Philippum Mornæum, *in mysterio iniquitatis, pag.* 5. 8. *seqq.* Abrogabat ille Cæsari Domino suo contra omne jus fasque Imperium, jubebatque pro Imperio, ut Proceres Cæsarem alium eligere vellent, Imperatori novo ab eis electo favebat ita, ut Proceribus illis prolixas grates ageret, *peccatorum omnium remissionem in hac & futura vita concederet*, Sigonius *lib.* 9. *historiæ Italicæ*, & nos *lib.* 10. *historiæ universalis, cap.* 2. *dist.* 5. 6. Frustrà verò occupatur Onuphrius Panvinius *libris quinque de rebus gestis Hildebrandi*, ut ferrea decreta vel excuset, vel defendat. Porrò defendunt illa Martha Neapolitanus *Tractatu de Jurisdictione lib* 1. *cap.* 18. 19 20. Balthasar Ajala *de Jure belli lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 27. Nicolaus Sanderus *libris de Monarchia visibili*, Caspar Sciopppius *in Ecclesiastico cap.* 42. *seqq.* Thomas Bozius *lib.* 3. *de ratione status cap.* 1. 2. 3. *seq.* Franciscus Bozius *libris quinque de temporali Ecclesiæ jurisdictione*, Bellarminus *lib.* 5. *de Pontifice Romano, cap.* 6. 7 8. Franciscus Suarez *adversus sectam Anglicanam lib.* 6. *cap.* 4. Johannes Azorius *lib.* 8. *Institut. moral. cap.* 13. *lib.* 10. *cap.* 9. Adamus Conzenus *lib.* 6. *doctrinæ civilis pag.* 8. 9. Vitus Erbermannus *in Bellarmino vindicato, Tom.* 1. *pag.* 439. *seqq.* Antonius Cordubensis *in Controversiis Theologicis lib.* 1. *quæst.* 57.

II. Contrarium rectè docent Antonius de Rosellis *libro de potestate Cæsaris & Papæ part.* 1. *cap.* 20. *seqq.* & *part.* 2. *cap.* 1. *seqq.* Rogerius

gerius Widringtonus Anglus, *Apologia pro juramento fidelitatis*, Edmundus Richerius Parisiensis, *libro de Ecclesiastica & Politica potestate*, Johannes Bedæus *libro de Jure Regum*, Robertus Abottus *libro de suprema potestate Regis*, Petrus Molinæus *lib. de temporali potestate Papæ & Regum*, & cum illis Johannes Bodinus *lib. 1. de Republica, cap.* 10. ubi prolixè adfert veterum Germaniæ Imperatorum concertationes adversum Italiæ factiosos Proceres, horumque antesignanum Papam, à quorum potentia Imperatorum nostrorum majestas ita diminuta fuerit, ut antiquæ gloriæ vix umbra quædam restare videatur: suæ verò gentis Reges laudat, qui à Papis ita vexari noluerint. *Ita ille*, patriæ suæ studiosus cum populorum aliorum contemptu, non quidem ut Papæ facinora approbet, sed ut Imperium Germanicum more suo verbis lacessat. Non tamen eum latere poterat, quod vulgò dicitur:

Non humiles frutices iram metuere Tonantis,
Excelsas quercus, annosas fulminat ornos.

Tonabat Papa in Cæsares, subditus in Dominos suos, ab ejus fulmine haud metuebant Franciæ Reges, quibus cum Italiæ Imperio nihil fuit negocii post abdicatam Caroli Magni familiam, imò, à quibus larga munera petere sibi sueverant Papæ. Cæsares Germaniæ volebant Imperio suo continere Italiam, Papam, civitates, illam uti provinciam suam, istum uti vasallum ligium pariter atque subditum, has uti provinciales, aut si fortè liberas, non tamen ab Imperio exemptas, haud aliter quàm Dominus in servum fugitivum perpetuam manus injectionem sibi reservat. Hinc illæ seditiones motæ in Ottones, Henricos, Fridericos, Ludovicos, Papis ipsis exitiosæ multoties. Nimirum hoc istorum Cæsarum fuit proprium, ut virtutes suas, quibus ad posteritatem clarissimi sunt, non ostenderent sine comite invidia, sed quantò altius illæ radices egerant, tantò magis eidem expositæ essent, utque adeò quàm nihil ex omni parte beatum sit, exemplis magnis comprobaretur. Unicum fuit, quod adversus eos provocare malos conatus poterat, non vitium quidem, quod vituperio esse, quodque Imperii majestatem diminuere posset; tale tamen quocunque majestas admodùm rarò, & fortè nunquam sine insigni aliquo detrimento consistit. Et erat id quidem nimia LENITAS. Quæ virtus in vitium tracta fuit inter facinorosos, & quia Religionis metu connivere volebant Cæsares, turpe putabant Cæsarum hostes, per indulgentiam istam non moliri ea, quibus tàm insignis patientia magis magisque exerceri posset. Demùm non soli Germaniæ Imperatores sunt, quos exagitare Papa voluit, evolvatque Bodinus annales suæ gentis, & observabit, Papas non aliter egisse cum Galliæ Regibus, Philippo Augusto, Philippo Pulchro, Carolo VII. Ludovico XII. Henrico Navarrheno, de quibus egimus in Recensu historiæ universalis, *lib.* 13. *cap.* 3. *dist.* 5. *cap.* 4. *dist.* 16. *cap.* 5. *dist.* 1. Cæterùm illa Papæ arrogata potestas meritò impugnatur. Rationes sunt: (1.) Quia Christus serìò interdixit Apostolis, omnibusque verbi sacri præconibus, ne vellent in Regum jura involare, *Matth.* 20. 25. *Luc.* 22. 24. Reges gentium dominantur, vos autem non sic, qui maximus inter vos, sicut minimus esto. *Excipiunt:* Non removet Dominus regimen omne ab Ecclesia, sed istud saltem, quod

quod cum ſævitia conjunctum eſt, itaque additur, *vos autem non ſic*, videlicet more Tyrannorum, qui populos regunt, Becanus *lib.2.de Republ.Eccleſiaſt.pag.*187.*ſeqq.* Cornelius à Lapide *Commentario ad Matthæum pag.*390. Reſpondeo: Simpliciter interdicit dominio illis, quos vult eſſe inter ſe pares, humiles, miniſtros. Ergò illud à Clericis removetur, quod directè opponitur miniſterio, uti miniſtrum eſſe, & habere ſibi miniſtrantes, opponuntur, Matth.20.28. Atqui hoc eſt dominium. Ergò dominium à miniſtris removetur. Nec verò tantùm prohibetur dominium crudele: Quod enim Servator Regibus attribuit, hoc Regibus omnibus convenit. Omnes Reges Tyrannos eſſe, nemo affirmaverit. Et cupiebant Apoſtoli, ut participes fierent ejus Imperii, quod Servator auſpicaturus erat, *Luc.* 24.21. *Actor.*1.6. Hoc verò uti crudele nullum erat, ita ipſi credebant, futurum eſſe civile. Verba οὐχ οὕτως negant ſimpliciter, quomodo לא כן apud Hebræos valent, *Gen.*4.15. *Pſal.*1.4. *Matth.*19.8. *Eph.*4.20. Denique removebat Servator has curas ab eis, quòd non poſſet eſſe verbi miniſter cum debita induſtria, ille, qui civilibus negociis ſeque ſuoſque labores addiceret, 2.*Timoth.*2.3.4. Quòd enim Bellarminus *lib.*5.*de Pontifice Romano, cap.*9. Franciſcus Bozius *lib.*5.*de Juriſdict.Eccleſ.cap.*10 conquirunt exempla eorum, qui Reges atque unà Sacerdotes fuerunt, ut Melchiſedechus, *Gen.*14.18.19. & Haſamonæi, 1.*Maccab.*2.1.*ſeqq.* hoc, inquam, parum juvat. Erat apud populos vetuſtos Sacerdotium velut acceſſorium Regno itaque Juſtinus refert de Mida Rege, quod ab Orpheo ſacrorum ſolennibus initiatus, Phrygiam religionibus implevit, *lib.*11.*cap.*7. Verùm Reſpublica Hebræorum, uti à Deo conſtituta eſt, non admiſit Reges, qui Sacerdotes inſimul eſſent, diſtinctos potius voluit eſſe, & Sacerdotes quidem Regibus inferiores atque ſubjectos, *Exod.*28.1.2.*ſeqq.Joſ.*21.13. 1.*Sam.*22.13.14. 1.*Reg.*1.7.8. Cæterùm ſub Haſmonæis antiquus mos reſtitui cepit, ac toleratus fuit, velut ritus aliquis Legis ceremonialis, quam Servator proximo tempore adfuturus debebat adventu ſuo abolere, uti veniente corpore ceſſant umbræ, *Coloſſ.*2.17.*Hebr.*7.12.*ſeqq.* Hodiè aliter eſt, *neque poteſt quis ſimul Deo & ſeculo militare*, uti eſt in Concilio Meldenſi cap.37.(2.) Quia monitorum iſtorum curâ ducti Apoſtoli non imperaverunt Regibus, quæ agere deberent, ſed obediendo eis ſubditi fuerunt, utque privati omnes ita agerent, admonuerunt, *Roman.*13.1.2 *ſeq.* 1.*Petr.*2.13.18.*Tit.*3.1.2. (3.) Quia veteris ævi Potifices abſtinuerunt prorſus ab inaudita curioſitate illa, ac potius quò magis pietatem quiſque colebat, eò impenſius venerabatur Cæſares, Reges, Principes, quorum ſervos indigitabant ſeſe, exemplo Gregorii Magni *lib.*2.*epiſt.*61. (4.) Quia Servator hoc unum injunxit verbi miniſtris, ut vellent prædicare verbum, *Matth.*28.19. 20. atque ita Apoſtoli commendant munus ſuum, quòd arma ſpiritualia adhibeant in convertendis hominum animis, non verò in perdendis illis occupentur, 2.*Cor.*10.4.5. (5.) Quia primi Chriſtiani adverſus Cæſares, Reges, Principes infideles nunquam ſeditiones ullas commoverunt, nullas proſcriptiones evulgaverunt, nullos ſicarios emiſerunt, ſed precibus egerunt pro ſalute illorum pariter atque ſua, uti docet Tertullianus *libro ad Scapulam.* Excipiunt *Bellarminus*

minus & *Erbermannus*: Primi Christiani toleraverunt Magistratum infidelem, quia defuerunt ipsis vires in temporalibus. *Respondeo*: Imò quid opus erat copiis atque armis, si unus Catisbejus, unus Ravalliacus, unus Girhardus huic negocio sufficeret? Annon fuisset ita promptum, quantumvis paucis in caput Imperatoris conjurare, atque Garneto cum allectis in perniciem Regis Britanniæ: Reprimebant autem manus, & occasioni renunciabant, non quia viribus inferiores erant; sed quia Magistratus potestati legitimæ suberant, ideò paruerunt. Neque enim rebellionis crimen incurrere voluerunt, memores verborum Apostoli, *non solùm propter pœnam, sed & propter conscientiam*. Quàm verò etiam non fuerint sine viribus, docet *Tertullianus*: Si hostes exsertos, & non tantùm vindices occultos agere vellemus, non deesset nobis vis numerorum & copiarum. Externi sumus & vestra omnia implevimus, orbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatia, Senatum, forum. Sola vobis reliquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, si non apud illam disciplinam magis occidi liceret, quàm occidere, *in Apologetico*. (6.) Quia potestas civilis non derivatur à gratia & fide, sed est Juris gentium, proinde Reges ad fidem conversi, essent deterioris conditionis, quàm Reges infideles, quando his nihil præscribere quiverit Papa, illos in potestate sua contineat, ut auferre posset Regna, & dare aliis, cùm luberet. (7.) Quia hæc parricidialis doctrina velut equus Sejanus proprios dominos perdidit, turbisque funestis implevit orbem, armavit sicarios in Reges, cædibus ac veneficiis permiscuit populos, diris litibus fœdavit omnia. Et tamen facinorosi isti laudes amplas promeruerunt, uti dicemus *infrà dist*.4.

III. Instant *Bellarminus* & *Becanus*: (1.) Non licere Christianis tolerare infidelem Regem sive hæreticum, quomodo Judæis vetitum erat exteræ gentis Regem sibi imponere, ne ad impietatem seducerentur, Deut. 17. 15. *Respondeo*: Negatur consequentia. Equidem vetitum erat Judæis, ne tale quid facerent, interim nemo Pontificum, nemo Procerum gentis ejus, adversus Regem suum, suæ gentis, quanquam impietatis reum, vitiis deformem, invasisse dolo, armis, excommunicavisse, uspiam legitur. Si quisquam Regum istorum, qui tunc multi fuerunt, à sicariis occisus est, Deum, Proceres, populumque omnem ultores habuit. Nadabum occiderat Baësa, hujus filius, Ella pariebatur à Simri, quæ pater ejus in Rege suo designaverat, 1. *Reg*. 15. 25. 27. *cap*. 16. 8. 9. Hinc Jehu Vates pronunciabat adversus Baësæ domum, fore ut illa pessimis modis haberetur, tùm ob causas alias, tùm verò etiam ideò, *quòd* (Baësa) *percusserat eum* (Nadabum) 1. Reg. 16. 7. Nam & hoc facinus pœnam merebatur, cùm nullo Dei jussu istud patraverat. Romanus Interpres vertit, *ob hanc causam occidit eum*. Menochius annotat, *Baësa Rex Prophetam Jehu*. Quod contra veritatem asseritur, ut rectè monet Tostadus *Commentariis ad h. l.* & ostenditur, tùm quia Jehu venit ad Regem Josaphat, 2. *Paral*. 19. 20. tùm quia Regis Josaphati acta perscripsit, 2. *Paral*. 20. 34. Neutrum esse poterat, quando Baësa interfecisset eum. Rectius notat *Vatablus*: Minatur Deus interitum familiæ Baësa, duas ob causas,

causas, prima est cultus Idolorum, secunda est, quòd ille Dominum suum Nadabum interfecerat. *Hæc ille.* Porrò sciendum est, quòd electio per libera suffragia facilè vitare poterat, ne peregrinæ gentis, peregrinis cultibus addictus Rex eligeretur, attamen si alio quopiam pacto devenirent in potestatem Regis exteri, omninò fidem illi datam servare debebant, *Jerem.* 38. 17. *Ezech.* 17. 12. 13. 14. 15. Denique si non licet obedire infidelibus Regibus, quare primitiva Ecclesia obediebat Neronibus, Trajanis, Deciis, Julianis? Quare pro illis preces ad Deum fundebant? Quare mori præoptabant, quàm seditionibus animum intendere? (2.) Pontifex Jojada Imperium pariter ac vitam eripiebat Athaliæ Reginæ impiæ & malignæ, 2. *Reg.* 11. 3. *seqq.* Eodem modo Papa Romanus adversus Reges impios agere potest. *Respondeo*: Athalia incubabat Regno alieno, Regum latro, itaque tyrannidis manifestæ ream Proceres totusque populus armis invadebant, cæsam è medio tollebant, verum hæredem Joasum restituebant in solium. Regerit *Becanus*: Erat Regina legitima, quamvis enim occupaverat Imperium per vim, tamen consensus & obedientia subditorum accessit tandem, uti Baësa, Simri, Sallum, Menahem, Pekah, Hoseas per tyrannidem invaserunt solium, & non obstante eo, legitimi Reges habentur. Porrò, quamdiu non constat, alium esse Regni successorem, tamdiu jus Regni censetur ad illum pertinere, qui de facto Regnum administrat, consentiente populo. Atqui sexennio illo, quo præfuit Athalia, non constabat, alium esse Regni successorem, Joas enim latitabat, omnesque hæredes putabantur ab Athalia esse occisi. Ergò Athalia legitimè regnavit, *libro de Potestate Papæ, adversus Lancellottum, pag.* 133. *seqq.* Respondeo: Præerat vi merâ, nullo jure, & verò obedientiâ, quam populus exhibebat, coacta erat, uti sub Tyrannis exercitio esse assolet, neque enim poterant legitimum hæredem spoliare, & ad peregrinum transferre, quòd vetuerat Deus ex peregrinis Regem sibi imponere, *Deut.* 17. 15. 2. *Reg.* 8. 18. 2. *Paralip.* 21. 6. Proinde affabatur eos Jojada: Ecce, filius Regis dominabitur vobis, prout loquutus est Dominus filiis David, 2. *Samuel.* 7. 8. *seq. Psalm.* 2. 6. 7. 8. 9. Exempla de Baësa, Simri, Hosea non faciunt ad rem. Contigerunt ista in Regno schismatico, neque tunc hæredes supererant, itaque Regnum erat ejus, qui invadebat, & consensu populi obtinebat. Quòd non constaret, hæredem superesse, falsum est. Satis noverant Proceres, melior pars populi, superesse Joasum, & clàm habebant, 2. *Reg.* 11. 4. Horum operâ usus Pontifex, depulit Athaliam, Joaso reddidit, quod ei debebatur. Pergit *Becanus*: Pontifex omnia ista fecit propriâ authoritate, exsecutionem verò citra armorum usum peragere non potuit, quoniam Athalia satellitio munita & favore publico, solâ authoritate depelli non poterat. Unde argumentum: Aut publicâ, aut privatâ authoritate fecit Jojada, quod fecit. Non hoc, quia nemini licet privatâ authoritate Regem deponere, qui à subditis toleratur. Ergò illud. At publi-

publica non fuit alia quàm Pontificia in Pontifice. Ergò Pontificiâ authoritate fecit, quod fecit, *l.d.pag.*136.137. Respondeo: Nihil fecit proprio arbitrio, itaque sancit fœdus cum Proceribus reliquis, tantùm quòd negotii supremus Procurator erat, idque meritò, quia erat proximus cognatus pupilli, & magnæ authoritatis, 1.*Reg*, 11.1.2.8.15. Falsum est, quòd Athalia favore publico munita fuerit. Tolerare furiam tot innocentium cruore madidam, non est pleno assensu venerari. Cæterùm non ferit dilemma. Nihil fecit Jojada, quod non impunè licuisset privato cuivis. Erat enim Athalia Tyrannus invasione, quem populorum omnium receptâ consuetudine licet cujusvis manibus è medio tollere, uti diximus *suprà cap.7.dist.*8.(3.) Pontifex Zacharias decernebat adversus Regem Usiam leprâ fœdum, ut de templo ejiceretur, solioque privaretur, 2.*Chron.*26.16.*seqq.* Respondeo: Non hoc quidem Pontificis decretum erat, ut templo vellet Rex leprosus exire, sed Rex ipse correptus leprâ, maturabat abire, *vers.* 20. Tantò minus eum solio privare debuit, quod occupavit Usias adusque obitum suum, filius Jotham Pro-Regis munus gessit, interim dum pater in domo privata vitam calamitosam agebat, 2. *Reg.* 15. 5. 6. 2. *Paral.* 26.3. Totum hoc Dei ultoris opus fuit, non verò Pontificis. Leprosi enim abstinebant consortio hominum, *Lev.* 13.1.2.*seq.cap.*14.1.2.*seq.* Regerunt *Bellarminus* & *Erbermannus*: Usiam leprâ percullsum, retinuisse quidem nomen Regium, sed inane, postquam loco ejus regnaret filius Jotham. *Respondeo:* Negatur, quòd nomen inane haberet. Namque filius patris vicarius, patri subjectus erat, quamdiu pater superabat, exemplo ejus quod de Nebucadnesare ab atra bile vexato legitur, *Daniel*.4.28.*seqq.* Proinde Usiâ defuncto successit Jotham, 2. *Reg.* 15.7. ante cujus obitum nec Regni proprietatem, nec Regis authoritatem habebat, functiones verò aliquas patre volente jubente obiverat, Reipublicæ bono. (4.) Pastor bonus mactat arietes furiosos, ne damnum inferant ovibus: Eodem modo Pontifex animarum pastor abrogare potest Reges pravos, ne subditis exemplo factisque noceant. *Respondeo:* Simile pessimum & omnibus modis exsecrandum! Pontifex animarum pastor tunc demum est, cùm è verbi sacri præscripto agit, monendo, orando, suadendo. Cùm aliter agit, occidendo, spoliando, rapiendo, latro est, Regum hostis. Interim Lector miretur compendium doctrinæ Papisticæ in verbis illis, *pasce oves meas*, comprehensum. Monarchæ & Reges in Ecclesia esse volunt & sunt hodiè Papæ. Quare? Quia dixit Petro Servator: *Pasce oves meas.* Papæ volunt esse judices controversiarum fidei, quæ fuerunt olim partes Conciliorum è verbo Dei, & probat Bellarminus inde, quia dictum est: *Pasce oves meas.* Papæ arrogant sibi jus, quod non possint errare in fide, scilicet quia Servator dixit ad Petrum: *Pasce oves meas.* Papæ arrogant sibi jus ferendi leges obligantes in conscientia, quia dixit Servator: *Pasce oves meas.* Papæ largiuntur venias & indulgentias numero & pondere immensas, quia Servator dixit: *Pasce oves meas.* Papæ imperium exercent in Reges, quia Servator dixit: *Pasce oves meas.* Papæ denunciare possunt mortis judicium in Reges sibi immorigeros, quia Servator dixit: *Pasce oves meas.* Nimirum pascere est idem quod occidere!

Et

Et unum eſt in terris nomen atque numen, Papæ! Unius Papæ ſunt propria rerum ſuprema arbitria! (5.) Sunt exempla Regum, quos Papa ſolio dejecit, videlicet Leonis Conſtantinopolitani, Childerici Franci, Henrici IV. Friderici II. Ludovici IV. Cæſarum Germaniæ. Atqui omnes illi patienter hoc pertulerunt, & factum laudant Authores. *Reſpondeo:* Quis verò collaudet ita Luciferos illos egiſſe, ut abominandis auſis obtendendo nomen pietatis, Unctos Domini ſoli Deo ſubjectos, ſolo Deo minores, perversè exagitando, orbem cladibus ſanguinariis impleverint, familias illuſtres exitio addixerint! Erat hæc poteſtas tenebrarum ævi ejus, adeoque facinora illa apud poſteros ſunt damnatæ memoriæ, uti prolixius oſtendit Wilhelmus Barret *lib. 3. de Jure Regis, cap. 2. ſeqq.* Neque laudant factum Authores, niſi Regum perduelles, aulæ Romanæ paraſiti, rudes literarum meliorum, ſed benè ac gnaviter impudentes Canonum Doctores. Aliter *Otho Friſingenſis*: Lego & relego Imperatorum geſta, & nusquam invenio, quenquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum vel Regno privatum, niſi fortè quis pro anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus à Romano Epiſcopo inter pœnitentes collocatus; & Theodoſius à B. Ambroſio propter cruentam cædem à limitibus Eccleſiæ ſequeſtratus ſit, *lib. 6. hiſt. cap. 35.* Hæc optimus ille Scriptor, & veriſſimè, quanquam de excommunicatione proponat duo exempla illa, ſi non vera, tantùm veri ſpeciem mentientia. De Philippo Cæſare dicemus *infrà cap. 16. diſt. 15.* eſſe fictum. De Theodoſio conſtat agnoviſſe ipſum crimen horribilis ejus laniena, quam adverſus homines promiſcuos exercuerat, & paruiſſe monitis Epiſcopi, non etiam ut hic ſeſe efferre poſſet, quaſi pro Imperio ageret. Atqui Papis Imperium arrogant Caroniſtæ, quos imitari voluit Cæſar Baronius mercede conductus, ut Hildebrandinam hæreſin vaſtis Annalium voluminibus incruſtaret. Nulla inter Papas & ullum Principum rixa intervenit, quæ non ita deſcribatur, ut excuſentur Papæ, & verò Principes ejus poteſtatis, quam Dei nomine in his terris gerunt, tenaces, ut perditorum perditiſſimi lacerantur. Itaque Principes locis innumeris & ad faſtidium Lectoris hortatur, *ut humili ſervitio Chriſti Vicarios colant.* Quaſi Reges non eſſent in Regnis ſuis Vicarii Dei, quorum majeſtatem imminuere, crimen eſſe apud Deum, ante exortam hanc novam doctrinam nemo dubitaverat! Neque autem refert qualis ſit Papa, nam cùm ipſa rei veritas etiam illos, qui Papam Latinum ceu terrenum Jovem colunt, fateri coëgerit, fuiſſe Papas ſæpius ſceleſtiſſimos, dicente Genebrardo *lib. 4. Chronici*, quando tamen optimus Cæſar improbos Papæ mores in Eccleſia accuſavit, & Cenſuræ juſtæ ſubjecit, malè egiſſe contenditur vel bis multis, Papæ jus aſſeritur, Sedes Apoſtolica neminis judicio ſubjacere, pronunciatur, Spondanus *in Epitoma Annalium pag. 867. 868.* Ita omninò periit de rebus pudor!

IV. Fingit *Henricianos*, uti vocat, hæreticos, dictos ab Henrico IV. Cæſare Germaniæ, quem diris modis perſecutus Gregorius VII. ſeculi ſui opprobrium, arma, excommunicationes, diffidationem, citationes ad tribunal, infidas abſolutiones, quoties voluit minitando & exercendo, primus Imperia & Regna orbis in poteſtate ſua eſſe

decrevit, ut posset dare illa, cui vellet. Diaboli præcepta hæc sunt, *Luc.*4.6. Multò aliter Paulus, *Roman.*13.1.2.*seq.* Ecquæ igitur hæresis illa? Post Deum agnoscere potestatem supremam illam in terris, quam Cæsar & Reges habent, *dare Deo, quæ sunt Dei, & Cæsari quæ sunt Cæsaris.* Ita jussit Christus hæreseos ejus (quam ita Hildebrandistæ vocabant) primus author, *Matt.* 22.21. Lege de Schola illa celebres Doctores, Jacobum Gordonum *in Chronologicis, Tom.*2.*pag.*295.*seq.* Francisc. Longum *in Chronologia.fol.*314.*seqq.* Theod. Petrejum *in Catalogo hæreticorum, pag.*84. Spondanum *in Epitoma Annal.pag.*940.*seqq.* Vidit similes conatus ætas nostra in Gallia, Anglia, Belgio, cædes Regum & Principum, qui ad impias Papæ aras Sacramentum dicere, & cœlestis veritatis ejus, quæ Reges magnos ab hac tertia servitute liberat, Professores ad necem persequi nolebant; Elisabetham Anglicam veneno tentaverunt, Jacobum Britannum & tot illustres viros pulveraria conjuratione aggressi, Henricum III. & Henricum IV. Gallos venenatis cultris foderunt, Wilhelmum Orangium globo percusserunt, Barrerius, Varadas, Castellus, Guinandus, Parrius, Cullenus, Williamus, Jorkius, Sequijerus, Hesketus, Garnetus, Oldkornus, Hammondus, Grenvellus, Jac. Clemens, Fr. Ravalliacus, Balthasar Girardus particidæ, quos de patibulo martyres libris instruxerunt, defenderunt, Sanctorum Catalogo adscripserunt, cœlis inseruerunt, Johannes Mariana *libro de Regno & Regis institutione*, Antonius Santarellus *libro de potestate Papæ in Reges*, Cornelius à Lapide, *in Expositionibus Biblicis*, Thomas Bozius *libris de ratione status*, Petrus Obmeer, *libro 6.Chronographiæ, pag.*850. Wilhelmus Estius *in historia de Martyribus Belgicis*, Clarus Bonarscius, *in Amphitheatro honoris lib.*1.*pag.*56.*seqq.* & rabiosus veritatis desertor Caspar Scioppius *in Ecclesiastico.* De Balthasare Girardo scripsit carmen Levinus Torrentius, quod inter Poëmata ejus extat, *pag.*308. & commendat infamem sicarium: *Morte inferendus cœlicolum choris, Æterno ab omni labe puram, Reddis ovans animam parenti.* Sic ille. De Henrico Garnetto refert *Cornelius à Lapide*: Cùm Garnettus Angliæ Martyr, sociis in Anglia per viginti annos magna cum laude in quotidianis mortis periculis præfuisset tandem gloriosum obiit martyrium pro Catholica fide. Catholicus qui spectator aderat, purpuratam sanguine spicam, ex substrato martyris corpori stramine, religiosè sustulit, quam cùm domi conspicatur attentius; vivam patris imaginem in ea expressam conspexit. Verticem capitis ingens cingebat corona. Crux in fronte rutilabat stellæ inclusa, signaculum cordis illius utique, in quo fasciculus myrrhæ commorabatur. Sub mento Cherubinus visebatur alatus, vel Angelicam ejus puritatem, vel sapientiam & doctrinam indicans. Imago hæc vultus ejus sæpius excusa per omnes Christianorum provincias sparsa est, *Commentariis ad Apocal.*7.*pag.*146. Benè quidem, si Dominus ei gratiam dedit, ut seriò pœniteret super horribili facto, quod in confessionibus auditis approbaverat, & facti authoribus præmia cœlestia addixerat. Cæterùm Henricianam hæresin, uti nos, defendunt Sorbonistæ, qui Marianæ & Santarelli scelestos libros ad sugillandam Regum potestatem compositos, carnificis manu palàm exusse-

exufferunt, Bellarmini libello adversus Barclajum edito facturi idem, nisi pro Cardinale intercessissent Cardinales, Daniel Chamierus *in Panstratia Cathol. Tom. 2. lib. 15. cap. 14. num. 11.* Barthol. Gramondus *lib. 1. historia Gallicæ*, Joh. Cluverus *in Epitoma historiarum lib. 10. pag.* 816. Audiet interim posteritas, & mirabitur, quòd Papistæ talibus Divis impleant cœlorum regiam, à qua homicidas istos longius protestant sacræ literæ, & ad inferna deturbant, *Gal. 5. 21. Apoc. 22. 15.* ubi facinora expiare debeant.

V. Cùm Henricus III. Galliæ Rex prolem non haberet, successio in Regno pertinebat ad Henricum Burbonium Navarræ Principem, & post Condæum, Reformatæ Religioni addictos, quando Valesia familia defecerat. Contrario studio impulsi Principes Galliæ Pontificii, conscio Hispaniæ Rege, iniverant validam conjurationem, Sanctæ Ligæ titulo, ad exstirpandos Religionis Reformatæ sectatores. Zampinus Italus rabula describebat schedam, quâ probare conabatur, Navarrhenum successionis jure spoliari posse, & Patronus causæ accedebat Papa Gregorius XIV. Qui in hanc nomina dederant, fidem mutuam juramento obstrinxerunt, se neutiquam in Gallia quenquam regnare passuros, qui aliam Religionem, quàm Catholicam Romanam professus fuisset, & profiteri vellet, neque eum admissuros, qui in alia enutritus, etiamsi eam abnegaret, ne Regnum adeptus, Religionem majorum labefactaret. Quæ omnia ad excludendos Navarrhenum ejusque agnatum proximum Condæum spectare, nemo dubitabat, & ne viderentur familiæ Regiæ desertores esse, igitur Burbonii patruum, Carolum Romanæ Sedis Cardinalem, Latinis sacris addictum, Regio solio impositum cupiebant, Paulus Piasecius *in Chronico Europæ pag.* 92. 93 Petrus Bartholdi *in Floro Francico lib. 4. cap.* 35. Jacob. Aug. Thuanus *in historia lib.* 90. 91. 92. 93. Summa totius negocii erat ista: Jus successionis in Regno ratione sanguinis à Legibus humanis dependere, quas populus mutare possit: In successione qualitates alias, quàm propinquitatem sanguinis adverti debere, ne ineptus imponatur solio: Religionem & cultum Dei præcipuum cujusque Reipublicæ finem esse, & proinde ab omnibus cavendum esse, ne Principem admittant, qui à vera Religione alienus est, & quem cultui divino inimicum esse suspicentur. Pro Navarrheno diligenter urgebant Franciscus Hottomannus *in Bruto fulmine*, Johannes Haivardus *libro de Successione Regia*, Johannes Servinus Advocatus Regius, *Vindiciis pro libertate Ecclesiæ & Regii status Francorum*, quod in Regnis, ubi successores per electionem surrogantur, populi quidem jus sit de idoneis statuere, verùm in Regnis, ubi hæreditaria successio valeat, jus quod sanguinis effectum est, nemini auferri posse. Leges enim non esse mutabiles, postquam universalis consensus stabilivit eas. Porrò verum est, quòd ne ineptus quidem excludatur, ubi mera successio est, itaque cùm Lysander vellet ferre Legem, ut maximè idoneus, non verò sanguine proximus in Regno Lacedæmonio succederet, neminem invenit, qui sententiæ illi suffragaretur, teste Plutarcho *in Vitis Illustribus*. Denique Religionis causa nihil injustum peragendum, quando illa est penes omnes, qui

Venienti ei occurrit populus, & vestibus suis consternit vias publicas, *Matth.* 21.8. scilicet ex more applaudentium novi Regis honoribus, 2. *Reg.* 9.13. Sunt talia apud Æschylum *in Agamemnone*, & Plutarchum *in Catone Uticensi.* Sic Johan. 12.13. ἔλαβον τὰ βαΐα τῶν φοινίκων καὶ ἐξῆλθον εἰς ὑπάντησιν αὐτῷ. Palmarum ramis Principibus & Regibus adventum gratulari, mos erat, quomodò excepti fuerunt Judas Maccabæus, 2. *Macc.* 10.7. Simon Maccabæus post victoriam illustrem, 1. *Macc.* 13.51. Alexander Macedoniæ Rex, Josephus *lib.* 11. *Antiquit. cap.* 1.

II. *Potenter gubernat.*] Contendunt Photiniani, quòd Servator demum post Resurrectionem factus fuerit Rex, Socinus *Animadversionibus in Collegium Posnanense pag.* 65.87. Catechismus Racoviensis *pag.* 311. *seq.* Valent. Smalcius *Examine centum errorum Smiglecii, sect.* 40. *& libro de Christi divinitate cap.* 13. Verùm quemadmodum Propheta & Sacerdos fuit in terris ante Resurrectionem, docendo videlicet ac populum expiando: Ita non minus Rex erat, saltem potestate. Exercitium potestatis obscurius quidem, non tamen prorsus nullum erat, cumprimis quoties pellebat dæmonas ex obsessis. Debebat enim potestatis exercitio sese abdicare, ut hominum communi more pati ac mori posset, *Philip.* 2.6.7.8. Eminentior potestatis usus fuit post resurrectionem, *Matth.* 28.18. *Luc.* 24.26. *Philip.* 2.9.10.11. *Eph.* 1.20.21. 1. *Petr.* 3.22. Huc pertinet locus Rom. 1.3.4. *De filio ejus facto ex semine Davidis secundùm carnem, declarato filio Dei potenter secundùm Spiritum sanctitatis per resurrectionem ex mortuis.* Christus homo de virgine Maria natus est, quæ erat è posteris Davidis, *Matth.* 9.27. *cap.* 12.23. *cap.* 15.22. *Marc.* 10.27.48. *Luc.* 1.32.69. *cap.* 2.5. *cap.* 18.38.39. Atque idem filius Dei multis modis dicitur, maximè populariter ideò, quòd ad Regnum à Deo evectus est, quo sensu verba *Psalmi* 1.7. de Rege Davide prolata, cùm ad Regnum pervenit, Christo aptantur, *Actor.* 13.33. *Heb.* 1.5. cap. 5.5. Hæc autem filii sive regia dignitas Jesu præfigurabatur, jam tum, cùm mortalem agens vitam, magna ista signa & prodigia ederet, quæ δυνάμεως voce indigitantur, *Marc.* 6.5. *cap.* 9.39. *Luc.* 4.36. *cap.* 5.17. *cap.* 6.19. *cap.* 8.46. *Actor.* 3.12. *cap.* 4.33. *cap.* 6.8. *cap.* 10.38. Signa talia edebat Jesus per Spiritum illum sanctitatis, id est, vim divinam, per quam ab initio conceptionis sanctificatus fuerat, *Marc.* 2.8. *Luc.* 1.35. *Joh.* 9.36. Ostenditur ergò Jesus nobilis à parte materna, utpote ex Rege terreno ortus, sed nobilior à patris conditione, quippe à Deo factus Rex cœlestis post resurrectionem, *Actor.* 2.30. *cap.* 26.23. *Hebr.* 5.9. & ei Regno etiam ante destinatus per tot miracula, facta vi divina ipsi propria & in ipso habitante, *Col.* 2.9.

III. *Omnia in cœlo & in terra.*] Matth. 28.18. 1. Cor. 15.27. Eph. 1.20.21. Hebr. 1.3. Nimis amplè sentiunt de potestate regia Servatoris Doctores Scholastici & Canonistæ, qui Regem illum in temporalibus etiam, tunc cùm in his terris miser oberrabat, fuisse affirmant, ut inde aliquod fulcimentum potestatis ejus, quam Papa Romanus in temporalibus sibi arrogat, desumere possint, Alexander Carrerius *lib.* 2. *de potestate Papæ cap.* 5. Torreblanca Villalpandus *lib.* 3. *de Magia cap.* 4. Thomas Bozius *lib.* 2. *de Jure status cap.* 8. *seq.* Franciscus Bo-

zius *lib. 4. & 5. de temporali potestate Papæ*, Alphonsus Mendoza *Relectione de Regno & Dominio Christi, num. 6. & 13.* Petrus Hurtadus de Mendoza *libro de Deo & homine, disput. 81.* Caspar Scioppius *in Ecclesiastico, cap. 36. seqq.* .

IV. Rectius hoc negant Bellarminus *lib. 5. de Pontifice Romano, cap. 4. 5.* Albertus Pighius *lib. 2. de Hierarchia Ecclesiastica, cap. 4. seq.* Marcus Antonius de Dominis *lib. 5. de Republ. Ecclesiast. cap. 1. seq.* Gregor. de Valentia *Tom. 4. Commentar. Theolog. disput. 1. quæst. 11.* Franciscus Victoria *Relectione de potestate Ecclesiæ, quæst. 5. num. 16. seqq.* Tostadus *Commentariis ad Matthæum, quæst. 30. cap. 21.* Becanus *Tom. 2. Theologiæ Scholasticæ, pag. 609.* Gabriel Vasques *Tom. 1. Commentar. in part. 3. Summæ Theolog. fol. 683. seqq.* Et constat: (1.) Quia rejecit à se omne arbitrium rerum civilium, *Luc. 12. 13. 14.* (2.) Quia recusavit accipere dignitatem Regiam, communi populorum assensu oblatam, *Johan. 6. 15.* (3.) Quia disertè fassus est, Regnum suum non esse de hoc mundo, *Johan. 18. 36.* (4.) Quia non venerat, ut ministerio aliorum frueretur, sed ut ministraret ipse aliis, *Matth. 20. 28.* (5.) Quia agnovit potestatem civilem, cui ex ordinatione divina subjectus esset, *Johan. 19. 11.* (6.) Quia solvit tributum ordinarium, *Matth. 17. 27.* Excipiunt *Bozius & Scioppius*: (1.) Servator pro hæreditate accepit gentes & fines mundi, Psalm. 2. 8. *Respondeo:* Non ut imperaret Rex temporalis, verùm ut illos prædicatione Evangelii converteret Rex Sionis, *Psalm. 2. 6. Dan. 2. 44. 45. cap. 7. 27. Apocal. 1. 5. 6. cap. 2. 26. 27. cap. 17. 14. cap. 19. 15. 16.* (2.) Servator accepit omnem potestatem in cœlo & in terra, Matth. 28. 18. *Respondeo:* Accepit post resurrectionem, & usurpavit in adscensione ad cœlos, quod non pertinet ad Servatorem exinanitum, *Luc. 24. 26. Philip. 2. 6. 7. 8. Hebr. 1. 3.* (3.) Servator exercuit potestatem illam, cùm mercatores ejecit de templo, Johan. 2. 15. seqq. *Respondeo:* Erant privati illi, adeoque tabernarios pellendo, magis fecit officium Sacerdotis, quàm Regis, nam templi curam gerere, ne rebus profanis contaminaretur, ad Sacerdotes pertinebat, *2. Par. 26. 17. seqq.* (4.) Servator natus est ex tribu Juda, ad quam potestas regia devoluta erat secundùm ordinationem Jacobi, *Genes. 49. 8. 9. 10.* *Respondeo:* Natus est quidem è tribu illa, sed tunc cùm inde sceptrum erat ablatum, proinde jubebat dare Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & negabat, Regnum suum de hoc mundo esse, *Gen. 49. 10. Matt. 22. 21. Johan. 19. 15.* Imò assumpserat formam, non tantùm hominis, verùm etiam servi, nempè ut omnibus modis ostenderet, se regiam originem suam non trahere in argumentum potestatis regiæ, *Matth. 20. 28. Apoc. 5. 5. Philip. 2. 7. 8.* (5.) Servator affirmat, quòd sit filius Regis, & immunis à tributo solvendo, Matth. 17. 25. 26. *Respondeo:* Non qui se Regis filium esse dicit, simul dicit se Regem esse, sed tantùm pronunciat hoc, se jure debere esse Regem, si nihil novi accidisset. Atqui hoc acciderat novi, quòd majores Servatoris jus Regis amiserant, *Gen. 49. 10. Matth. 22. 21.* Quamobrem ut ostenderet, se non esse Regem, solvit tributum, *Matth. 17. 27.* non facturus ita, si Rex fuisset.

V. *Regnum Christi est triplex, Potentiæ, Gratiæ, Gloriæ. Potentiæ est, quâ omnia sustinet verbo potente suo.*] Psalm. 110. 2. Daniel. 7. 14.

7.14. Ephes.1.21. Hebr.1.3.cap.2.8. Johan. 5.17. & confer librum nostrum de Operibus Creationis, *Exercitat.*24.*dist.*2. Hæc ejus providentia complectitur omnes creaturas. Credebant prisci Judæi, & credunt hodiè quoque, Regnum Messiæ fore dominatum secularem, quo ille orbem totum bello subigere, & populares suos in Palæstinam restituere debeat, opum plurimarum dominos futuros. Testis est Syrachides cap. 48.9.10.11. *Qui conscriptus es* (prænunciatus in libro Malachiæ c.4.5.6.) *Comminatio*. (comminationem allaturus) *adversus tempora, ad mitigandam Dei iram, antequam furor fiat, ad convertendum cor patrum ad filios, & ad restituendas tribus Jacobi. Beati, qui videbunt te, & in dilectione (Dei) obiverunt. Nos enim* (qui tales erimus) *vitâ* (redditâ) *vivemus*. Locum Malachiæ 4.5.6. intelligebant hujus Scriptoris, atque etiam Christi tempore, ut & nunc intelligunt Judæi de Elia, non quidem mystico, (seu Johanne Baptista, quomodo Christus interpretatur, *Matth.*17.11.) sed Thesbita illo, qui olim Achabo comminatus fuerat, quem putabant venturum ante Messiæ tempora, & denunciatione gravium malorum, quæ instarent, effecturum, ut Israëlitæ inter se concordes restituerentur in veterem statum, deinde superventurum Messiam filium David, ut procuraret Resurrectionem primam, nempe eorum Israëlitarum, qui in vera pietate diem obierunt, quique omnes participes futuri sint bonorum Messiæ in hac terra. Illis piis hic Scriptor se quoque annumerat. De re eadem testes porrò sunt Pharisæus ille, *Luc.*14.15. & Discipuli Christi, *Matth.*20.21.*cap.*24.24. *Actor.*1.6. Adde his, quæ sunt 4. *Esdræ* 13.1.2.*seq. cap.*14.1.2.*seqq.* & Rabbinum Menasseh Ben-Israel *lib.* 3. *de Resurrectione Mortuorum*, *cap.*1.2.*seq.* Nos ejus sententiæ vanitatem ostendimus, quando Messiam venisse, ex literis sacris probavimus, libro de Scriptura sacra, *Exercitat.*31.*dist.*1.*seqq.* Servator negat, quòd venerit ad potestatem civilem obeundam, *Matth.*8.20.*cap.*22.21. *Luc.*17.20.21.*cap.*22.25.29 *Joh.*18 36.

VI. Tantò magis mirandum est, quòd Photiniani eadem cum Judæis sentiant. Nimirum Servatorem promissum orbis Regnum terrenum habiturum, quod quidem ut Jesus Nazarenus statim occuparet, missum fuisse cœlitus, sed quia Judæi, ad quos missus erat, recipere hunc Regem suum cum debita reverentia noluerunt, ideò postquam occisus fuit ab improbis, Deus resuscitatum cum abduxerit in cœlos, ubi Deo præsens tantisper maneat, donec ad meliorem mentem conversis Judæis, opportunus in terras redeat, & in urbe Hierosolymorum Rex inauguratus, Judæos more aliorum Regum civili imperio moderetur, populosque reliquos ad illud congreget. Ita Franciscus Davidis *libro de adoratione Christi ad Socinum, pag.*184.*seqq.* Seidelius *Epist.* 2. *ad Socinum*. Verùm hæc frustrà dicuntur, ipsique adeò Socino displicuerunt. Nolebat Jesus Nazarenus Rex esse, quanquam populi voto expeteretur, *Johan.*6.15. veneratur potius Regiam potestatem in Cæsare, & superiorem illum fatetur esse, *Matth.* 22. 21. *Johan.* 19. 11. 15. & Regnum Messiæ esse Regnum gratiæ spiritualis, non etiam in potentia seculari consistere, pronunciat, *Luc.*17.20.21. Repetimus argumenta: Tunc venit Messias in populos omnes ad se congregavit, quando sceptrum à Juda ablatum fuit. Atqui sceptrum fuit ablatum, cùm primò Christus in carnem

carnem venit. Ergò cùm primùm in carnem venit Christus, venit ut Messias, & populos omnes ad se congregavit. *Item*: Tunc venit Messias, & Regnum suum dedit Sanctis, quando Syror. & Ægyptior. regna potentiæ Romanæ succubuerunt. Atqui Regna illa potentiæ Romanæ succubuerunt, tunc cùm primò venit Christus in carnem. Ergò tunc venit Messias, & Regnum suum dedit Sanctis. Confer *Gen*.49.10. *Dan*.2.44. *cap*.7.27. *Joh*.12.31. & quæ nos diximus *suprà cap. IX. dist*.9. Neque cùm veniet Messias alterâ vice, restaurabit populum Judaicum, sed redibit ad judicium universale, *Matth*.25.31. *seqq. Hebr*.9.27.28.

VII. *Gratia est, quâ Ecclesia bona disponit, ut per illa homines veniant ad salutem.*] Matth.28.20. 1.Cor.15.24.seqq. Eph.4.8. 11. cap.5.26.

VIII. *Gloria est, quâ homines pios resuscitatos cœlestibus præmiis coronabit.*] 1.Cor. 15.18. Apoc.21.1.2.seq. cap.22.1.2.seqq.

CAPUT DUODECIMUM.

De Jure Regio Hebræorum.

SUMMARIA.

1. *Jus Regium à Samuele promulgatum.*
2. *Solvuntur contrariæ rationes.*
3. *Potestas Regum Hebræorum.*
4. *Solvuntur argumenta.*

I. Eminentia Regis apud Hebræos patet evidenter secundùm Jura illa, quæ promulgabat Samuel, 1.*Sam*.8.11.*seqq.* De illis ita refert *Sulpicius Severus*: Igitur frequentes Samuelem circumsistunt, ut quia jam ipse senuisset, Regem eis constitueret. At ille placidè salubri oratione ab insana voluntate detorquere plebem, dominationem regiam & superba imperia exponere, libertatem extollere, servitutem detestari, postremò divinam eis iram denunciare, siquidem homines mente corrupti Deum Regem habentes, Regem sibi ex hominibus flagitarent, *lib*.1.*historiæ sacræ*, *cap*.58. Verùm Jura illa sunt Majestatis, quæ Rex apud subditos suos exercere potest, & secundùm quæ tenentur subditi excellentiam Regis perfectè venerari, ut dudum notavit Rabbinus Maimonides *in Halachoth Melachim cap*.4. Quod enim Wilhelmus Bucanus *in Analysi Theolog. Loco* 49. scribit, absolutam potestatem aliquam verbis illis non contineri, erroneum est. Sanè omnia ponuntur in manu Regis, adeoque negatur verbis expressis, quòd populus quicquam contrà moliri debeat. Et qui cum Bodino *lib*.1.*de Republica*, *cap*.10. exponunt, *hic est mos Regis*, si de more, id est, consuetudine ordinaria, intelligunt, nobiscum sentiunt. Fuit enim hoc Jus Regum omnium temporumque omnium, ita ut consuetudine perpetuâ illud metiri possimus, quanquam nullæ de illo scriptæ sint Leges. Itaque Chaldæus vocem משפט exponit disertè satis per נימוסא legem, *hæc est ordinaria Lex Regis*. Sin de Tyrannorum ausis explicant cum Becano *libro de Analogia cap*.16. *quæst*.8. & & *libro de Primatu ad Regem Angliæ*, *pag*. 36.37. Besoldo, *libro de Majestate in genere*, *pag*.66.*seqq*. Vatablo, Johanne Drusio, Cornelio à Lapide, Casparo Sanctio, Jacobo Tirino *notatis ad h.l.* Serario, *Commentariis ad h.l.pag*.40. Lamberto Danæo *lib*.1. *Politicæ Christianæ*, *pag*.73. Zeppero, *lib*.4. *de Legibus Mosaicis*, *cap*. 8. Buchanano, *Dialo-*

Dialogo de Jure Regis, *pag*.70. Olao Laurelio *in Syntagmate Theologico*, *pag*.663.*seqq*. Johanne Piscatore *quæstionibus ad h.l.num*. 104. Johanne Althusio *in Politicis*, *cap*.18. *num*.51.*seqq*. Miltono *Defensione pro populo Anglicano*, *pag*.32.*seq*. Balthasare Willio *in Institutionibus Politicis*, *pag*. 533. *seqq*. Adamo Conzeno *lib*.6.*Politicorum*, *cap*.2. *num*.9.*seqq*. Johanne Angelio Werdenhagen *in Medulla Politica*, *lib*.1.*cap*.3. *quæst*. 10. Timplero *lib*.5.*System*. *Politic*. *cap*. 1. *quæst*.3. Petro Fabro *lib*.3.*Semestrium Juris cap*.16. Tholosano *lib*.8.*de Republica*, *cap*. 1.*dist*.8 *seqq*. Cyriaco Lentulo *libro de convertenda Republica*, *pag*.24.25. Wolffgango Francio *libro de Interpretatione Scripturæ*, *Oraculo* 126. Balthasaro Cellario *lib*.2. *Institutionum Politicarum*, *cap*.2.*dist*.21. Andrea Riveto *in Expositione Decalogi Tom*.1. *Operum*, *pag*.1364. Leonhardo Huttero *in Locis Theologicis*, *pag*.1039. graviter hallucinantur. Nihil enim ibi continetur, quod non posset Rex à subditis exigere bono titulo, quatenus ad aulæ magnificentiam sustinendam, & res omnes domi forisque feliciter gerendas, plurimæ impensæ requirebantur. Et probatur ulterius: (1.) Quia rescripta debent interpretari secundùm petita. Atqui populus Regem petebat, non verò Tyrannum. (2.) Quia talem Dominum imposuit ipsis Dominus, qualem petebant, id est, Regem, quem jussit ungi; quem reverenter populo commendabat Samuel; quem populus cupidis animis suscipiebat; quem David colebat veluti Domini Unctum; quem Deus juvit in rebus gerendis pro populo; cùm tamen hostis Tyrannorum esset, eosque Abimelechi & Absolomi exemplo malè perderet, *Judic*.9.1.2.*seqq*. 2.*Sam*.18. 1.2.*seqq*. qui Davidi testis est, quòd pascere debuerit populum in fide & animi rectitudine, *Psalm*.78.70.71.72. qui Regibus dedit sapientiam ut populo benè & rectè præessent, 1.*Reg*.7.57.*seqq*. *Psalm*.72.1.2.*seqq*. (3.) Quia nihil dicit Samuel, quod Rex non possit exigere pro Reipublicæ defensione, aut si denegetur à subditis, quomodo stabit Respublica? Non poterant recusare decimas, id est, tributa; non poterant Regem deserere, cùm is prodibat in bellum; non poterant servitia & operas rusticas denegare, quatenus aulæ reditus illis describerentur, nec poterant ministeria aulica detrectare, quia peregrinis & incircumcisis uti non licebat (4.) Quia in formam Legis redactum Jus & scripto comprehensum deponebatur apud arcam fœderis, ut in testimonium esset posteris, 1.*Sam*.10.35. Quæ manifestò iniqua erant, Legis Regiæ perpetuæ instar esse non poterant.

II. Vera sententia ergò est, quòd sit Regum Jus, uti rectè defendunt Albericus Gentilis *in Disputationibus Regiis*, *fol*.18. Jacobus Rex Britanniæ *libro de Jure liberæ Monarchiæ*, *pag*.184.*seq*. Barclajus *lib*.2. *de potestate Regia*, *pag*.239. Arnisæus *lib*.2. *de Jure Majestatis*, *cap*.1.*num*.4. Wilhelmus Barret *lib*.2. *de Jure Regis*, *cap*.1. Thomas Hobbes *libro de Cive*, *cap*.11.*num*.6. Johannes Cammannus *de Jure Majestatis*, *disput*. 2.*dist*.11.*seq*. Claudius Salmasius *in Defensione Regia*, *pag*.35.*seqq*. Philippus Henonius *in Disputationibus Politicis*, *pag*. 433. *seq*. Martinus Scokius *libro de Justitia belli Belgici*, *cap*.2. Johannes Wandalinus *lib*.1. *de Jure Regis*, *cap*.2.*seqq*. Contrarias rationes videbimus ordine. *Dicunt*: (1.) Jus Regium descriptum à Mose, *Deut*.17.16.*seq*.

M aliter

aliter se habet. *Respondeo*: Describitur ibi Rex secundùm virtutes Theologicas & Ethicas, unde quidem nihil commodè educi potest, quod cum politica gubernatione, uti à Samuele describitur, pugnet. Dicitur ibi, *non multiplicabit sibi equos.*] Ne bellicas artes nimium docti, victoriam & prosperos successus adscriberet sibi, quam laudem Deus solus habere volebat, *Psalm.* 33.17. Hinc asinorum usus apud Judæos invaluit, peccavit vero Salomo Rex, & Rex tamen esse non desiit, 1. *Reg.* 9.19. *cap.* 10.26. Porrò est, *neque facito ut hic populus revertatur in Ægyptum, ad multiplicandum equos.*] Ne occasionem det popularium multis pro terra Chanaan eligendi habitationem in Ægypto, & eò migrandi equorum amore. Judæa asinorum ferax, equorum indigens. Itaque viri illustres vehebantur asinis, *Judicum* 10.4. *cap.* 12.14. 2. *Samuel.* 18.9. 2. *Reg.* 1.33.38. 1. *Chronic.* 27.30. Additur, *non habebit uxores plurimas.* Salomon fecit adversus Legem, neque tamen à Synedrio Legis violatæ reus postulatur, 1. *Reg.* 11. 1. 2. *seq.* Ultimò, *neque argenti & auri immensa pondera.*] Scilicet in thesauris, quibus usus ademptus, aut quos abusus ad fastum & luxum nimium transfert. (2.) Quia decimæ Levitis debitæ, ad Regem deferuntur. *Respondeo*: Decimas à Levitis accipi solitas, non intercepit Rex, sed novas decimas imposuit, unde aulæ magnificentia consisteret, secundùm Jus gentium omnium, *Matth.* 22.21. *Rom.* 13.7. Non video quam ob caussam Scickardus *libro de Jure Regio Hebræorum, pag.* 105.106.107. adversus Maimonidem pertendat, *nullas Regi solutas fuisse decimas.* Aliter est in expressâ litera. (3.) Quia Rex Achabus non fecit impunè, cùm vineam Nabothi regio fisco adjudicaret, 1. Reg. 21.19. *Respondeo*: Erat vetitum in Lege, ne agri familiarum proprii, cùm hæredes adhuc vivebant, extra cognationem devolverentur venditione, donatione, oppignoratione in potestatem alterius, *Num.* 36.7. *Deuter.* 14.25. videlicet ne de nomine familiæ suæ exirent. Si Nabothus retinere volebat vineam suam, erat observantia erga Leges: Cùm verò Achab sibi rapiebat per homicidium & calumniam, erat factum tyrannicum, quatenus ad privatam libidinem etiam inserviebant ista, non verò utilitatis publicæ intererat, in rerum omnium copia spoliare, ac propterea occidere civem, adeoque jure illo, quod Samuel descripsit, non poterat sese tuere. (4.) Quia futurum erat, ut populus oppressus clamaret ad Deum, nec exaudiretur: Atqui contra Magistratum bonum nemo insurgit precibus. *Respondeo*: Est hîc potestas jure concessa, populo tamen molesta futura, quando facile est Regi, licentius uti potestate sua in adducendis subsidiis publicis, quod facere non poterant Judices hactenus, tum quòd hi aulam nullam habebant, tum quòd milites præsidiarios non alebant. Hinc querelæ poterant oboriri, sed quod placuerat semel, deinde non poterat displicere. (5.) Quia Samuel multis agit, ut populum revocet à proposito. *Respondeo*: Non tàm ideò quòd peterent injusta, fuerat enim permissum in Lege, ut cùm vellent, post finitum erroris tempus, & Chanaanis terram in potestatem redactam (*Deut.* 16.15.) Regem è civibus electum præficerent sibi: Sed quòd cuperent onerosa, & quòd libertatem à majoribus eorum liberaliter cultam, vellent cum subjectione rigorosa permutare,

tare, solùm ut vicinos populos exemplo imitarentur. Hoc est, quod Rabbinus Levi Ben-Gerson eleganter vocat דרך החכליות clausulam malam, *Commentar. ad lib. 1. Samuelis, cap.* 8. videlicet in eventu. (6.) Quia Samuel increpat populum Dei nomine, ut ab ejus ira sibi non frustrà timeant. *Respondeo*: Hoc ideò, quòd Regem postularent, impatientiâ aliquâ commoti, & quòd sibi viderentur melius res suas administrare Gentium more, quàm si Deus pergeret eo quo cœperat modo. (7.) Quia Samuel erat Rex populi, neque tamen unquam talia onera exegisse legitur. *Respondeo*: Negatur quòd Samuel Rex fuerit, nam discrimen satis magnum ipse constituit inter Regem & se, qui in libero populo summum Magistratum gesserat hactenus, 1. *Samuel.* 12 1. 2. 3. 4. 5. (8.) Quia petebant Regem, uti habebant vicini in Asia populi. Atqui Reges horum erant Tyranni. *Respondeo*: Regebantur addictè modo imperandi illo, quem Dominatum vocamus, *suprà cap.* 5. *dist.* 6. 7. Neque verò Dominus fuerit idem qui Tyrannus est, quando ille imperat quidem citra leges descriptas, hic legibus adversus justitiam evertit, salutem populi turbat, jura conculcat, vita opibusque mulctat subditos, quos habet inobsequentes, Dominus verò imperat obsequiosis.

III. Quæritur porrò: *An Reges Hebræorum præfuerint cum potestate summa?* Respondeo: Negant Martinus Scogkius *libro de Justitia belli Belgici, cap.* 3. Jacobus Miltonus *Defensione populi Anglicani, pag.* 23. *seqq.* Scikhardus *libro de Jure Regio Hebræorum, cap.* 2. *theor.* 7. Joachimus Stephani *lib.* 1. *de Jurisdictione, cap.* 7. *num.* 17. Simon Episcopius *lib.* 3. *Institut. Theolog. sect.* 2. *cap.* 8. Besoldus *in Collegio Politico, Class.* 1. *disput.* 8. *dist.* Johannes Althusius *in Institutionibus Politicis, cap.* 14. Et probare volunt: (1.) Quòd Athalia Regina mulctatur solio ad voluntatem Sacerdotis & Procerum, 2. *Regum* 11. 1. *seqq.* (2.) Quòd Herodes vocatur in judicium à Judicibus, & horum nonnulli capitalem sententiam in eum pronunciant, Josephus *lib.* 16. *Antiquitatum, cap.* 17. (3.) Quòd Jeremiam Prophetam Rex damnat velut blasphemiæ reum, sed Proceres eum absolvunt, *Jerem.* 26. 1. 2. *seqq.* (4.) Quòd Procerum populique Delegati postulaverint multa apud Rehabeamum, & cùm ille denegaret, obedientiam ei renunciaverint, 1. *Regum* 12. 1.. 16. (5.) Quòd Saulum Regem Imperiò abdicat Samuel Ephorus Regni, populique jura conservat, cùm Rex malè præesset, 1. *Samuel.* 15. 16. *seqq.* (6) Quòd Maimonides *in Halachot Melachim cap.* 3. *num.* 4. referat, Parliamenti jussu potuisse Regem verberibus affici, quando Legem *Deuter.* 25. 2. agendo, uxores, equos, divitias nimium multiplicaret. (7.) Quòd Procerum conventus plurimum valuerit in disceptandis rebus publicis, *Josua* 22. 1. 2 *seqq. Esdra* 9. 1. 2. *seq. Nehemiæ* 5. 1. 2. *seqq. & cap.* 9. 1. 2. *seq.* 1. *Sam.* 12. 1. 2 *seq.* 1. *Chronic.* 11. 1. 2. *seq.* Hæc illi.

IV. Respondeo: (1.) Athaliam fuisse ream tyrannidis, & jure meritò occisam à Regni civibus, diximus *suprà cap. X. dist.* 3. (2.) Herodem privatum fuisse illo tempore, quo Judices eum provocabant ad dicendam causam, notum est, quia

M 2 Palæ-

Palæstinæ cum imperio præerat Hyrcanus, imperii præfecturam inferiorem gerebat Antipater, atque hic filio suo Herodi Galilæam procurandam tradiderat, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.24.cap.2.dist.7.* Proinde uti Regni subditus veniebat coram eis, illos ipsos verò Judices potestate, vita, opibus mulctavit tunc, cùm Regio solio impositus, Romani Imperii cliens erat, Josephus *lib.14. Antiquit. Rom. cap.17.* (3.) Non legitur isto loco, quòd Rex damnaverit Prophetam, sed quòd Sacerdotes eum persecuti fuerint, adversus hos causæ patronos invocavit Proceres, atque obtinuit, *Jerem.26.7.10.* Secus erat, cùm Rex interponebat judicium suum, uti *Jerem.36.12.seqq.* Mittebat Rex qui occiderent Prophetam, adeoque Proceres consilium daut, *eat, abscondat se ab ira Regis.* Non egissent consilio, quando agere licuisset pro Imperio. Porrò cùm Rex librum Prophetæ incendebat, non intercedebant aliter quàm deprecando, Rex verò non auscultabat eis, *vers.25.* nullum, inquam, deprecationi locum dabat. Hæc sunt argumenta potestatis Regiæ. (4.) De facti ejus causis dico, quòd non fuerint validæ satis ad rebellionem concitandam, itaque de progressu non satis benè erat, ubi sanè constat, multos pravos Reges fuisse, nec tamen occisos, nisi per seditionem. Quærit Tostadus: *An Proceres jure potuerint novas leges præscribere Rehabeamo?* Commentar. ad h.l. quæst 11. Et affirmat, *non habebat*, inquit, *populus Rehabeamum in Dominum, sed in Rectorem.* Quæ sunt misera effugia; Rex erat Dominus, & subditi erant servi ejus, *1.Sam.8.17.* Neque tamen nego, potuisse Regem civibus supplicibus animum mulcere dictis, & partem oneris deminuere. Sed hæc non erat causa sufficiens, quòd vectigalium onera obtentui sumsit Jeroboam, ad convertendam plebem, omniaque latè turbavit, & maximarum calamitatum, quæ Palæstinam mox invaserunt, author fuit. Davidis & Salomonis virtute ac prudentiâ ad summum felicitatis gradum evecta fuerat gens Ebræorum, tutæ & tranquillæ res omnes, affluentia opum incredibilis, Reges Principesque in vicino, atque etiam procul, amici erant. Verbo: Erant impleta, quæ ita magnificè promiserat olim vates Bileamus, de optimo statu Regni in populo, *Num.24.17.seqq.* Tantò minus laudari poterat, quòd defuncto Salomone, etsi hostem foris non habebat, domi tamen reperiret. Quòd verò dicunt, *quæ nobis portio est in Davide*, malitiam prodit, quando uni Davidi innumera beneficia debebant perfidi homines, *Psalm.78.70.71.72.* (5.) Denunciabat Samuel, quid Deus post obitum ejus facturus erat, cæterùm, quòd ipse non haberet potestatem, velut Rege superior, constat inde, quia dicit, *quomodo vadam, audiat Saulus & interficiat me*, 1.Sam.16.2. Regem ergò verebatur vitæ necisque dominum, & se fecisse aliquid morte piandum, rectè fatebatur, si proprio ausu Regem novum surrogaret. Frivolum est, quod Althusius eum vocat *Ephorum.* Atqui post gesta illa ne quidem vidit Regem, *1.Sam.15.34.35.* id est, vixit, obiitque privatus. Quin verò David, non obstante eo, quòd unctus esset, Regiam potestatem reverenter habebat, exemploque suo alios instruebat, ne Regem lædere vellent, uti diximus *suprà cap.VII.dist.4.* (6.) Est hoc commentum Maimonidis, qui nunc quidem inaeliciter & præter morem

suum

ſuum locutus aliena eſt, neque igitur ei temerè credi debet. Lex illa *Deut.*25.2. eſt merè poſitiva, & moderationem aliquam Ethicam injungit, à qua ſi vellet Politicus rigor evagari, poterat impunè, poſtquam Lex Regia deſcripta erat, 1.*Sam.*8.11.*ſeqq.* Teſtantur exempla. David multiplicabat uxores, etiam per adulterium, neque tamen propterea flagris cæſus eſſe legitur, tantùm à Propheta correptus fatebatur, ſe in Deum peccaviſſe, & Deus ab illo pœnas repetebat, juſta judicia per injuſtos exſecutores irrogando, 2.*Sam.*11.4.15.*cap.*12.7.8.13. *Pſalm.* 51.6. Salomon perindè equos, opes, uxores multiplicabat, & verò opes ipſe Deus procurabat, nuſquam tamen coram Parlimento accuſatus eſſe legitur, eò minus flagris cæſus eſſe credebatur, 1.*Reg.*4.26.*cap.*10.1. 2.*cap.*11.1.2.*ſeqq.*2.*Chron.*1.12.14.16.17.*cap.* 9.1.2.*ſeqq.* (7.) Proceres apud Comitia adfuiſſe, verum quidem eſt, ſed Regibus parebant, poſtquam libertatis ſuæ non amplius tenaces, more populorum vicinorum colebant majeſtatem, Regum ſervi, in quos omne jus belli ac pacis tranſtulerant, 1.*Sam.* 8.20. Neque tunc in Procerum arbitrio erat, Regem ultra hominum judicia evectum, uno Deo inferiorem, vocare in jus. *Argumentamur:* (1.) Nemo inferior poteſt ſibi jus arrogare in eum, qui ſuperior eſt. Atqui Proceres Hebræorum erant inferiores Rege ſuo. Ergò. Minor conſtat per verba illa, & vos eritis ſervi ejus, 1.*Sam.*8.17. (2.) Quicunque eſt Dominus ſupremus in omnes & in omnia, ille neminem habet ſuperiorem. Atqui Rex Hebræorum erat Dominus in omnes & in omnia. Ergò Rex Hebræorum neminem habebat ſuperiorem. Minor conſtat, quòd Samuel poſt conſtitutum à Deo Regem, omne imperium à ſe removerit, & in dicenda cauſa propria, Regem pronunciaverit Judicem ſupremum, uno Deo inferiorem, 1.*Sam.*12.3.4.5. (3.) Quicunque facere poteſt ea, quæ vult, & neminem habet contradicentem, ille omnibus ſuperior eſt. Atqui Rex poteſt facere ea, quæ vult, neminemque habet contradicentem. Ergò. Minor eſt Eccleſiaſt.8.1.2.3. *Ubicunque verbum Regis eſt, ibi dominatio eſt, & quis vult ei dicere, quid facis?* Regerit Scogkius: Agitur de Regis aulicis, quibus obſequii gloria relicta eſt, ut Rex eis imperare poſſit. *Reſpondeo:* Imò de omnibus ſubditis agitur, uti conſtat, quòd nec Leges aliæ ſint, neque facta, niſi manifeſtò ſediciosa. Magis ſunt Leges & facta pro omnibus. *Rex eſt, adverſus quem nemo inſurgit,* Proverb.30.31. Nimirum Reges ſunt non ſolùm ſuperiores aulicis, verùm omnibus ſubditis, ut Dei locum in terris obtineant, de quo ſimile dicendi genus exſtat, *Jobi* 9.12.*Dan.*4.35.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Ariſtocratia.

S U M M A R I A.

1. *Definitio Ariſtocratiæ.*
2. *Regimen populi Judaici.*
3. *Exempla Ariſtocratiæ.*
4. *Imperator. & Collega ejus.*
5. *Definitio Oligarchiæ.*

I. A*Riſtocratia eſt imperium, quòd à Proceribus regitur.*] Proceres ſunt illi, qui opibus, donis, gratiâ valent imprimis, quando iſta omnia tantò fortius Rempublicam ful-

fulciunt, & hujus Rectoribus authoritatem conciliant. Olim tale Imperium habebant Spartani, ut dicemus *infrà cap.* 15. *dist.* 3. Nec non Massilienses Galliæ incolæ, à Græcis profecti, qui sibi præfecerant sexcentos Optimates, velut Senatores, in quibus erant præcipui Tres-Viri, velut Consules, uti refert Strabo *lib.* 4. *Geographiæ.* Talis etiam status Hebræorum erat post Mosis & Josuæ obitum. Mira, uti solet, narrat *Hobbessius:* Tempore Josuæ, *ait*, interpretatio Legum & Verbi Dei erat penes Eleasarum summum Sacerdotem, eundemque Regem sub Deo absolutum. Id quod primò colligitur ex ipso pacto, in quo Respublica Israëlitarum appellatur Regnum Sacerdotale, *Exodi* 19.6. 1.*Petri* 2. 9. Quod nullo modo dici poterat, nisi potestas Regia esset penes Sacerdotem. Deinde probatur hoc ex verbis illis, ubi describitur Josuæ vocatio ad rerum administrationem, *Numer.* 27. 18. 19. 20. 21. Scilicet, consulere Deum, quid agendum sit, est idem quod verbum Dei interpretari, & Dei nomine imperare in omnibus, quod pertinet ad Eleasarum, egredi autem & ingredi ad verbum ejus, hoc est, ei obedire, pertinet ad Josuam & populum omnem. Notandum quoque est, vocem illam, *partem gloriæ tuæ*, apertè significare, non habuisse Josuam potestatem æqualem ei, quam habuerat Moses. Post mortem Josuæ, sequuntur tempora Judicum, usque ad Saulum Regem, in quibus manifestum est, jus Regni à Deo instituti mansisse penes Sacerdotem. Atque tale esse debuit, usque dum forma illa à populo, consentiente Deo, mutaretur, id quod factum est, cùm Regem eligerent, 1. *Samuelis* 8. 7. In Elementis de Cive, cap. 16. num. 14. 15.

Respondeo: Authoritas interpretandi Legem dabatur quidem Eleasaro, verùm potestas omnis agendi & jubendi pro Reipublicæ commodo tradebatur Josuæ, neque ea minor multò, quàm uti Moses habuerat, *Josue* 1. 5. 6. 7. *seqq.* Non ergò Eleasar erat Rex, neque absoluti juris. Pacti verba sunt ista: *Vos eritis mihi Regnum Sacerdotale & populus sanctus.* Perinde uti appellationem istam Christianis tribuunt Scriptores fœderis novi, 1.*Petri* 2.9. *Apoc.* 1.6. *cap.* 5.10. De toto populo verissimè dicitur, quod sui juris fuerit, neque ut olim, Regibus peregrinis adscriptitiorum jure inserviret, Deo authore, qui eos Mosis operâ eduxerat, & terræ optimæ habitatores efficere volebat: Sacerdotes erant, id est, sacra propria cœlitùs acceperant, Sacerdotio hactenus etiam fungebantur primogeniti eorum in familia qualibet, *Exodi* 13. 2. *cap.* 19. 22. *cap.* 24. 5. *Numer.* 8. 16. *seqq.* Aben-Esdras & Tremellius *notis ad Exodi* 19. *cap.* Porrò in eo, quod Deum consulebat Sacerdos, nullam exercebat potestatem, sed ministerio aliquo fungebatur, uti dicemus *infrà lib.* 2. *cap.* 2. *dist.* 9. Temporibus proximè lapsis, quando Judices in populo præerant, non quidem semper, verùm per intervalla temporum, Sacerdotis potestas nulla erat, adeoque nec commemoratur. Proinde Senatus magnus è Tribuum Proceribus delectus, summam Imperii administrabat; Judices verò in expeditionibus bellicis absolutè agebant, cæterùm domi parebant Senatui, atque ita permansit, donec Rex unanimi consensu peteretur, & Senatus magnus, Regiis consiliis inferior, publica negocia omittebat, in privatis litibus

bus solùm occupatus, *Josue* 22.1.*seq. Iudic.* 1.1.2.*seqq.* 1.*Samuel.*8.4.5.*seqq.* 2.*Chronic.*19.5.6. Rectè ista censent Alphonsus Tostadus *Prologo ad librum Iudicum quæst.* 1. 2. *seqq.* Salmasius *in Defensione Regia pag.*71. Arnisæus *lib.* 2. *Relectionum Politicarum cap.* 4. *sect.* 5. Joachimus Stephani *lib.* 1. *de Iurisdictione, cap.* 6.7. Carolus Sigonius *lib.* 1. *de Republica Hebræorum, cap.*5.*& lib.*7.*cap.*2. Nam quòd sub Judicibus Monarchiam fuisse, ajunt Bellarminus *lib.* 1. *de Summo Pontifice, cap.*2. Maximilianus Sandæus *libro de Rege, pag.* 18.19. Johannes Stephanus Menochius *lib.* 1.*Hieropoliticorum cap.*4. *dist.* 5. Cornelius à Lapide *Commentariis ad librum Iudicum pag.* 91. multum falluntur illi, cùm Judices Hebræorum vocant Reges. Quòd Reges non fuerint, constat inde, quia non habebant potestatem summam, adeoque fatebantur ipsi, nec Reges esse, nec Regum jura exercere posse, nec aliorum Imperio exsolutos esse, exemplo Gideonis, *Iudicum* 8.22.23. Pars erant Senatus magni, & primum in illo obtinebant locum Senatus Principes, (uti vocabant Romani, teste Aldo Manutio, *libro de Senatu Romano, pag.* 33. & adde nostrum Recensum Antiquitatum Romanarum, *lib.*2. *cap.* 3. *dist.* 5.) quamdiu ille Optimatum status durabat in populo, volente sic populo, *Iudicum* 1.1. *cap.*2.16.18. *cap.* 3.9.15. *cap.* 4.6. *cap.*10.18. *cap.*11.8. *cap.*13.6. Tales erant Sufetes, id est Judices in Senatu Pœnorum, estque idem nomen שפט, uti docuimus *libro de Scriptura sacra, exercitat.* 7. *dist.* 2. tantùm quòd Pœnorum Sufes erat cum annua potestate, uti Consul in Romano populo: Hebræorum Sufes toto vitæ tempore principem locum in Senatu, absolutam potestatem in bello, habebat, quò propius ad Regiam dignitatem accedebat, scilicet quia unus fuit, & quia principatum obtinuit, dum vivebat, 1. *Samuelis* 7.14.15. Impropriè verò Cornelius Nepos *in vita Annibalis*, & Solinus *in Polyhistore cap.*70. Sufetes illos vocant Pœnorum *Reges*, uti non minus figuratè dicitur *Hannibal Pœnorum Dictator*, Inscriptione ad Columnam rostratam, de qua est *infra lib.* 2. *cap.* 18.*dist.*5. Atqui Sufetes isti, ne essent Reges, duabus his rebus efficiebatur, & quòd *annui* essent, & quòd *bini* essent. Attamen Hebræorum Judices quoque vocantur Reges, *Iudicum* 18.1. *cap.* 21.25. licet illud, quod maximè Regium erat, *non judicari posse à quoquam*, non haberent, 1.*Sam.*8.17. 18.*cap.*12.1.2.3.

II. Perinde apud eosdem Hebræos erat Aristocratia, temporibus istis, quæ post Babilonicam captivitatem sequebantur. Habebant Duces, quorum primus fuit Zorobabel, nepos Jechoniæ Regis, *Esdræ* 2.2. *cap.*3.8. *cap.*4.2.3. *Nehemiæ* 7.7. 1.*Chron.* 3.16.17.18.19. *Matth.*1.12. Patrem habebat Sealthielem, 1.*Chron.*3.17. ubi annotant *Tremellius* & *Vinarienses Scholiastæ*: Sealthiel, & qui eum ordine sequuntur in hoc Catalogo, non erant jure nativitatis filii Jechoniæ, quandoquidem ille nullos post se reliquit filios, *Ierem.*22.30. sed oriebatur à Nathane filio Davidis, *Luc.*3.27. Vocantur autem Jechoniæ posteri, quòd solium ejus occupaverint, Duces facti in populo suo à captivitate exacta. *Hæc illi.* Verùm nulla est ratio, ob quam negetur, esse istos Jechoniæ

Regis

Regis filios & nepotes. Locus è Jeremia prolatus, haudquaquam negat, Jechoniam habiturum filios, sed negat, habiturum eum filios regia dignitate in populo conspicuos, itaque quantum ad successores in Regno, prorsum sterilis futurus esset, uti exponit Johannes Maldonatus *Commentariis ad Matthæum, pag.* 21. Duces isti primum locum in Synedrio occupabant, uti olim Judices, & horum ultimus occisus est tempore Antiochi Epiphanis. Interim à Persiæ Regibus, quorum nonnulli Judæorum rebus impensè favebant, mittebantur sæpius Legati extra ordinem, ut Reipublicæ bonum procurarent. Talis erat Nehemias, filius Hacheliæ, *Nehem.* 1.1. *cap.* 2.11. *cap.* 3.1. *cap.* 10.1. Annotat *Johannes Quisdorpius:* Nehemias ille, de quo sermo est *cap.* 10.1. erat Sacerdos, uti dicitur infrà *vers.* 8. cùm ille alter Dux Israëlitarum fuerit, omnes verò Duces & Ethnarchæ Judæorum sunt ex tribu Juda, & de stirpe Davidis, nec aliunde progeniti assumuntur. Error est Scriptoris *lib.* 2. *Macc. cap.* 1.21. dum Nehemiam Ducem vocat Sacerdotem, *notis ad h.l. pag.* 377. Nos plurimos in verbis illis errores detegemus. (1.) Quòd Nehemias unus & idem fuerit, ostenditur inde, quia ubique locorum est filius Hacheliæ. (2.) Fuit Legatus vel Commissarius Regius, non verò inter Duces, multò minus Sacerdos, quod posterius invitâ veritate asserit etiam Georgius Hornius *notis ad Sulpicium Severum, pag.* 318. 319. (3.) Dicitur cap. 9.38. quòd *Principes subscripserint fœderi.* Atqui cùm negatur, quòd Nehemias ille, de quo refertur *cap.* 10.1. fuerit Princeps, aut Principis instar, fallet compositor libri, quia Principem nullum recenset. Ergò Principes erant Nehemias & Zedekias, reliqui fuerunt Levitæ & Sacerdotes. (4.) Fallacia compositionis & divisionis est, quando comprehenditur Nehemias Sacerdotum nomine, *cap.* 10.1.8. Imò debet eis contradistingui, velut Commissarius Regius, qui optimatum nomine unà cum Zedekia instrumentum obligationis confecit. (5.) In Maccabæorum libro Nehemias haut appellatur Sacerdos. Quòd enim Romanus Interpres legit, *jussit Nehemias Sacerdos adspergere aquâ*, vitiosum certè est, & contra fidem Græcorum codicum, ubi τοὺς ἱερεῖς habetur sensu illo, *jussit Nehemias ut Sacerdotes aquam adspergerent*, quomodo etiam Tigurini, Arias Montanus, Tremellius reddiderunt. Porrò non obstante Ducum potestate, magna quoque fuit Sacerdotis summi authoritas, uti docebat exemplo suo Jaddus, qui occurrebat Alexandro Macedoniæ Regi. Josephus *lib.* 11. *Antiquit. cap.* 17. Donec Oniâ interfecto, Sacerdotium venalitium esset apud Reges Syriæ, & Epiphanis Regis sævitia intolerabilis bellum concitaret, quod à Judæis haud infeliciter gestum est. *Tacitus* de his temporibus: Rex Antiochus demere superstitionem (Judæorum) & mores Græcorum dare annixus, quò minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est, namque eâ tempestate Arsaces desciverat. Tum Judæi Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis, & Romani procul aberant, sibi ipsis Reges imposuerunt, qui mobilitate vulgi expulsi, resumptâ per arma dominatione, fugas civium, eversiones urbium, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaque solita Regibus ausi, superstitionem fovebant, quia honos Sacerdotii firmamentum potentiæ assumebatur,

lib. 5.

lib.5.histor. Ergò perseverabat Aristocratia temporibus Hasamonæorum sive Maccabæorum (de quo nomine vide librum nostrum de Scriptura sacra, *Exercitat.21.dist.1.* & Nicolaum Fullerum *lib.2.Miscellaneorum sacrorum cap.13.*) quorum ductu imprimis Syrorum jugum excusserant, intolerabile prorsus, quia Antiochi & Demetrii Reges divinis & humanis Legibus contraveniendo, populi occidionem quærebant, ut coloniam è Paganis ibi facerent, *Ezech.38.1.2.seqq. 1.Maccab.1.11.seqq.* Durabat Senatus magnus, atque in illo primum locum obtinebat Princeps illustris familiæ ejus, cæterùm potestatem habebat modicam, itaque plerisque ævi istius actis exprimuntur *Princeps, Senatus*, additur sæpè ad eos, *Populus*, tùm in civilibus negociis, quæ bellum, pacem, fœdera attinebant, tùm in sacris, uti cùm festum Encæniorum instituitur, *1.Maccab.4.59.cap.8.20.23.cap.12.6.14.40.48.cap.15.1.2.3.* Josephus *lib.13.Antiquit.cap.11.* Regiam potestatem benificio Romanorum primus obtinuit Herodes Idumæus, atque ita libertate sua exuti parebant Regi peregrino, Josephus *lib.15.Antiquit.cap.1.* & nos ex illo in Recensu historiæ universalis *lib 24.cap.2.dist.8.seqq.* Peregrini dico, neque enim erat ille de femore Jacobi, adeoque proximabat tempus, quo Messias adfuturus erat, uti prædixerat Jacobus Patriarcha, *Gen.49.10.* De quo vaticinio quædam notavimus libro de Scriptura sacra *Exercitat.31.dist.6.* Quòd verò Josephus Scaliger *in Animadversionibus Eusebianis pag.148.159.259.* Causabonus *Exercitat.1.dist.3.* Torniellus *in Annalibus sacris Tom.2.pag.332.num.7.seqq.* Leonhardus Hutterus *in Locis Theologicis, pag.849.seqq.* contendunt, Herodem fuisse indigenam, non est verò consentaneum, & meritò refellunt Jacobus Salianus *in Annalibus sacris Tom.6. Anno mundi 4017.num.14.seqq.* Nicolaus Serarius *libro de Herode, cap.3.seqq.* Richardus Montacutius *in Originibus Ecclesiasticis, Exercitat.10.sect.1.* Dionysius Petavius *in doctrina temporum, lib.11.cap.5.* Dicit *Scaliger:* Natus est Herodes patre Antipatre ex Idumæis oriundo, qui populus à Johanne Hyrcano compulsus Judaica sacra accepit, ejusque gentis civitatem sortitus est, Josephus *lib.13.Antiquit.cap.17.* Respondeo: Atqui ob istam caussam fuit proselytus & advena, non etiam civis originarius, id est, non fuit de posteris Jacobi. Et verò dedititios rectius appellaveris, quàm cives pleni juris. Instat *Torniellus:* (1.) Damascenus familiam ejus derivat à primatibus Judæis, olim è Babilone reversis. *Respondeo:* Damascenus ille usus est phalerismo aulico, quod notat Josephus. (2.) Si verè Idumæus erat, quare non coëgit Judæos, ut gentis ejus sacra amplecterentur? *Respondeo:* Majores ejus dudum receperant circumcisionem & alios ritus Hebræorum, quibus ille, ut Hebræis placeret, adhærere voluit, nec pauca à Paganis accepta, ut à Romanis gratiam iniret, clàm palàm miscuit. (3.) Si verè Idumæus erat, quare Mariamnen conjugem Judæam ei matrimonio dederunt? *Respondeo:* Atqui Regi illi, & incircumciso, & patriæ legis in speciem observantissimo nihil poterat denegari. (4.) Si verè Idumæus erat, quare eum Herodiani coluerunt velut Messiam? *Respondeo:* Erant Religionis deturpatores, qui non admodum curabant, quâ gente oriundus esset Herodes, uti diximus *libro de Scriptura sacra,*

cra, Exercit. 31. *dist.* 5. (5.) Si verè Idumæus erat, quare de illo vaticinium protulit Jacobus, Gen. 49. 9. *Respondeo:* Vaticinium sonat de Rege Davide, qui vicinos populos victricibus armis edomuit, quod idem verbis aliis prædixit Bileamus, *Num.* 24. 17. 18. 19. Regerit: Vaticinium Jacobi pertinet ad illum, qui vi corripit Regnum, uti Herodes; non qui ultrò delatum suscipit, uti David. *Respondeo:* Dicit Patriarcha, quid futurum esset à Rege oriundo è posteris Juda, non etiam addit, quis, vel quomodo Regnum invasurus esset in populo isto.

III. Ad eundem modum apud veteres Etruscos præerant duodecim Lucumones, sive Prætores, eorumque princeps vocabatur Lattes, (Florus *lib.* 1. *Historiæ Romanæ, cap.* 5. Servius *Commentar. ad lib.* 8. *Æneid. pag.* 358. Alexander Neapolitanus *lib.* 3. *Genialium dierum, cap.* 28.) Aut potius Lar, quomodo scribi debere, contendit Carolus Sigonius *lib.* 2. *Emendationum, cap.* 9. Apud veteres Ægyptios post discessum Regis Tearki imperabant duodecim Principes, Herodotus *lib.* 2. *histor.* & nos ex illo in Recensu historiæ universalis *lib.* 1. *cap.* 5. *dist.* 2. 3. Apud veteres Saxones erant duodecim Comites, & præcipuus eorum belli tempore usurpabat nomen Regis, Cranzius *lib.* 2. *Saxoniæ, cap.* 22. Duodecim Palatini in Sarmatia post exstinctam Lechi Regis familiam imperabant, Herburtus *lib.* 1. *historiæ Polonicæ, cap.* 3. Joachimus Pastorius *in Floro Polonico, lib.* 1. *cap.* 2. Hodiè ita imperant Veneti, de quibus plura dicemus *infrà cap.* 15. *dist.* 3. Nec non Genuenses, uterque populus ad gubernacula collocat Patricios opibus, gloriâ, splendore conspicuos, atque in eis legit Ducem sceptro & paludamento nobilem, quòd Veneti Candiæ, Genuenses Corsicæ Regna dominio obtineant, quamvis Regiis Legibus non administrent, sed in provinciæ formam redactas moderentur, Ludovicus Godofredus *lib.* 1. *Archontologiæ Cosmicæ pag.* 611. *seqq.*

IV. Contendunt Wolffgangus Heiderus *in Institutionibus Politicis pag.* 787. Henonius *Disput. Polit.* 10. *dist.* 21. Jacobus Martini *lib.* 2. *Instit. Polit. pag.* 338. Cl. Felvvingerus *in Dissertationibus Politicis pag.* 9. *seqq.* Johannes Althusius *cap.* 39. *Institut. Politic. num.* 54. Martinus Rumelinus *part.* 3. *ad Auream Bullam, dissertat.* 2. *dist.* 17. & *ibidem* Nicolaus Mylerus *in Additionibus, pag.* 642. 643. fuisse Aristocraticum Imperium, quando Cæsares legabant sibi Collegam, uti fecerunt Antoninus Philosophus, Diocletianus, Gratianus, Theodosius, Valentinianus, Eutropius *in Breviario lib.* 8. 9. 10. Zosimus *lib.* 3. & 4. *hist.* Ammianus Marcellinus *lib.* 25. 26. 27. *histor.* & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib.* 5. *cap.* 2. *dist.* 8. *cap.* 4. *dist.* 4. 5. 6. 7. *lib.* 6 *cap.* 2. *dist.* 3. *cap.* 3. *dist.* 1. 2. 3. Respondeo: Erat Monarchia, uti rectius dicit Barth. Keckermannus *lib.* 2. *Systematis Politici cap.* 2. Namque Cæsar ille, quem Collegam sibi petebat Augustus, erat ferè Imperator belli, suberatque Augusto, coram quo rationes administrationis suæ reddebat, & si malè egisset, capitis judicio postulabatur, ita Galerio fecit Diocletianus, Gallo Constantius, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 5. *cap.* 4. *dist.* 4. 5. *lib.* 6. *cap.* 1. *dist.* 5. Quando erant duo Augusti, habebant divisa Imperia, alter Orientis, alter Occidentis, & pactis certis sese obligabant quidem, ut Leges universales

ſales conderent, ut armis conjunctis ſeſe defenderent, ut Imperium utriuſque vocaretur Romanum: Cæterùm quilibet Imperio ſuo cum poteſtate ſumma præerat, neque poteſtate alterius contineri volebat in negociis privatis. Ita erat cùm Imperium Orbis dividerent tres filii Conſtantini Magni, ac deinceps cùm poſt obitum Theodoſii Magni ſuccederent duo filii ejus, alter in Græcia alter in Italia, uti diximus in Recenſu hiſtoriæ univerſalis *lib. 6. cap. 1. diſt. 2. cap. 3. diſt. 4.*

V. *Ejus oppoſitum eſt Oligarchia. Oligarchia eſt, cùm Proceres opprimunt æquales ſuos.*] Ita Romæ accidit, poſtquam Triumviri imperio potiebantur, Antonius, Octavius, Lepidus, Florus *lib. 4. Hiſtoriæ Romanæ cap. 6.* Epitome Livii *lib. 119. 120.* Appianus *lib. 3. & 4. de bellis civilibus*, & nos ex illis in Recenſu hiſtoriæ univerſalis, *lib. 4. cap. 3. diſt. 14. 15.* Ejus rei memoria ſervatur in veteribus numniis, ubi incuſæ tres facies, aut tres dexteræ invicem complicitæ, Johannes Triſtanus *Commentariis de Imperio Romano Tom. 1. pag. 47. & 73.* Antonius Auguſtinus *Tabula 9. numer. 14. 15.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Democratia.

SUMMARIA.

1. *Definitio Democratiæ.*
2. *Exempla Democratiæ.*

I. D*Emocratia eſt Imperium, quod à populo regitur.*] Populus eſt ille, qui jus civitatis habet, ac verbo, *cives minorum ordinum* complectitur. Ut tale ſit Imperium, quinque potiſſimùm requiruntur: 1 Magiſtratus à populo conſtituitur, & ab illo accipit authoritatem. 2. A ſententia magiſtratus in cauſis gra[illegible]ribus ad populum appellare licet. 3. Leges, per quas bonum publicum regitur, à magiſtratu quidem proponuntur, ſed à populo jubentur. 4. Magiſtratus apud populum deferri, & juſſu ejus vita mulctari poteſt, cùm malè egit. 5. Magiſtratus non eſt perpetuus, ſed ambulatorius, ut qui imperaverunt aliquando, hi pareant alio tempore, Ariſtoteles 4. *Politic. 4. ſeq. 6. Politic. 2. ſeqq.*

II. Hoc ergò intereſt, quod in Democratia ſecundùm proportionem *Arithmeticam* cenſentur *omnes*, id eſt, ut non reſpiciatur ad familiam & opes: Verùm in Ariſtocratia ſecundùm proportionem *Geometricam* cenſentur *pauci*, id eſt, ut ratio habeatur familiæ, dignitatis, opum. Tale Imperium erat apud veteres Athenienſes, ut conſtat ex illis, quæ ordine perſequitur Joachimus Stephani *lib. 2. de Juriſdictione Græcorum cap. 1. 2. ſeqq.* & nos paucis dicemus *infrà cap. 15. diſt. 3.* Nec non apud Romanos, poſtquam illi Reges depulerant ſolio, & Senatum formabant, cui præerant duo Conſules, alter patricius, alter plebejus, uterque anno uno præerat, deinde Conſularis & Senator erat, ad populum ſuprema provocatio valebat, qui poteſtatem illam per Tribunos ſuos exercebat. De hac re quoque eſt *infrà cap. 16. diſt. 6.* Florentini Democratiam habebant, antequam Mediceorum Principum opibus & Caroli V. Imperatoris armis ſuccumberent. Tunc enim populus renunciabat & abrogabat magiſtratum, legesq; pro

civium libertate asserenda sanciebat Hieronymus Savoranola Monachus Dominicanus, hostis Papæ, & Mediceis infensissimus, Religionis opinione inter suos eximiè cultus, uti disserit Johannes Franciscus Picus *libris duobus Apologiæ pro Savonarola Propheta ad Herculem Estensem.* Ex lege illa provocare licebat à Senatu & Octoviris ad populum, quæ tamen lex per negligentiam populi & Legislatoris ipsius animum timore oppletum, à Senatu abrogata est, adeoque libertatem populo, vitam famamque pristinam eripuit Legislatori, civitati imposuit Principes, Machiavellus *lib. 1. de Republica, cap. 39. & 45.* Guicciardinus *lib. 3. histor.* Stephanus Forcatulus *lib. 4. de Imperio Gallorum, pag. 241. seqq.*

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Republica mixta.

SUMMARIA.

1. *Exempla Reipublicæ mixtæ.*
2. *Rationes adversus Rerumpublicarum mixtionem.*
3. *Solvuntur rationes contrariæ.*

I. DOcent vulgò, plures Imperiorum modos ita posse invicem attemperari, ut vel ex duabus vel tribus speciebus hactenus enumeratis, nova quædam Respublica composita existat. Exempla proferunt notissima: (1.) Imperium Germanicum est gubernationis mixtæ, ut Monarchia & Aristocratia concurrant. (2.) Vetus Lacedæmoniorum Respublica, quomodo eam Lycurgus formaverat, composita fuit è tribus speciebus. Reges habebant potestatem belli, Magistratus exercebant judicia per Successiones annuas, Senatus habebat custodiam Legum, populus creabat Senatores, Plato *lib. 3. de LL.* Polybius *lib. 6.* Aristoteles *lib. 4. Politicor. 9.* (3.) Hebræorum Respublica administrabatur per Reges, atque hi Parliamento suberant. (4.) Regnum Poloniæ è Monarchia & Aristocratia commixtum est, Nobiles enim penes Regem votis suis electum, consultant, decidunt in pace, belloque, uti patet è Statutis Regni, consensu Regum evulgatis, & provocatio suprema non tàm ad Regem, quàm Regni Comitia defertur, testibus Cromero *libro de Magistratibus Poloniæ*, Chytræo *lib. 23. histor.* (5.) Angliæ Regnum constat è Monarchia & Aristocratia, quando Rex obnoxius est Parliamento, & promittit juratus, quòd patrias Leges observare velit, Johannes Casus *in Sphæra civitatis, lib. 3. pag. 132.* (6.) Consimiliter Galliæ, Hispaniæ, Scotiæ, Daniæ, Suediæ Regna habent Monarchiam cum Aristocratia temperatam. Reges enim publica acta disceptant in Comitiis Ordinum, & jurant in Leges patrias accuratè servandas, quas cùm non servant, removeri possunt, Hottomannus *lib. 1. de antiquo jure Galliæ, cap. 23.* Georgius Buchananus *libro de jure Regni Scotiæ*, Thomas Smithus *lib. 2. de Republica Angliæ, cap. 4. 5.* (7.) Veteres Athenienses miscuerunt Aristocratiam cum Democratia, postquam Senatum Areopagiticum formaverunt, teste Isocrate *in Areopagiticis.* (8.) Veneti miscent Aristocratiam cum Monarchia, & Ducis imperium conjungunt unà cum Senatus authoritate, Contarenus *lib. 1. & 2. de Republica Venetorum.* Hæc ita proponunt Machiavellus

vellus *lib.1.de Republica,cap.2.* Arnisæus *lib. 1. civilis doctrinæ, cap.8. & lib.2. Relectionum Politicarum cap.4.sect.6.* Johannes Eichelius *Dissertatione de Republica mixta*, Hermannus Conringius *Dissertatione de Rebuspublicis in genere, dist.48.seqq.* Wolffgangus Heiderus *in Institutionibus Politicis, pag.582.seqq.* Johannes Paulus Felvvingerus *in Dissertationibus Academicis, pag.417. seqq.* Christophorus Besoldus *lib.1.doctrinæ politicæ,cap.11.* Balthasar Cellarius *lib.2.Institutionum Politicarum, cap.6.* Georgius Schonbornerus *lib.1. Institutionum Politicarum,cap.16.* Johannes Althusius *in Institutionibus Politicis,cap.39.num.15.seqq.* Bartholomæus Keckermannus *lib.2. Systematis Politici,cap.4.seqq. & in Cursu Philosophico, Disput. 36.quæst.8.* Martinus Schogkius *libro de Majestate, dist. 47. 48. 49.* Lælius Zecchins *lib.1 de Principe, cap.4.* Benedictus Carpzovius *Commentario ad Legem Regiam Germanorum, cap.13.sect.9.num. 15.seqq.* Vernulejus *lib.1.Institutionum Politicarum tit. 2. cap. 2.* Adamus Conzenus *lib.1. doctrinæ politicæ, cap.14.* Ananias Sturcius *disp.polit.3.pag.102.seqq.*

II. In contrarium disserunt Johannes Bodinus *lib.2.de Republica,cap.1.& in Methodo historica,cap.6.* Tholosanus *lib.5.cap.1.* Melchior Junius *part.1. Quæstionum Politicarum,pag.32.seq.* Jacobus Bornitius *libro de Majestate,cap.11.12.13.* Philippus Hefonius *disputat.polit.9.dist.2.* Michaël Piccartus *in Philosophia Aldorffina,disputat.30. dist.50.seqq.* Thomas Hobbes *libro de Cive cap.7.dist.4.* & rectè negant, dari Imperia mixta. Rationes sunt: (1.) Quia omnis Respublica ordinem benè constitutum observat, neque igitur confusionem, aut mixtionem ipso nomine perversam admittit. (2.) Quia summum Imperium est per se unum & indivisum, adeoque contradictionem implicat, velle dicere, quòd idem Imperium per se, & simul penes unum, & penes complures sit depositum. Excipit *Arnisæus*: Plura sunt capita è quibus constat majestas, quam totam & universam communicari pluribus, equidem impossibile est, sed partes ejus separari atque inter plures dividi possunt, ita quidem ut singuli habeant particulam majestatis, in toto verò corpore sit majestas perfecta. *Respondeo*: Partes integrantes communicari, ita verò, ut non communicetur totum, contradictorium est. Et verò communicatio, quæcunque illa fuerit, non eripit subjecto primo dignitatem aut potestatem suam, ut æqualiter utrique imputetur effectus. Itaque corpus non sentit, verum corpus vivens sentit, id est, corpus animæ unitum, & ab anima præsenti influxu affectum, ut sensus ei possit inesse. Multò minus indignius, sive illud quod accipit, potest digniori, sive illi quod impertit, præscribere, & imperare, quomodo Rex præstantior est, neque igitur leges accipere potest ab illis, qui eo inferiores sunt. (3.) Quia Respublica quævis suam formam habet, eamque specificam, ut illa non possit cum forma alia numero eadem communicari. (4.) Quia mixtio hujusmodi citra turbas non esset, quando alius alii compar obedientiam denegabit, atque bonum publicum evertet. Dicit *Felvvingerus*: Elementa sunt specie diversa, & miscentur: Equus & asina sunt species diversæ & miscentur, ut nascatur inde mulus. *Respondeo*: Elementa non tàm miscentur invicem, quàm à superioris alicujus formæ dominio uniuntur &

continentur, ut faciant, quæ ad compositi existentiam per se utiliter conferunt. Ita Rex cum dominio superiori præest, & inferiores quoscunque dirigit, ut agant quę vult ipse, quæque putat commodo esse ad conservandum bonum publicum. Nulla hîc est mixtio, per quam superior ita cum inferiori copulatur, ut inferior potestatem cum superiore communem habeat. Equus & asinus producunt monstrum, an tale quid est Respublica mixta? (5.) Quia summus Princeps non poterit citra existimationis suæ jacturam aliquid de Imperio abdicare, & cum inferioribus communicare. (6.) Quia non datur exemplum, nisi ubi Princeps fortè jubet, ut suo nomine agant inferiores, quicquid rerum occasio movet. Atqui *beneficio alterius* agere, non est parem esse illi, qui *potestate suâ* agit, multò minus in agendo ita concurrere, ut ab actione habeat denominationem. De exemplis ordine dicemus.

III. Ac (1.) quidem Imperium Germanicum est Monarchicum, uti dicemus *cap. 16. dist.* 27. (2.) Vetus Respublica Lacedæmoniorum erat perfectè Aristocratica, quando Reges eorum dignitatem aliquam habebant, potestatem verò nullam. Dicit Machiavellus, *instituisse Lycurgum, ut Regibus sua dignitas, Optimatibus potestas, civibus perfecta libertas conservarentur.* Atqui dignitas non facit Regem, sed potestas & imperium. Neque etiam dignitas eorum magna erat, cùm teste Xenophonte, libro de Republica Laconica, *Regum honores parum admodum differrent à privatorum splendore.* Quòd ergò Justinus *lib. 3. histor.* dicit, *Reges habuisse jus belli*, verum est sensu illo, quòd in expeditionibus habuerint potestatem amplam agendo, quod viderent è Reipublicæ usu esse, cæterùm neminem hostem arbitrio suo invadere poterant, nisi in quem eos miserant Ephori, quorum consiliis regebantur omnia, & coram quibus Reges gestorum suorum rationem addictè reddebant, Aristoteles 2. *Politic.* 7. 4. *Politic.* 9. Plutarchus *in vita Cleomenis.* Verbo: Ephori pro arbitrio decernebant in Actis publicis, Senatores decernebant in privatis litibus, itaque Aristocratia erat, uti rectè pronunciant Thucydides *lib. 1. histor.* Nicolaus Cragius *lib. 1. de Republ. Lacedæmon. cap.* 4. (3.) Reges Hebræorum præerant cum imperio absoluto, uti diximus *suprà cap. XII. dist.* 3. (4.) Regnum Poloniæ est status Monarchicus, quando subditi omnes sunt in Regis clientela, & adversus eum committatur à subditis crimen læsæ majestatis, Johan. Herburtus *lib. 1. Statutor. Polon. cap. 1. art. 4. num. 6.* Quòd suprema provocatio deferatur ad Comitia, Regiæ potestati non detrahit, quando Regum beneficium est, quòd Ordines usurpant peculiares libertates. Aliàs constat, quòd Poloniæ Reges vitæ necisque potestatem sibi arrogare possint, cùm volunt, itaque Ordines Regni neminem proscribere, neminem damnare possunt, nisi quem ille decreto suo pœnâ illâ affici jussit, uti constat ex actis Zborovianis, quorum unum capite plecti, alterum proscribi edicto suo imperavit Stephanus Bathor juris Regii callentissimus, uti referunt Martinus Cromerus *lib. 2. de Statu Poloniæ,* Paulus Piasecius *in Chronicis Europæ pag.* 13. 14. 15. Scilicet Magistratus omnes civiles perindè atque Ecclesiasticos eligit Rex, & isti in potestate ejus agunt, quæ agunt, ut satis hinc etiam pateat, non esse illos suæ potestatis, verùm à Rege constitui, & potestate sibi à Regibus data uti in judiciis peragendis. De quo refert idem Piasecius *libro*

dicto

dicto pag. 50. (5.) Regnum Angliæ est Status Monarchicus, quando constat esse populum bello victum, & victorem Wilhelmum Conquæstorem omnes Anglis ademptos agros militibus suis benificio suo possidendos tradidisse, novas leges sancivisse, potestatem in omnes Clericos perinde ac Proceres exercuisse, quod refert Polydorus Virgilius *lib. 9. historiæ Anglicæ*, & nos ex illo protulimus in Recensu historiæ universalis *lib.* 15. *cap.* 1. *dist.* 2. 3. Regum benignitas deinceps promulgavit & confirmavit libertates aliquas, non ut Proceribus adderent potestatem, sed ut conciliarent dignitatem, quâ supra vulgum eminerent, aulæ splendorem augerent, Regibus obsequia cum majori prolubio exhiberent, uti multis persequuntur Salmasius *in defensione Regia pag.* 120. *seq.* Johannes Seldenus *in Jano Anglico lib.* 2. David Jenkinus *in Statutis Anglicanis.* Nam quæ ad efferendam Procerum civiumque potestatem nuper evulgavit parricida Jacobus Miltonus *defensione populi Anglicani*, ea, inquam, sunt apinæ tricæque. & si quid vilius istis. Regula immota est: *Beneficium suum nemini debet esse fraudi.* Atqui libertates sunt benificia Regum. Ergò non debent usurpari ad infringendam Regum potestatem, turbas conciendas, factiones alendas. Parliamentum cepit demum post tempora Eduardi III. Regis, & uti a Regibus institutum fuit, ita potestatem Regibus subjectam habuit semper, ab eis pro lubitu convocatur, & absque horum jussu nunquam coire potest, eorum etiam jussu, quandocunque lubet, vicissim dissolvitur, adeoq; Regis nutu & arbitrio omnia fiunt, ut ipsa etiam, quæ ab omnibus Proceribus ita congregatis sanciuntur, Regis Leges & Statuta nuncupentur. Constat ex historia Henrici VII. Regis à *Francisco Bacono de Verulamio* scripta, Parlamentum semper inferius fuisse ipso Rege. Condonationē omnium delictorum, ne quidem in partes consilii vocato Parlamento, ipsemet per edictum Regium refractariis subditis concessit, *l. d. pag.* 28. Scotis rebellibus noluit permittere, ut leges Regibus suis imponerent, sed tunc communem Regum causam agi censuit, quando subditi conarentur Regem unum in ordinem redigere, *l. d. pag.* 122. leges in Regno suo validas solus ipse promulgavit, *l. d. pag.* 125. 355. Possemus idem ex aliorum Regum gestis ostendere, qui nunquam admiserunt, ut Parlamentum vires tantas sumeret, quibus potestatem Regiam deminuerent. Sed ista nunc sufficiant. (6.) In omnibus Regnis illis est Status perfectè Monarchicus, & parum obstat, quod Reges permittant Conventus Ordinum, inque patrias Leges juramento sese obligent, namque id demum est, Regem esse, quatenus *Rex* agit secundùm Leges & Pacta, *Dominus* agit citra Leges, quibus nunquam fuit circumscriptus, *Tyrannus* agit contra Leges, qua de re plura dicemus infrà *cap.* 19 *dist.* 2. Conventus Ordinum sunt in potestate Regum, qui eos cogere & dissolvere pro lubitu possunt, adeoque Regis Consilium quasi sunt, quod ille pro deliberando super negociis publicis cogit, majestate salvâ. De Gallis notissimum est, multa Reges agere, ad quæ probanda, velint nolint Proceres, obligantur, quia Regibus in Consilio privato ita placet, quod testatur Wilhelmus Barclajus *lib.* 4. *de Potestate Regali cap.* 14. 15. 16. 17. 18. 19. Neque aliter est de Hispanis. Postquam Mauri vastabant omnia, indigenarum plurimi ad

Pela-

Pelagium sese receperunt, primatem virum in Asturia, qui Regis titulo ab eis accepto, deinceps omnes illos in tutelam recepit, plenamque in omnes & in omnia nactus potestatem, hostes fortiter depulit, Legionis & Castiliæ Regna condidit, uti retulimus in Recensu historiæ universalis *lib.* 14. *cap.2.dist.1.seqq.* De Scotia sua librum edidit Georgius Buchananus, in quo tantum abest, ut dignitatem & Jura Regis exornet, ut potius Regem, cui dicavit librum, de minima quavis re accusari & adversus eum judicium dari posse contendat. Eum ob id meritò reprehendit Wilhelmus Barclajus *lib. 2.de Regno & Regis potestate*, Scotiæque Reges cum potestate libera præfuisse, contendit. Neque minus prodit Rex Jacobus in Operibus Anglicanis pag. 187. seq. quòd *Reges in Scotia, ante omnes Ordines institutos, ante Comitia ulla celebrata, legesq; latas fuerint.* Itaque leges à Regibus latæ sunt, Rex habet in bona omnia dominium directum, subditi quicunque sunt in clientela Regum. (7.) Veterum Atheniensium Respublica, uti illam Solon formaverat, erat perfecta Democratia, quod rectè monet Xenophon *libro de Republica Atheniensium.* Erant enim jura libertatis penes totum populum, coram quo Senatus, atque ille ambulatorius, rerum suarum accuratam rationem in concione exponebat, uti porrò docent Carolus Sigonius & Johannes Meursius *libris de Republica ista conscriptis.* (8.) Veneti sectabantur Aristocratiam perfectis modis constitutam, uti docent Franciscus Piccolomineus *in Philosophia morali, gradu* 10.*cap.*9. Arnisæus *lib.2.Relectionum Politicarum,cap.*4.*sect.*4. Nicolaus Crassus *notis ad Janottum de Republica Veneta,* Theodorus Grasvvinkelius *libro de Libertate Veneta,cap.*18.19.20.21. Sanè Decemviri, Consilium Magnum, & quicunque Senatores è Patriciis assumuntur, plebejorum nemo adscribitur, ut mirum sit, quòd Johannes Bodinus *in Methodo historica, pag.* 259.*seq.* illis Democratiam velit tribuere. Meliores ergò semper & toto vitæ curriculo imperant, viliores parent, Ducis verò est dignitas aliqua, potestas modica vel nulla. Et tantum de exemplis, quæ pro asserenda Republica mixta allegari solent.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Diatriba singularis de Imperio Romano-Germanico.

SUMMARIA.

1. *Testimonia sacra de Romano Imperio.*
2. *Romulus & consecratio ejus.*
3. *Libertas post ejectos Reges.*
4. *Dictator & Consules.*
5. *Dictatoris potestas.*
6. *Tribuni plebis.*
7. *Democratiæ argumenta.*
8. *Relata de primo libro Maccabæorum.*
9. *Julii Cæsaris Dictatura perpetua.*
10. *Legis Regiæ origo.*
11. *Exponitur Caput XIII. Apocalypseos.*
12. *Tabulæ antiquæ fragmentum.*
13. *Solvuntur rationes contrariæ.*
14. *Repetita de origine Legis.*
15. *Philippus Imperator Christianus.*
16. *Exponitur Caput XVI. Apocalypseos.*
17. *Constantini Imperatoris patria.*
18. *Exponitur Caput XVII. Apocalypseos.*
19. *Caroli Magni Imperium.*

20. *Trans-*

I. DE origine & incrementis Romæ urbis sunt quædam in sacris literis testimonia, ut Interpretes aliqui censent. Quòd Daniel originem notet, putat Hugo Grotius, verbis illis, cùm ait, *lapidem à monte revulsum obruisse lapsu suo omnia Regna ista*, Dan. 2. 34. Nam quicunque Colossi partem inferiorem ad Romanos applicant, falluntur. Sulpitius Severus *lib. 2. historiæ cap. 4.* Crura ferrea, *ait*, Imperium quartum, idque Romanum intelligitur, omnibus antè Regnis validissimum. De hac re diximus *suprà cap. IX. dist. 1. seqq.* Et verò quòd lapidem à monte revulsum de Romanis interpretatur Grotius, non minus pugnat cum veritate Namque de novo aliquo (non tantùm ratione *populorum*, sed quoque *regiminis*) Imperio agitur, uti Prophetæ verba ostendunt, *vers. 44. 45.* Neque Romani obruerunt omnes illos in prioribus Imperiis populos, à Parthis repulsi toties ac profligati. Solus Christus mundum totum ad se convertit, nunciando Evangelium per Apostolos, *Matth. 28. 29. 20.* Locus est Numer. 24. 24. *Et naves de littore Kitthim* (venient) *v istabuntq; Ebræos, & deinceps ipse quoque in perditionem* (tendet.) Kitthim de Romanis exponunt Rabbinus Salomoh, Aben Esdras, Vatablus, Cornelius à Lapide, Bonfrerius, Tirinus *Commentar. ad h. l.* Samuel Bochardus *part. 1. Geographiæ sacræ lib. 3. cap. 5.* Nullo cum successu, quandoquidem כתים sunt Græci & horum vicini Insulani, uti rectius monent Sebastianus Castalion *notis ad h. l. pag. 338.* Franciscus Junius *notis ibidem*, & patet è collatione, *Gen. 10. 4. Dan. 11. 2. 1. Maccab. 1. 1.* Græci sunt, qui Assyrios eorumque successores Medos ac Persas armis subegerunt, transvecti Hellespontum. Et Assyrii Medi, Persæ sunt עבר, id est, περάται appellativè capiendo, *illi, qui ultra flumen sunt.* Flumen, id est, Eufratem. Etiam hunc superaverunt Græci, Insulani, (quos inter potentissimi erant Cyprii, Cretes, Rhodii) Macedones sub Rege Alexandro Magno, & devastaverunt florentissimas Orientis provincias. Sequitur, *ipse in perditionem tendit*, factumque est, cùm victricia Græcorum arma succubuerunt fortunatis Romanorum successibus, Florus *lib. 2. histor. Rom. cap. 8. 12. lib. 3. cap. 5. lib. 4. cap. 11.* Appianus *in Syriacis*, & adde Recensum nostrum Antiquitatum Romanarum *lib. 4. pag. 707. 708.*

II. Conditor urbis Romulus erat, uti prolixius referunt Livius, Dionysius Halycarnassæus, Florus, Plutarchus, & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib. 4. cap. 1. dist. 2. seqq.* diximus. *Virgilius:* Quin & avo comitem sese Mavortius addet Romulus, Assaraci quem sanguis Ilia mater Educet, *lib. 6. Æneid.* Et *lib. 8. Æneid.* Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro Procubuisse lupam: Geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros, & lambere matrem Impavidos. μυθικῶς de Romulo & Remo pa-

O tre

Palæstinæ cum imperio præerat Hyrcanus, imperii præfecturam inferiorem gerebat Antipater, atque hic filio suo Herodi Galilæam procurandam tradiderat, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 24. *cap.* 2. *dist.* 7. Proinde uti Regni subditus veniebat coram eis, illos ipsos verò Judices potestate, vita, opibus mulctavit tunc, cùm Regio solio impositus, Romani Imperii cliens erat, Josephus *lib.* 14. *Antiquit. Rom. cap.* 17. (3.) Non legitur isto loco, quòd Rex damnaverit Prophetam, sed quòd Sacerdotes eum persecuti fuerint, adversus hos causæ patronos invocavit Proceres, atque obtinuit, *Jerem.* 26. 7. 10. Secus erat, cùm Rex interponebat judicium suum, uti *Jerem.* 36. 12. *seqq.* Mittebat Rex qui occiderent Prophetam, adeoque Proceres consilium dant, *eat, abscondat se ab ira Regis.* Non egissent consilio, quando agere licuisset pro Imperio. Porrò cùm Rex librum Prophetæ incendebat, non intercedebant aliter quàm deprecando, Rex verò non auscultabat eis, *vers.* 25. nullum, inquam, deprecationi locum dabat. Hæc sunt argumenta potestatis Regiæ. (4.) De facti ejus causis dico, quòd non fuerint validæ satis ad rebellionem concitandam, itaque de progressu non satis benè erat, ubi sanè constat, multos pravos Reges fuisse, nec tamen occisos, nisi per seditionem. Quærit Tostadus: *An Proceres jure potuerint novas leges præscribere Rehabeamo?* Commentar. ad h. l. quæst 11. Et affirmat, *non habebat*, inquit, *populus Rehabeamum in Dominum, sed in Rectorem.* Quæ sunt misera effugia; Rex erat Dominus, & subditi erant servi ejus, 1. *Sam.* 8. 17. Neque tamen nego, potuisse Regem civibus supplicibus animum mulcere dictis, & partem oneris deminuere. Sed hæc non erat causa sufficiens, quòd vectigalium onera obtentui sumsit Jeroboam, ad convertendam plebem, omniaque latè turbavit, & maximarum calamitatum, quæ Palæstinam mox invaserunt, author fuit. Davidis & Salomonis virtute ac prudentiâ ad summum felicitatis gradum evecta fuerat gens Ebræorum, tutæ & tranquillæ res omnes, affluentia opum incredibilis, Reges Principesque in vicino, atque etiam procul, amici erant. Verbo: Erant impleta, quæ ita magnificè promiserat olim vates Bileamus, de optimo statu Regni in populo, *Num.* 24. 17. *seqq.* Tantò minus laudari poterat, quòd defuncto Salomone, etsi hostem foris non habebat, domi tamen reperiret. Quòd verò dicunt, *quæ nobis portio est in Davide*, malitiam prodit, quando uni Davidi innumera beneficia debebant perfidi homines, *Psalm.* 78. 70. 71. 72. (5.) Denunciabat Samuel, quid Deus post obitum ejus facturus erat, cæterùm, quòd ipse non haberet potestatem, velut Rege superior, constat inde, quia dicit, *quomodo vadam, audiat Saulus & interficiat me*, 1. Sam. 16. 2. Regem ergò verebatur vitæ necisque dominum, & se fecisse aliquid morte piandum, rectè fatebatur, si proprio ausu Regem novum surrogaret. Frivolum est, quod Althusius eum vocat *Ephorum.* Atqui post gesta illa ne quidem vidit Regem, 1. *Sam.* 15. 34. 35. id est, vixit, obiitque privatus. Quin verò David, non obstante eo, quòd unctus esset, Regiam potestatem reverenter habebat, exemploque suo alios instruebat, ne Regem lædere vellent, uti diximus *suprà cap. VII. dist.* 4. (6.) Est hoc commentum Maimonidis, qui nunc quidem infeliciter & præter morem

suum

suum locutus aliena est, neque igitur ei temerè credi debet. Lex illa *Deut*.25.2. est merè positiva, & moderationem aliquam Ethicam injungit, à qua si vellet Politicus rigor evagari, poterat impunè, postquam Lex Regia descripta erat, 1.*Sam*.8.11.*seqq*. Testantur exempla. David multiplicabat uxores, etiam per adulterium, neque tamen propterea flagris cæsus esse legitur, tantùm à Propheta correptus fatebatur, se in Deum peccavisse, & Deus ab illo pœnas repetebat, justa judicia per injustos exsecutores irrogando, 2.*Sam*.11.4.15.*cap*.12.7.8.13. *Psalm*. 51.6. Salomon perindè equos, opes, uxores multiplicabat, & verò opes ipse Deus procurabat, nusquam tamen coram Parlimento accusatus esse legitur, eò minus flagris cæsus esse credebatur, 1.*Reg*.4.26.*cap*.10.1. 2.*cap*.11.1.2.*seqq*.2.*Chron*.1.12.14 16.17.*cap*. 9.1.2.*seqq*. (7.) Proceres apud Comitia adfuisse, verum quidem est, sed Regibus parebant, postquam libertatis suæ non amplius tenaces, more populorum vicinorum colebant majestatem, Regum servi, in quos omne jus belli ac pacis transtulerant, 1.*Sam*. 8.20. Neque tunc in Procerum arbitrio erat, Regem ultra hominum judicia evectum, uno Deo inferiorem, vocare in jus. *Argumentamur*: (1.) Nemo inferior potest sibi jus arrogare in eum, qui superior est. Atqui Proceres Hebræorum erant inferiores Rege suo. Ergò. Minor constat per verba illa, & vos eritis servi ejus, 1.*Sam*.8.17. (2.) Quicunque est Dominus supremus in omnes & in omnia, ille neminem habet superiorem. Atqui Rex Hebræorum erat Dominus in omnes & in omnia. Ergò Rex Hebræorum neminem habebat superiorem. Minor constat, quòd Samuel post constitutum à Deo Regem, omne imperium à se removerit, & in dicenda causa propria, Regem pronunciaverit Judicem supremum, uno Deo inferiorem, 1.*Sam*.12.3.4.5. (3.) Quicunque facere potest ea, quæ vult, & neminem habet contradicentem, ille omnibus superior est. Atqui Rex potest facere ea, quæ vult, neminemque habet contradicentem. Ergò. Minor est Ecclesiast.8.1.2.3. *Ubicunque verbum Regis est, ibi dominatio est, & quis vult ei dicere, quid facis?* Regerit Scogkius: Agitur de Regis aulicis, quibus obsequii gloria relicta est, ut Rex eis imperare possit. *Respondeo*: Imò de omnibus subditis agitur, uti constat, quòd nec Leges aliæ sint, neque facta, nisi manifestò sediciosa. Magis sunt Leges & facta pro omnibus. *Rex est, adversus quem nemo insurgit*, Proverb.30.31. Nimirum Reges sunt non solùm superiores aulicis, verùm omnibus subditis, ut Dei locum in terris obtineant, de quo simile dicendi genus exstat, *Jobi* 9.12.*Dan*.4.35.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Aristocratia.

SUMMARIA.

1. *Definitio Aristocratiæ.*
2. *Regimen populi Judaici.*
3. *Exempla Aristocratiæ.*
4. *Imperator & Collega ejus.*
5. *Definitio Oligarchiæ.*

I. A*ristocratia est imperium, quòd à Proceribus regitur.*] Proceres sunt illi, qui opibus, donis, gratiâ valent imprimis, quando ista omnia tantò fortius Rempublicam

fulciunt, & hujus Rectoribus authoritatem conciliant. Olim tale Imperium habebant Spartani, ut dicemus *infrà cap. 15. dist. 3.* Nec non Massilienses Galliæ incolæ, à Græcis profecti, qui sibi præfecerant sexcentos Optimates, velut Senatores, in quibus erant præcipui Tres-Viri, velut Consules, uti refert Strabo *lib. 4. Geographiæ.* Talis etiam status Hebræorum erat post Mosis & Josuæ obitum. Mira, uti solet, narrat *Hobbesius*: Tempore Josuæ, *ait*, interpretatio Legum & Verbi Dei erat penes Eleasarum summum Sacerdotem, eundemque Regem sub Deo absolutum. Id quod primò colligitur ex ipso pacto, in quo Respublica Israëlitarum appellatur Regnum Sacerdotale, *Exodi* 19.6. 1. *Petri* 2. 9. Quod nullo modo dici poterat, nisi potestas Regia esset penes Sacerdotem. Deinde probatur hoc ex verbis illis, ubi describitur Josuæ vocatio ad rerum administrationem, *Numer.* 27. 18. 19. 20. 21. Scilicet, consulere Deum, quid agendum sit, est idem quod verbum Dei interpretari, & Dei nomine imperare in omnibus, quod pertinet ad Eleasarum, egredi autem & ingredi ad verbum ejus, hoc est, ei obedire, pertinet ad Josuam & populum omnem. Notandum quoque est, vocem illam, *partem gloriæ tuæ*, apertè significare, non habuisse Josuam potestatem æqualem ei, quam habuerat Moses. Post mortem Josuæ, sequuntur tempora Judicum, usque ad Saulum Regem, in quibus manifestum est, jus Regni à Deo instituti mansisse penes Sacerdotem. Atque tale esse debuit, usque dum forma illa à populo, consentiente Deo, mutaretur, id quod factum est, cùm Regem eligerent, 1. *Samuelis* 8. 7. In Elementis de Cive, cap. 16. num. 14. 15. *Respondeo:* Authoritas interpretandi Legem dabatur quidem Eleasaro, verùm potestas omnis agendi & jubendi pro Republicæ commodo tradebatur Josuæ, neque ea minor multò, quàm uti Moses habuerat, *Josue* 1. 5. 6. 7. *seqq.* Non ergò Eleasar erat Rex, neque absoluti juris. Pacti verba sunt ista: *Vos eritis mihi Regnum Sacerdotale & populus sanctus.* Perinde uti appellationem istam Christianis tribuunt Scriptores fœderis novi, 1. *Petri* 2. 9. *Apoc.* 1. 6. *cap.* 5. 10. De toto populo verissimè dicitur, quod sui juris fuerit, neque ut olim, Regibus peregrinis adscriptitiorum jure inserviret, Deo authore; qui eos Mosis operâ eduxerat, & terræ optimæ habitatores efficere volebat: Sacerdotes erant, id est, sacra propria cœlitùs acceperant, Sacerdotio hactenus etiam fungebantur primogeniti eorum in familia qualibet, *Exodi* 13. 2. *cap.* 19. 22. *cap.* 24. 5. *Numer.* 8. 16. *seqq.* Aben-Esdras & Tremellius *notis ad Exodi* 19. *cap.* Porrò in eo, quod Deum consulebat Sacerdos, nullam exercebat potestatem, sed ministerio aliquo fungebatur, uti dicemus *infrà lib. 2. cap. 2. dist. 9.* Temporibus proximè lapsis, quando Judices in populo præerant, non quidem semper, verùm per intervalla temporum, Sacerdotis potestas nulla erat, adeoque nec commemoratur. Proinde Senatus magnus è Tribuum Proceribus delectus, summam Imperii administrabat; Judices verò in expeditionibus bellicis absolutè agebant, cæterùm domi parebant Senatui, atque ita permansit, donec Rex unanimi consensu peteretur, & Senatus magnus, Regiis consiliis inferior, publica negocia omittebat, in privatis litibus

bus

bus solùm occupatus, *Josue* 22. 1. *seq. Iudic.* 1. 1. 2. *seqq.* 1. *Samuel.* 8. 4. 5. *seqq.* 2. *Chronic.* 19. 5. 6. Rectè ita censent Alphonsus Tostadus *Prologo ad librum Iudicum quest.* 1. 2. *seqq.* Salmasius *in Defensione Regia pag.* 71. Arnisæus *lib.* 2. *Relectionum Politicarum cap.* 4. *sect.* 5. Joachimus Stephani *lib.* 1. *de Iurisdictione, cap.* 6. 7. Carolus Sigonius *lib.* 1. *de Republica Hebræorum, cap.* 5. *& lib.* 7. *cap.* 2. Nam quòd sub Judicibus Monarchiam fuisse, ajunt Bellarminus *lib.* 1. *de Summo Pontifice, cap.* 2. Maximilianus Sandæus *libro de Rege, pag.* 18. 19. Johannes Stephanus Menochius *lib.* 1. *Hieropoliticorum cap.* 4. *dist.* 5. Cornelius à Lapide *Commentariis ad librum Iudicum pag.* 91. multum falluntur illi, cùm Judices Hebræorum vocant Reges. Quòd Reges non fuerint, constat inde, quia non habebant potestatem summam, adeoque fatebantur ipsi, nec Reges esse, nec Regum jura exercere posse, nec aliorum Imperio exsolutos esse, exemplo Gideonis, *Iudicum* 8. 22. 23. Pars erant Senatus magni, & primum in illo obtinebant locum Senatus Principes, (uti vocabant Romani, teste Aldo Manutio, *libro de Senatu Romano, pag.* 33. & adde nostrum Recensum Antiquitatum Romanarum, *lib.* 2. *cap.* 3. *dist.* 5.) quamdiu ille Optimatum status durabat in populo, volente sic populo, *Iudicum* 1. 1. *cap.* 2. 16. 18. *cap.* 3. 9. 15. *cap.* 4. 6. *cap.* 10. 18. *cap.* 11. 8. *cap.* 13. 6. Tales erant Sufetes, id est, Judices in Senatu Pœnorum, estque idem nomen שפט, uti docuimus *libro de Scriptura sacra, exercitat.* 7. *dist.* 2. tantùm quòd Pœnorum Sufes erat cum annua potestate, uti Consul in Romano populo: Hebræorum Sufes toto vitæ tempore principem locum in Senatu, absolutam potestatem in bello, habebat, quò propius ad Regiam dignitatem accedebat, scilicet quia unus fuit, & quia principatum obtinuit, dum vivebat, 1. *Samuelis* 7. 14. 15. Impropriè verò Cornelius Nepos *in vita Annibalis*, & Solinus *in Polyhistore cap.* 70. Sufetes illos vocant Pœnorum *Reges*, uti non minus figuratè dicitur *Hannibal Pœnorum Dictator*, Inscriptione ad Columnam rostratam, de qua est *infra lib.* 2. *cap.* 18. *dist.* 5. Atqui Sufetes isti, ne essent Reges, duabus his rebus efficiebatur, & quòd *annui* essent, & quòd *bini* essent. Attamen Hebræorum Judices quoque vocantur Reges, *Iudicum* 18. 1. *cap.* 21. 25. licet illud, quod maximè Regium erat, *non judicari posse à quoquam*, non haberent, 1. *Sam.* 8. 17. 18. *cap.* 12. 1. 2. 3.

II. Perinde apud eosdem Hebræos erat Aristocratia, temporibus istis, quæ post Babilonicam captivitatem sequebantur. Habebant Duces, quorum primus fuit Zorobabel, nepos Jechoniæ Regis, *Esdræ* 2. 2. *cap.* 3. 8. *cap.* 4. 2. 3. *Nehemiæ* 7. 7. 1. *Chron.* 3. 16. 17. 18. 19. *Matth.* 1. 12. Patrem habebat Sealthielem, 1. *Chron.* 3. 17. ubi annotant *Tremellius & Vinarienses Scholiastæ*: Sealthiel, & qui eum ordine sequuntur in hoc Catalogo, non erant jure nativitatis filii Jechoniæ, quandoquidem ille nullos post se reliquit filios, *Ierem.* 22. 30. sed oriebatur à Nathane filio Davidis, *Luc.* 3. 27. Vocantur autem Jechoniæ posteri, quòd solium ejus occupaverint, Duces facti in populo suo à captivitate exacta. *Hæc illi.* Verùm nulla est ratio, ob quam negetur, esse istos Jechoniæ

Regis

Regis filios & nepotes. Locus è Jeremia prolatus, haudquaquam negat, Jechoniam habiturum filios, sed negat, habiturum eum filios regia dignitate in populo conspicuos, itaque quantum ad successores in Regno, prorsum sterilis futurus esset, uti exponit Johannes Maldonatus *Commentariis ad Matthæum, pag.* 21. Duces isti primum locum in Synedrio occupabant, uti olim Judices, & horum ultimus occisus est tempore Antiochi Epiphanis. Interim à Persiæ Regibus, quorum nonnulli Judæorum rebus impensè favebant, mittebantur sæpius Legati extra ordinem, ut Reipublicæ bonum procurarent. Talis erat Nehemias, filius Hacheliæ, *Nehem.* 1.1. *cap.* 2.11. *cap.* 3.1. *cap.* 10.1. Annotat *Johannes Quisdorpius:* Nehemias ille, de quo sermo est *cap.* 10.1. erat Sacerdos, uti dicitur infrà *vers.* 8. cùm ille alter Dux Israëlitarum fuerit, omnes verò Duces & Ethnarchæ Judæorum sunt ex tribu Juda, & de stirpe Davidis, nec aliunde progeniti assumuntur. Error est Scriptoris *lib.* 2. *Macc. cap.* 1.21. dum Nehemiam Ducem vocat Sacerdotem, *notis ad h. l. pag.* 377. Nos plurimos in verbis illis errores detegemus. (1.) Quòd Nehemias unus & idem fuerit, ostenditur inde, quia ubique locorum est filius Hacheliæ. (2.) Fuit Legatus vel Commissarius Regius, non verò inter Duces, multò minus Sacerdos, quod posterius invitâ veritate asserit etiam Georgius Hornius *notis ad Sulpicium Severum, pag.* 318. 319. (3.) Dicitur cap. 9.38. quòd *Principes subscripserint fœderi.* Atqui cùm negatur, quòd Nehemias ille, de quo refertur *cap.* 10.1. fuerit Princeps, aut Principis instar, fallet compositor libri, quia Principem nullum recenset. Ergò Principes erant Nehemias & Zedekias, reliqui fuerunt Levitæ & Sacerdotes. (4.) Fallacia compositionis & divisionis est, quando comprehenditur Nehemias Sacerdotum nomine, *cap.* 10.1.8. Imò debet eis contradistingui, velut Commissarius Regius, qui optimatum nomine unà cum Zedekia instrumentum obligationis confecit. (5.) In Maccabæorum libro Nehemias haut appellatur Sacerdos. Quòd enim Romanus Interpres legit, *jussit Nehemias Sacerdos adspergere aquâ*, vitiosum certè est, & contra fidem Græcorum codicum, ubi τοὺς ἱερεῖς habetur sensu illo, *jussit Nehemias ut Sacerdotes aquam adspergerent*, quomodo etiam Tigurini, Arias Montanus, Tremellius reddiderunt. Porrò non obstante Ducum potestate, magna quoque fuit Sacerdotis summi authoritas, uti docebat exemplo suo Jaddus, qui occurrebat Alexandro Macedoniæ Regi, Josephus *lib.* 11. *Antiquit. cap.* 17. Donec Oniâ interfecto, Sacerdotium venalitium esset apud Reges Syriæ, & Epiphanis Regis sævitia intolerabilis bellum concitaret, quod à Judæis haud infeliciter gestum est. *Tacitus* de his temporibus: Rex Antiochus demere superstitionem (Judæorum) & mores Græcorum dare annixus, quò minus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthorum bello prohibitus est, namque eâ tempestate Arsaces desciverat. Tum Judæi Macedonibus invalidis, Parthis nondum adultis, & Romani procul aberant, sibi ipsis Reges imposuerunt, qui mobilitate vulgi expulsi, resumptâ per arma dominatione, fugas civium, eversiones urbium, fratrum, conjugum, parentum neces, aliaque solita Regibus ausi, superstitionem fovebant, quia honos Sacerdotii firmamentum potentiæ assumebatur,

lib. 5.

lib.5.histor. Ergò perseverabat Aristocratia temporibus Hasamonæorum sive Maccabæorum (de quo nomine vide librum nostrum de Scriptura sacra, *Exercitat.21.dist.1.* & Nicolaum Fullerum *lib. 2. Miscellaneorum sacrorum cap. 13.*) quorum ductu imprimis Syrorum jugum excusserant, intolerabile prorsus, quia Antiochi & Demetrii Reges divinis & humanis Legibus contraveniendo, populi occidionem quærebant, ut coloniam è Paganis ibi facerent, *Ezech.38.1.2.seqq. 1.Maccab.1.11.seqq.* Durabat Senatus magnus, atque in illo primum locum obtinebat Princeps illustris familiæ ejus, cæterùm potestatem habebat modicam, itaque plerisque ævi istius actis exprimuntur *Princeps, Senatus*, additur sæpè ad eos, *Populus*, tùm in civilibus negotiis, quæ bellum, pacem, fœdera attinebant, tùm in sacris, uti cùm festum Encæniorum instituitur, *1. Maccab. 4. 59. cap. 8. 20. 23. cap.12.6.14 40.48. cap.15.1.2.3.* Josephus *lib.13. Antiquit.cap.11.* Regiam potestatem beneficio Romanorum primus obtinuit Herodes Idumæus, atque ita libertate sua exuti parebant Regi peregrino, Josephus *lib. 15. Antiquit. cap. 1.* & nos ex illo in Recensu historiæ universalis *lib. 24. cap. 2. dist. 8. seqq.* Peregrini dico, neque enim erat ille de femore Jacobi, adeoque proximabat tempus, quo Messias adfuturus erat, uti prædixerat Jacobus Patriarcha, *Gen. 49.10.* De quo vaticinio quædam notavimus libro de Scriptura sacra *Exercitat.31.dist.6.* Quòd verò Josephus Scaliger *in Animadversionibus Eusebianis pag.*148. 159. 259. Causabonus *Exercitat.1.dist.3.* Torniellus *in Annalibus sacris Tom. 2. pag. 332. num. 7. seqq.* Leonhardus Hutterus *in Locis Theologicis, pag.849.seqq.* contendunt, Herodem fuisse indigenam, non est verò consentaneum, & meritò refellunt Jacobus Salianus *in Annalibus sacris Tom. 6. Anno mundi* 4017. *num. 14. seqq.* Nicolaus Serarius *libro de Herode, cap.3.seqq.* Richardus Montacutius *in Originibus Ecclesiasticis, Exercitat. 10. sect. 1.* Dionysius Petavius *in doctrina temporum, lib.11.cap.5.* Dicit *Scaliger*: Natus est Herodes patre Antipatre ex Idumæis oriundo, qui populus à Johanne Hyrcano compulsus Judaica sacra accepit, ejusque gentis civitatem sortitus est, Josephus *lib. 13. Antiquit.cap.17.* Respondeo: Atqui ob istam caussam fuit proselytus & advena, non etiam civis originarius, id est, non fuit de posteris Jacobi. Et verò dedititios rectius appellaveris, quàm cives pleni juris. Instat *Torniellus*: (1.) Damascenus familiam ejus derivat à primatibus Judæis, olim è Babilone reversis. *Respondeo*: Damascenus ille usus est phaletismo aulico, quod notat Josephus. (2.) Si verè Idumæus erat, quare non coëgit Judæos, ut gentis ejus sacra amplecteretur? *Respondeo*: Majores ejus dudum receperant circumcisionem & alios ritus Hebræorum, quibus ille, ut Hebræis placeret, adhærere voluit, nec pauca à Paganis accepta, ut à Romanis gratiam iniret, clàm palàm miscuit. (3.) Si verè Idumæus erat, quare Mariamnen conjugem Judæam ei matrimonio dederunt? *Respondeo*: Atqui Regi illi, & incircumciso, & patriæ legis in speciem observantissimo nihil poterat denegari. (4.) Si verè Idumæus erat, quare eum Herodiani coluerunt velut Messiam? *Respondeo*: Erant Religionis deturpatores, qui non admodum curabant, quâ gente oriundus esset Herodes, uti diximus *libro de Scriptura sacra,*

cra, *Exercit.* 31.*dist.*5.(5.)Si verè Idumæus erat, quare de illo vaticinium protulit Jacobus, Gen.49.9. *Respondeo:* Vaticinium sonat de Rege Davide, qui vicinos populos victricibus armis edomuit, quod idem verbis aliis prædixit Bileamus, *Num.*24.17.18. 19. Regerit: Vaticinium Jacobi pertinet ad illum, qui vi corripit Regnum, uti Herodes, non qui ultrò delatum suscipit, uti David. *Respondeo:* Dicit Patriarcha, quid futurum esset à Rege oriundo è posteris Juda, non etiam addit, quis, vel quomodo Regnum invasurus esset in populo isto.

III. Ad eundem modum apud veteres Etruscos præerant duodecim Lucumones, sive Prætores, eorumque princeps vocabatur Lartes, (Florus *lib.*1. *Historiæ Romanæ, cap.*5. Servius *Commentar. ad lib.*8. *Æneid. pag.* 358. Alexander Neapolitanus *lib.* 3. *Genialium dierum, cap.*28.) Aut potius Lar, quomodo scribi debere, contendit Carolus Sigonius *lib.*2. *Emendationum, cap.*9. Apud veteres Ægyptios post discessum Regis Tearki imperabant duodecim Principes, Herodotus *lib.*2. *histor.* & nos ex illo in Recensu historiæ universalis *lib.*1. *cap.*5. *dist.*2. 3. Apud veteres Saxones erant duodecim Comites, & præcipuus eorum belli tempore usurpabat nomen Regis, Cranzius *lib.*2. *Saxoniæ, cap.*22. Duodecim Palatini in Sarmatia post exstinctam Lechi Regis familiam imperabant, Herburtus *lib.* 1. *historiæ Polonicæ, cap.*3. Joachimus Pastorius *in Floro Polonico, lib.*1.*cap.*2. Hodiè ita imperant Veneti, de quibus plura dicemus *infrà cap.* 15. *dist.*3. Nec non Genuenses, uterque populus ad gubernacula collocat Patricios opibus, gloriâ, splendore conspicuos, atque in eis legit Ducem sceptro & paludamento nobilem, quòd Veneti Candiæ, Genuenses Corsicæ Regna dominio obtineant, quamvis Regiis Legibus non administrent, sed in provinciæ formam redactas moderentur, Ludovicus Godofredus *lib.* 1. *Archontologiæ Cosmicæ pag.* 611. *seqq.*

IV. Contendunt Wolffgangus Heiderus *in Institutionibus Politicis pag.*787. Henonius *Disput. Polit.*10.*dist.*21. Jacobus Martini *lib.*2.*Instit. Polit. pag.*338. Cl. Felvvingerus *in Dissertationibus Politicis pag.* 9. *seqq.* Johannes Althusius *cap.* 39. *Institut. Politic. num.*54. Martinus Rumelinus *part.* 3. *ad Auream Bullam, dissertat.*2. *dist.*17. & *ibidem* Nicolaus Mylerus *in Additionibus, pag.*642. 643. fuisse Aristocraticum Imperium, quando Cæsares legabant sibi Collegam, uti fecerunt Antoninus Philosophus, Diocletianus, Gratianus, Theodosius, Valentinianus, Eutropius *in Breviario lib.*8.9. 10. Zosimus *lib.*3. & 4. *hist.* Ammianus Marcellinus *lib.*25. 26. 27. *histor.* & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib.* 5. *cap.* 2. *dist.*8. *cap.*4. *dist.*4.5.6.7. *lib.*6 *cap.*2. *dist.*3. *cap.*3. *dist.*1.2.3. Respondeo: Erat Monarchia, uti rectius dicit Barth. Keckermannus *lib.*2. *Systematis Politici cap.*2. Namque Cæsar ille, quem Collegam sibi petebat Augustus, erat ferè Imperator belli, suberatque Augusto, coram quo rationes administrationis suæ reddebat, & si malè egisset, capitis judicio postulabatur, ita Galerio fecit Diocletianus, Gallo Constantius, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 5. *cap.*4. *dist.*4.5. *lib.*6. *cap.*1. *dist.*5. Quando erant duo Augusti, habebant divisa Imperia, alter Orientis, alter Occidentis, & pactis certis sese obligabant quidem, ut Leges universales

ſales conderent, ut armis conjunctis ſeſe defenderent, ut Imperium utriuſque vocaretur Romanum: Cæterùm quilibet Imperio ſuo cum poteſtate ſumma præerat, neque poteſtate alterius contineri volebat in negociis privatis. Ita erat cùm Imperium Orbis dividerent tres filii Conſtantini Magni, ac deinceps cùm poſt obitum Theodoſii Magni ſuccederent duo filii ejus, alter in Græcia alter in Italia, uti diximus in Recenſu hiſtoriæ univerſalis *lib.6. cap.1. diſt.2. cap.3. diſt.4.*

V. *Ejus oppoſitum eſt Oligarchia. Oligarchia eſt, cùm Proceres opprimunt æquales ſuos.*] Ita Romæ accidit, poſtquam Triumviri imperio potiebantur, Antonius, Octavius, Lepidus, Florus *lib.4. Hiſtoriæ Romanæ cap.6.* Epitome Livii *lib.119.120.* Appianus *lib.3. & 4. de bellis civilibus*, & nos ex illis in Recenſu hiſtoriæ univerſalis, *lib.4. cap.3. diſt.14.15.* Ejus rei memoria ſervatur in veteribus nummis, ubi incuſæ tres facies, aut tres dexteræ invicem complicitæ, Johannes Triſtanus *Commentariis de Imperio Romano Tom.1. pag.47. & 73.* Antonius Auguſtinus *Tabula 9. numer. 14. 15.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Democratia.

SUMMARIA.

1. *Definitio Democratiæ.*
2. *Exempla Democratiæ.*

I. D*Emocratia eſt Imperium, quod à populo regitur.*] Populus eſt ille, qui jus civitatis habet, ac verbo, *cives minorum ordinum* complectitur. Ut tale ſit Imperium, quinque potiſſimùm requiruntur: 1. Magiſtratus à populo conſtituitur, & ab illo accipit authoritatem. 2. A ſententia magiſtratus in cauſis gra[illegible]ribus ad populum appellare licet. 3. Leges, per quas bonum publicum regitur, à magiſtratu quidem proponuntur, ſed à populo jubentur. 4. Magiſtratus apud populum deferri, & juſſu ejus vita mulctari poteſt, cùm malè egit. 5. Magiſtratus non eſt perpetuus, ſed ambulatorius, ut qui imperaverunt aliquando, hi pareant alio tempore, Ariſtoteles *4. Politic.4. ſeq. 6. Politic.2. ſeqq.*

II. Hoc ergò intereſt, quod in Democratia ſecundùm proportionem *Arithmeticam* cenſentur *omnes*, id eſt, ut non reſpiciatur ad familiam & opes: Verùm in Ariſtocratia ſecundùm proportionem *Geometricam* cenſentur *pauci*, id eſt, ut ratio habeatur familiæ, dignitatis, opum. Tale Imperium erat apud veteres Athenienſes, ut conſtat ex illis, quæ ordine perſequitur Joachimus Stephani *lib.2. de Juriſdictione Græcorum cap.1.2. ſeqq.* & nos paucis dicemus *infrà cap.15. diſt.3.* Nec non apud Romanos, poſtquam illi Reges depulerant ſolio, & Senatum formabant, cui præerant duo Conſules, alter patricius, alter plebejus, uterque anno uno præerat, deinde Conſularis & Senator erat, ad populum ſuprema provocatio valebat, qui poteſtatem illam per Tribunos ſuos exercebat. De hac re quoque eſt *infrà cap.16. diſt.6.* Florentini Democratiam habebant, antequam Mediceorum Principum opibus & Caroli V. Imperatoris armis ſuccumberent. Tunc enim populus renunciabat & abrogabat magiſtratum, legemq; pro

civium libertate asserenda sanciebat Hieronymus Savoranola Monachus Dominicanus, hostis Papæ, & Mediceis infensissimus, Religionis opinione inter suos eximiè cultus, uti differit Johannes Franciscus Picus *libris duobus Apologiæ pro Savonarola Propheta ad Herculem Estensem*. Ex lege illa provocare licebat à Senatu & Octoviris ad populum, quæ tamen lex per negligentiam populi & Legislatoris ipsius animum timore oppletum, à Senatu abrogata est, adeoque libertatem populo, vitam famamque pristinam eripuit Legislatori, civitati imposuit Principes, Machiavellus *lib 1. de Republica, cap.39. & 45.* Guicciardinus *lib. 3. histor.* Stephanus Forcatulus *lib. 4. de Imperio Gallorum, pag. 241. seqq.*

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Republica mixta.

SUMMARIA.

1. *Exempla Reipublicæ mixtæ.*
2. *Rationes adversus Rerumpublicarum mixtionem.*
3. *Solvuntur rationes contrariæ.*

I. DOcent vulgò, plures Imperiorum modos ita posse invicem attemperari, ut vel ex duabus vel tribus speciebus hactenus enumeratis, nova quædam Respublica composita existat. Exempla proferunt notissima: (1.) Imperium Germanicum est gubernationis mixtæ, ut Monarchia & Aristocratia concurrant. (2.) Vetus Lacedæmoniorum Respublica, quomodo eam Lycurgus formaverat, composita fuit è tribus speciebus. Reges habebant potestatem belli, Magistratus exercebant judicia per Successiones annuas, Senatus habebat custodiam Legum, populus creabat Senatores, Plato *lib. 3. de LL.* Polybius *lib. 6.* Aristoteles *lib. 4. Politicor. 9.* (3.) Hebræorum Respublica administrabatur per Reges, atque hi Parliamento suberant. (4.) Regnum Poloniæ è Monarchia & Aristocratia commixtum est, Nobiles enim penes Regem votis suis electum, consultant, decidunt in pace, belloque, uti patet è Statutis Regni, consensu Regum evulgatis, & provocatio suprema non tàm ad Regem, quàm Regni Comitia defertur, testibus Cromero *libro de Magistratibus Poloniæ*, Chytræo *lib. 23. histor.* (5.) Angliæ Regnum constat è Monarchia & Aristocratia, quando Rex obnoxius est Parliamento, & promittit juratus, quòd patrias Leges observare velit, Johannes Casus *in Sphæra civitatis, lib. 3. pag. 132.* (6.) Consimiliter Galliæ, Hispaniæ, Scotiæ, Daniæ, Suediæ Regna habent Monarchiam cum Aristocratia temperatam. Reges enim publica acta disceptant in Comitiis Ordinum, & jurant in Leges patrias accuratè servandas, quas cùm non servant, removeri possunt, Hottomannus *lib. 1. de antiquo jure Galliæ, cap. 23.* Georgius Buchananus *libro de jure Regni Scotiæ*, Thomas Smithus *lib. 2. de Republica Angliæ, cap. 4. 5.* (7.) Veteres Athenienses miscuerunt Aristocratiam cum Democratia, postquam Senatum Areopagiticum formaverunt, teste Isocrate *in Areopagiticis*. (8.) Veneti miscent Aristocratiam cum Monarchia, & Ducis imperium conjungunt unà cum Senatus authoritate, Contarenus *lib. 1. & 2. de Republica Venetorum*. Hæc ita proponunt Machiavellus

vellius *lib.1. de Republica, cap.2.* Arnisæus *lib. 1. civilis doctrinæ, cap.8. & lib.2. Relectionum Politicarum cap.4. sect.6.* Johannes Eichelius *Dissertatione de Republica mixta*, Hermannus Conringius *Dissertatione de Rebuspublicis in genere, dist.48. seqq.* Wolffgangus Heiderus *in Institutionibus Politicis, pag.582. seqq.* Johannes Paulus Felvvingerus *in Dissertationibus Academicis, pag.417. seqq.* Christophorus Besoldus *lib.1. doctrinæ politicæ, cap.11.* Balthasar Cellarius *lib.2. Institutionum Politicarum, cap.6.* Georgius Schonbornerus *lib.1. Institutionum Politicarum, cap.16.* Johannes Althusius *in Institutionibus Politicis, cap.39. num.15. seqq.* Bartholomæus Keckermannus *lib.2. Systematis Politici, cap.4. seqq. & in Cursu Philosophico, Disput.36. quæst.8.* Martinus Schogkius *libro de Majestate, dist. 47. 48. 49.* Lælius Zecchius *lib.1. de Principe, cap.4.* Benedictus Carpzovius *Commentario ad Legem Regiam Germanorum, cap.13. sect.9. num. 15. seqq.* Vernulejus *lib.1. Institutionum Politicarum tit. 2. cap. 2.* Adamus Conzenus *lib.1. doctrinæ politicæ, cap.14.* Ananias Sturcius *disp. polit. 3. pag.102. seqq.*

II. In contrarium differunt Johannes Bodinus *lib.2. de Republica, cap.1. & in Methodo historica, cap.6.* Tholosanus *lib.5. cap.1.* Melchior Junius *part.1. Quæstionum Politicarum, pag.322. seq.* Jacobus Bornitius *libro de Majestate, cap.11.12.13.* Philippus Heonius *disputat. polit.9. dist.2.* Michaël Piccartus *in Philosophia Aldorffina, disputat.30. dist.50. seqq.* Thomas Hobbes *libro de Cive cap.7. dist.4.* & rectè negant, dari Imperia mixta. Rationes sunt: (1.) Quia omnis Respublica ordinem benè constitutum observat, neque igitur confusionem, aut mixtionem ipso nomine perversam admittit. (2.) Quia summum Imperium est per se unum & indivisum, adeoque contradictionem implicat, velle dicere, quòd idem Imperium per se, & simul penes unum, & penes complures sit depositum. Excipit *Arnisæus*: Plura sunt capita è quibus constat majestas, quam totam & universam communicari pluribus, equidem impossibile est, sed partes ejus separari atque inter plures dividi possunt, ita quidem ut singuli habeant particulam majestatis, in toto verò corpore sit majestas perfecta. *Respondeo*: Partes integrantes communicari, ita verò, ut non communicetur totum, contradictorium est. Et verò communicatio, quæcunque illa fuerit, non eripit subjecto primo dignitatem aut potestatem suam, ut æqualiter utrique imputetur effectus. Itaque corpus non sentit, verum corpus vivens sentit, id est, corpus animæ unitum, & ab anima præsenti influxu affectum, ut sensus ei possit inesse. Multò minus indignius, sive illud quod accipit, potest digniori, sive illi quod impertit, præscribere, & imperare, quomodo Rex præstantior est, neque igitur leges accipere potest ab illis, qui eo inferiores sunt. (3.) Quia Respublica quævis suam formam habet, eamque specificam, ut illa non possit cum forma alia numero eadem communicari. (4.) Quia mixtio hujusmodi citra turbas non esset, quando alius alii compar obedientiam denegabit, atque bonum publicum evertet. Dicit *Felvvingerus*: Elementa sunt specie diversa, & miscentur: Equus & asina sunt species diversæ & miscentur, ut nascatur inde mulus. *Respondeo*: Elementa non tàm miscentur invicem, quàm à superioris alicujus formæ dominio uniuntur &

continentur, ut faciant, quæ ad compositi existentiam per se utiliter conferunt. Ita Rex cum dominio superiori præest,& inferiores quoscunque dirigit,ut agant quę vult ipse, quæque putat commodo esse ad conservandum bonum publicum. Nulla hîc est mixtio, per quam superior ita cum inferiori copulatur,ut inferior potestatem cum superiore communem habeat. Equus & asinus producunt monstrum, an tale quid est Respublica mixta? (5.) Quia summus Princeps non poterit citra existimationis suæ jacturam aliquid de Imperio abdicare,& cum inferioribus communicare. (6.) Quia non datur exemplum, nisi ubi Princeps fortè jubet, ut suo nomine agant inferiores, quicquid rerum occasio movet. Atqui *beneficio alterius* agere, non est parem esse illi, qui *potestate suâ* agit, multò minus in agendo ita concurrere, ut ab actione habeat denominationem. De exemplis ordine dicemus.

III. Ac (1.) quidem Imperium Germanicum est Monarchicum, uti dicemus *cap. 16. dist. 27.* (2.) Vetus Respublica Lacedæmoniorum erat perfectè Aristocratica, quando Reges eorum dignitatem aliquam habebant, potestatem verò nullam. Dicit Machiavellus, *instituisse Lycurgum, ut Regibus sua dignitas, Optimatibus potestas, civibus perfecta libertas conservarentur.* Atqui dignitas non facit Regem, sed potestas & imperium. Neque etiam dignitas eorum magna erat, cùm teste Xenophonte, libro de Republica Laconica, *Regum honores parum admodum differrent à privatorum splendore.* Quòd ergò Justinus *lib. 3. histor.* dicit, *Reges habuisse jus belli*, verum est sensu illo, quòd in expeditionibus habuerint potestatem amplam agendo, quod viderent è Reipublicæ usu esse, cæterùm neminem hostem arbitrio suo invadere poterant, nisi in quem eos miserant Ephori, quorum consiliis regebantur omnia, & coram quibus Reges gestorum suorum rationem addictè reddebant, Aristoteles 2. *Politic.* 7. 4. *Politic.* 9. Plutarchus *in vita Cleomenis.* Verbo: Ephori pro arbitrio decernebant in Actis publicis, Senatores decernebant in privatis litibus, itaque Aristocratia erat, uti rectè pronunciant Thucydides *lib. 1. histor.* Nicolaus Cragius *lib. 1. de Republ. Lacedæmon. cap. 4.* (3.) Reges Hebræorum præerant cum imperio absoluto, uti diximus *suprà cap. XII. dist. 3.* (4.) Regnum Poloniæ est status Monarchicus, quando subditi omnes sunt in Regis clientela,& adversus eum committatur à subditis crimen læsæ majestatis, Johan. Herbuttus *lib. 1. Statutor. Polon. cap. 1. art. 4. num. 6.* Quòd suprema provocatio deferatur ad Comitia, Regiæ potestati non detrahit, quando Regum beneficium est, quòd Ordines usurpant peculiares libertates. Aliàs constat, quòd Poloniæ Reges vitæ necisque potestatem sibi arrogare possint, cùm volunt, itaque Ordines Regni neminem proscribere, neminem damnare possunt, nisi quem ille decreto suo pœnâ illâ affici jussit, uti constat ex actis Zborovianis, quorum unum capite plecti, alterum proscribi edicto suo imperavit Stephanus Bathor juris Regii callentissimus, uti referunt Martinus Cromerus *lib. 2. de Statu Poloniæ*, Paulus Piasecius *in Chronicis Europæ pag. 13. 14. 15.* Scilicet Magistratus omnes civiles perindè atque Ecclesiasticos eligit Rex, & isti in potestate ejus agunt, quæ agunt, ut satis hinc etiam pateat, non esse illos suæ potestatis, verùm à Rege constitui, & potestate sibi à Regibus data uti in judiciis peragendis. De quo refert idem Piasecius *libro dicto*

dicto pag. 50. (5.) Regnum Angliæ est Status Monarchicus, quando constat esse populum bello victum, & victorem Wilhelmum Conquæstorem omnes Anglis ademptos agros militibus suis benificio suo possidendos tradidisse, novas leges sancivisse, potestatem in omnes Clericos perinde ac Proceres exercuisse, quod refert Polydorus Virgilius *lib. 9. historiæ Anglicæ*, & nos ex illo protulimus in Recensu historiæ universalis *lib. 15. cap. 1. dist. 2. 3.* Regum benignitas deinceps promulgavit & confirmavit libertates aliquas, non ut Proceribus adderent potestatem, sed ut conciliarent dignitatem, quâ supra vulgum eminerent, aulæ splendorem augerent, Regibus obsequia cum majori prolubio exhiberent, uti multis persequuntur Salmasius *in defensione Regia pag. 120. seq.* Johannes Seldenus *in Jano Anglico lib. 2.* David Jenkinus *in Statutis Anglicanis.* Nam quæ ad efferendam Procerum civiumque potestatem nuper evulgavit parricida Jacobus Miltonus *defensione populi Anglicani*, ea, inquam, sunt apinæ tricæque. & si quid vilius istis. Regula immota est: *Beneficium suum nemini debet esse fraudi.* Atqui libertates sunt benificia Regum. Ergò non debent usurpari ad infringendam Regum potestatem, turbas conciendas, factiones alendas. Parliamentum cepit demum post tempora Eduardi III. Regis, & uti à Regibus institutum fuit, ita potestatem Regibus subjectam habuit semper, ab eis pro lubitu convocatur, & absque horum jussu nunquam coire potest, eorum etiam jussu, quandocunque lubet, vicissim dissolvitur, adeoq; Regis nutu & arbitrio omnia fiunt, ut ipsa etiam, quæ ab omnibus Proceribus ita congregatis sanciuntur, Regis Leges & Statuta nuncupentur. Constat ex historia Henrici VII. Regis à *Francisco Bacono de Verulamio* scripta, Parlamentum semper inferius fuisse ipso Rege. Condonationē omnium delictorum, ne quidem in partes consilii vocato Parlamento, ipsemet per edictum Regium refractariis subditis concessit, *l. d. pag.* 28. Scotis rebellibus noluit permittere, ut leges Regibus suis imponerent, sed tunc communem Regum causam agi censuit, quando subditi conarentur Regem unum in ordinem redigere, *l. d. pag.* 122. leges in Regno suo validas solus ipse promulgavit, *l. d. pag.* 125. 355. Possemus idem ex aliorum Regum gestis ostendere, qui nunquam admiserunt, ut Parlamentum vires tantas sumeret, quibus potestatem Regiam deminuerent. Sed ista nunc sufficiant. (6.) In omnibus Regnis illis est Status perfectè Monarchicus, & parum obstat, quod Reges permittant Conventus Ordinum, inque patrias Leges juramento sese obligent, namque id demum est, Regem esse, quatenus *Rex* agit secundùm Leges & Pacta, *Dominus* agit citra Leges, quibus nunquam fuit circumscriptus, *Tyrannus* agit contra Leges, qua de re plura dicemus infrà *cap. 19. dist. 2.* Conventus Ordinum sunt in potestate Regum, qui eos cogere & dissolvere pro luhitu possunt, adeoque Regis Consilium quasi sunt, quod ille pro deliberando super negociis publicis cogit, majestate salvâ. De Gallis notissimum est, multa Reges agere, ad quæ probanda, velint nolint Proceres, obligantur, quia Regibus in Consilio privato ita placet, quod testatur Wilhelmus Barclajus *lib. 4. de Potestate Regali cap.* 14. 15. 16. 17. 18. 19. Neque aliter est de Hispanis. Postquam Mauri vastabant omnia, indigenarum plurimi ad Pela-

I. DE origine & incrementis Romæ urbis sunt quædam in sacris literis testimonia, ut Interpretes aliqui censent. Quòd Daniel originem notet, putat Hugo Grotius, verbis illis, cùm ait, *lapidem à monte revulsum obruisse lapsu suo omnia Regna ista*, Dan. 2. 34. Nam quicunque Colossi partem inferiorem ad Romanos applicant, falluntur. Sulpitius Severus *lib. 2. historiæ cap.* 4. Crura ferrea, *ait*, Imperium quartum, idque Romanum intelligitur, omnibus antè Regnis validissimum. De hac re diximus *suprà cap. IX. dist. 1. seqq.* Et verò quòd lapidem à monte revulsum de Romanis interpretatur Grotius, non minus pugnat cum veritate. Namque de novo aliquo (non tantùm ratione *populorum*, sed quoque *regiminis*) Imperio agitur, uti Prophetæ verba ostendunt, *vers.* 44. 45. Neque Romani obruerunt omnes illos in prioribus Imperiis populos, à Parthis repulsi toties ac profligati. Solus Christus mundum totum ad se convertit, nunciando Evangelium per Apostolos, *Matth.* 28. 29. 20. Locus est Numer. 24. 24. *Et naves de littore Kitthim* (venient) *v. ïstabuntq; Ebræos, & deinceps ipse quoque in perditionem* (tendet.) Kitthim de Romanis exponunt Rabbinus Salomoh, Aben Esdras, Vatablus, Cornelius à Lapide, Bonfrerius, Tirinus *Commentar. ad h. l.* Samuel Bochardus *part. 1. Geographiæ sacræ lib. 3. cap. 5.* Nullo cum successu, quandoquidem כתים sunt Græci & horum vicini Insulani, uti rectius monent Sebastianus Castalion *notis ad h. l. pag.* 338. Franciscus Junius *notis ibidem*, & patet è collatione, *Gen.* 10. 4. *Dan.* 11. 2. 1. *Maccab.* 1. 1. Græci sunt, qui Assyrios eorumque successores Medos ac Persas armis subegerunt, transvecti Hellespontum. Et Assyrii Medi, Persæ sunt עבר, id est, *περάται* appellativè capiendo, *illi, qui ultra flumen sunt.* Flumen, id est, Eufratem. Etiam hunc superaverunt Græci, Insulani, (quos inter potentissimi erant Cyprii, Cretes, Rhodii) Macedones sub Rege Alexandro Magno, & devastaverunt florentissimas Orientis provincias. Sequitur, *ipse in perditionem tendit*, factumque est, cùm victricia Græcorum arma succubuerunt fortunatis Romanorum successibus, Florus *lib. 2. histor. Rom. cap.* 8. 12. *lib.* 3. *cap.* 5. *lib.* 4. *cap.* 11. Appianus *in Syriacis*, & adde Recensum nostrum Antiquitatum Romanarum *lib. 4. pag.* 707. 708.

II. Conditor urbis Romulus erat, uti prolixius referunt Livius, Dionysius Halycarnassæus, Florus, Plutarchus, & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib. 4. cap. 1. dist. 2. seqq.* diximus. *Virgilius:* Quin & avo comitem sese Mavortius addet Romulus, Assaraci quem sanguis Ilia mater Educet, *lib. 6. Æneid.* Et *lib. 8. Æneid.* Fecerat & viridi fœtam Mavortis in antro Procubuisse lupam: Geminos huic ubera circum Ludere pendentes pueros, & lambere matrem Impavidos. *μυθικῶς* de Romulo & Remo pa-

O tre

tre Marte, ut ajebant, genitis. *Horatius*: Iliæ Mavortisque puer, *lib.* 4. *Carm.* 8. Deliquium Sol passus est ipso die Solis, quo Iliam stupravit miles, eamque gemellis imprægnavit, ut narrant Plutarchus *in vita Romuli*, Valerius Maximus *lib.* 5. *cap.* 5. & deliquii ejus accuratum calculum ponunt Laurentius Eichstadius *Præfat. ad part.* 2. *Ephemerid. novar.* Thomas Lydiatus *libro de Emendatione temporum pag.* 44. Lupæ imago sub ficu Ruminali duos puellos istos lactantis est in antiquis nummis Commodi, Alagabali, Macrini, apud Abr. Gorlæum *Tab.* 44. *num.* 7. Ant. August. *Tab.* 1. *num.* 2. Sebast. Erissum *Expositione ad nummos pag.* 461. 475. Johan. Tristanum *Commentariis de Imperio Romano Tom.* 1. *pag.* 716. Per sicarios confectus est, subornatis à Patribus, qui austeros mores ejus pertæsi Regem habuisse quàm habere malebant, ut verò populo excandescenti religionem injicerent, Julium Proculum obtruserunt: Affirmabat ille, quòd vidisset Romulum formâ augustâ armis fulgentibus ornatum, eumque dicentem audivisset de sua in cœlos emigratione, atque deinceps Quirinum appellari voluisse. Livius *lib.* 1. Florus *lib.* 1. *cap.* 1. Plutarchus *in vitis illustribus pag.* 25. Inde est, quod Virgilius dicit, *Remo cum fratre Quirinus jura dabunt*, lib. 1. Æneid. Quirinus deducitur à Quiri, atque ita Sabini veteres, (quorum sermo paulatim cum Latiali coaluit, & Romanam dialectum effecit) vocabant hastam, Servius *Commentar. ad lib.* 1. *Æneid. pag.* 199. Hastam bellator Romulus secum perpetuò tulit. Regum veterum consuetudine ipse etiam usus, de quibus constat è sacris literis, 1. *Samuel.* 18. 10. *cap.* 19. 9. *cap.* 20. 33. *cap.* 26. 11. Statuæ eorum habitu consimili ponebantur, nam sceptrum multò serius adhibitum fuit, uti notat Cœlius Rhodiginus *lib.* 11. *Antiquarum Lectionum cap.* 49. Primus ille & ultimus Regum inter Divos relatus est, ejus verò exemplo deinde Imperatores consecrari voluerunt, statuas, imagines, coronas radiatas, hastas, fulmen, templa, aras, flamines acceperunt, quod de Julio Cæsare narrat Florus *lib.* 4. *histor. Rom. cap.* 2. de Augusto Suetonius *lib.* 2. *cap.* 94. Tacitus *lib.* 1. *Annalium*, Dion Cassius *lib.* 56. Scilicet coronas radiatas petiverunt à Sole Deorum illustrissimo, quem Regum suorum esse progenitorem voluerant etiam Aborigines. *Virgilius* describit: Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum, Aurati bis sex radii fulgentia cingunt, Solis avi specimen, *lib.* 12. *Æneid.* De Latino Rege agit. Cœleste φαινόμενον quod propter Augustum contigit, refert *Vellejus Paterculus*: Cùm intraret urbem, Solis orbis super caput ejus curvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est, *lib.* 2. *cap.* 59. Coronas radiatas videmus in nummis Augusti, Neronis, Trajani, Pupieni, Decii, Gordiani, Philippi, Valeriani, Æmyliani, apud Onuphrium Panvinium *lib.* 2. *de Ludis Circensibus pag.* 87. Antonium Augustinum *Tab.* 16. *num.* 17. 22. *Tab.* 47. *num.* 17. *Tab.* 57. *num.* 9. *Tab.* 60. *num.* 5. Johannem Tristanum *Commentariis de Imperio Romano Tom.* 1. *pag.* 225. 227. 233. 236. 246. 415. *Tom.* 2. *pag.* 494. 496. 509. 518. 520. 569. 650. *Tom.* 3. *pag.* 12. 68. 70. 194. 195. 212. De hastis est testimonium *Justini*: Ob religionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastæ adduntur, *lib.* 43. *cap.* 3. Verba *Luca-*

Lucani: Fulminibus manes, radiisque ornabit & hastis, *lib.* 7. Ita enim rescribit Johannes Freinsheimius *notatis ad Florum lib.* 4. *pag.* 351. ubi lectio vulgaris est, *radiisq; ornabit & astris.* Nihil mutant Bersmannus, Farnabius, Grotius, Screvelius, Hortensius, Justus Lipsius (*notis ad lib.* 1. *Annalium Taciti num.* 63.) atque illi astris referunt ad stellam crinitam post Cæsaris obitum exortam *suprà cap.* 8. *dist.* 15. De flaminum collegiis diximus *lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 6. *Antiquitatum Romanarum.*

III. Regum successio post obitum Romuli, qui sine hæredibus obiit, electionis jure prorogata fuit. Negat quidem Marcus Zuerius Boxhornius *Dissertatione Politica* 5. *dist.* 2. quòd Romanorum à Romulo conditum Regnum fuerit hæreditarium, & Dionysium Halycarnassæum reprehendit, qui hæreditarium fuisse, non uno loco affirmat. Quid enim, *ait*, apertius, quàm post Romulum omnes hactenus electos fuisse? Unde illa solennia apud Livium, ubi de creatis Regibus ait: Regem populus jussit: Patres autores facti. Et: Regem populus creavit: Patres fuerunt authores. Neque obstat, quòd absolutissimo imperio usi sunt Reges Romani. Qui enim statuunt, omnia illa esse summa Principum imperia, quæ per successionem; nunquam verò ista, quæ per electionem deferuntur, nimium aberrant. Formam enim imperii non afficit aut facit modus, quo ad id pervenitur. *Hac ille.* Respondeo: Quòd Regnum pertineret ad filios hæredes, constat satis inde, quia Rex Ancus Marcius tutorem Priscum designavit filiis suis, qui post obitum suum curam horum ageret, atqui *Priscus tutor liberis relictus, Regnum intercepit*, ait Sextus Aurelius Victor *libro de viris illustribus.* Si Regnum intercepit, certè Regnum filiis Anci Regis natalium jure debitum fuit. Electi quidem fuerunt Reges, sed tunc, cùm pater nullos progenuerat filios, itaque Livii verba de Romulo, Numa Pompilio, Tullo Hostilio valent, quibus omnibus deerant hæredes. Regum ultimus erat Tarquinius superbus, civium impetu dejectus, quòd multa crudeliter & ignavè ageret, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 4. *cap.* 1. *dist.* 11. *cap.* 2. *dist.* 1. Cæterùm sub Regibus hanc dignitatem habuit Senatus, ut magistratus crearent, leges sancirent, de bello unà consultarent, secundùm pacta illa quæ cum eis fecerat Romulus, Dionysius Halycarnassæus *lib.* 2. *histor.* Potestas verò omnis Regum erat, *nobis Romulus, ut libitum, imperaverat*, ait Tacitus *lib.* 3. *Annal.* Neque injuriâ, vel urbis author, qui subditos fecerat, non invenerat. Quod enim Marcus Fabius (apud Livium *lib.* 8. *histor.*) Papyrio Dictatori filium ejus ad supplicium poscenti objicit, Hostilium Regem concessisse provocationi ad populum, hoc inquam, potestati Regiæ non detrahit, quando Rex delegerat ad negocium judicandum Duumviros, hac lege, ut ab illis provocatio esset ad populum, itaque non à Rege quidem, sed à Commissariis Regis, volente jubente Rege provocari poterat ad populum in isto perduellionis, uti vocabatur, crimine. Quod tamen Rex æquiori animo pertulit, veritus crudelitatis notam incurrere, si damnavisset pronunciato suo Horatium, uti refert Livius *lib.* 1. *histor.* Regibus ejectis successit Democratia, authore Junio Bruto. *Tacitus:* Libertatem & Consulatum Junius Brutus instituit, *lib.* 1. *Annalium.* Libertas deinceps fuit, cùm populare esset regimen, Majestas desiit esse,

O 2 quia

quia Reges nulli erant, nisi cùm potestatem Regiæ similem exercebat per intervalla Dictator, ut porrò docebimus infrà *lib. 2. cap. 1. dist. 5.* Quando verò apud Ciceronem *locis plurimis* Majestas adscribitur Regimini populari, catachresis est Oratori quidem non insolens, sed quæ tamen à proprio dicendi genere multum distat. Contraria sunt *Majestas* & *Libertas*, utraque verò in suo genere una est, perpetua est, suprema est, uti porrò dicemus *infrà lib. 2. cap. 1. dist. 3. 4.*

IV Consules præerant duo, ut Regum instar agerent, quos Lacedæmonii præfecerant sibi, perpetuos quidem hi, illi verò ambulatorios. Duo erant, quòd novam libertatem uni periculosè committi arbitrarentur, ac diviso Imperio, si alter malus esse voluisset, alter qui potestatem æqualem habebat, eum coherceret, nec Imperium longius quàm anno habebant, *ne per diuturnam potestatem insolentiores redderentur, sed civiles essent, qui se post annum scirent futuros esse privatos*, Livius *lib. 2. hist.* Dionysius Halycarnassæus *lib. 4.* Eutropius *in Breviario lib. 1.* Onufrius Panvinius *Commentariis ad lib. 1. Fastorum: pag. 57. seq.* Jus militiæ summum habebant, civibus & sociis imperabant, Tribunos militum, Centuriones, Officiales majores, minores designabant, populum convocabant, fœdera sanciebant, leges promulgabant. Breviter, *authoritas erat in Senatu, potestas erat in populo*, dicente Cicerone, *lib. 3. de LL.* Nam à Senatu provocare licebat ad populum, velut ad Judicem majorem. Quin & Tribunorum plebis intercessio arbitrium pacis, belli, ferendarum legum eripuit illis, *ut sine populi jussu nulli earum rerum Consuli jus esset*, ait Salustius *in Catilinaria*. Ad curiam vehebantur curru, in quo sella elevata posita erat, cui insidere honoris majoris gratiâ possent, atque illa dicebatur esse sella curulis. Ejusmodi sellas exhibent nummi apud Gorlæum *Tab. 18. num. 9. Tab. 29. num. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.* Sellæ fuerunt eboratæ & variis signis exsculptæ. *Ovidius*: Aut reget ille suos dicendo jura Quirites, Conspicuum signis cùm premet altus ebur, *lib. 4. de Ponto Eleg. 5.* Horatius: Hic fasces dabit, eripietque curule Cui volet importunus ebur, *Epist. 1.* Sceptrum vel scipionem eburnium, in cujus apice erat aquila, tenebant manu, quando in curia jus dicebant. Juvenalis: *Da nunc & volucrem sceptro quæ surgit eburno*, Sat. 10. Prudentius: *Aquila ex eburna sumit arrogantiam Gestator ejus*, libro de Coronis pag. 203. Inde est, quòd Domitianus in equo considens, manu sceptrum, tanquam Consulatus insigne gestans, imprimatur numismatis apud Antonium Augustinum *Tab. 31. num. 3.* Similiter Antoninus Cæsar sceptrum & rami laurum tenet in statua subtecto quodam columnis superimposito, *Tab. 42 num. 14. Tab. 47. num. 6.* & confer Thomam Reinesium *in Epistolis Philologicis num. 21. 22. 3.* Petrum Fabrum *Commentario de Origine Juris pag. 748. 749. seqq.*

V Dictator magistratus summus & cum potestate absoluta, à quo non licebat provocare ad populum, insignia omnia quæ Regum anteà fuerant, usurpabat, & lictorum turbâ comitatus viginti quatuor fasces atque secures ostentabat. Eos pingit in nummis Abraham Gorlæus *Tab. 17. num. 6.* De pace belloque agebat præsentioris imperii viribus, exercitum scribebat, educebat, abdicabat, omnia pro arbitrio decidebat. Nam quod Bodinus *lib. 1. de Republ. cap. 8.*

*cap.*8. contendit, *potestatem Dictatoris obnoxiam fuisse populi & Tribunorum jussis*, sequioris ævi consuetudo quidem erat, prima verò institutio nihil tale concedebat Tribunis, itaque in refellendo Bodino frustrà occupatur Arnisæus *lib.*2.*Relect.Politic. cap.*2.*sect.*15.*num.*19.*seqq.* Negari enim haut potest, quòd Tribuni plebis cornua sumpserint adversus Dictatorem, ut dicemus *infrà lib.*2.*cap.*1.*dist.*5. Tantam potestatem semestrem esse voluerunt, ne longiore ejus usu libertas acciperet aliquid detrimenti, atque potestas fortè in tyrannidem abiret, Polybius *lib*5. Dionysius Halycarnassæus *lib.*5. Livius *lib.*2.*histor.* & confer Onufrium Panvinium *Commentariis ad lib.*1.*Fastor.pag.*70.71.72. Bartholomæum Marlianum *Commentariis ad Annales Consulum, Dictatorum & Censorum pag.*8. 9. 10. Cæsaris verò *Dictaturam perpetuam inter abusus dominationis* meritò refert Suetonius *lib.*1.*cap* 76.

VI. Tribuni plebis creati sunt, postquam Consules & Senatores annis sedecim ab ejectis Regibus urbi præfuerant, non sine damno plebis, uti credebatur, quàm censibus describendis pro usu expeditionum adversus hostes vexarent. Proinde factâ secessione in montem sacrum, ut concordia reduceretur, postulatis annuit Senatus, & concessit Tribunos plebis, quos venerarentur populus, custodes defensoresque juris ac libertatis, ut plebis commoda adversus Patricios & Optimates tuerentur. Senatusque Decreta vel approbarent suffragio vel intercederent, Livius *lib.*2.*histor.* Dionysius Halicarnassæus *lib.*7. & ex illis Onufrius Panvinius Commentariis ad lib. 1. Fastor. pag. 74. seqq. *Summam potestatem eos gessisse*, ait Salustius in Catilinaria. Et addit, *eos plebem exagitare solitos criminando Senatum.* Quod eis non difficile factu fuit, in ea opportunitate, & exempla Gracchorum, Cornelii, Rulli, Labieni, Curionis, Antonii testantur apud Ciceronem & Appianum locis multis. Lucanus: *Venali Curio lingua Vox quondam populi, libertatemq́; tueri Ausus & armatos plebi miscere potentes*, lib. 1. Pharsal. Tantis polluerunt viribus, ut cùm nollent Consules eorum postulatis, aut contrà ipsos vellent edicere, ad vincula & carceres deposcerentur, Livius *lib.* 2. & 4. *histor.* Dionysius Halycarnassæus *lib.*9. Florus *in Epitoma Livii lib.*48. & 55. Valerius Maximus *lib.*9.*cap.*5. Quod Consulibus accidit, idem quoque adversus Dictatores ac Censores ausi facere, mulctas & vincula comminabantur, nisi populo gratificari vellent, Livius *lib.*8. & 9.*histor.*

VII. Omnia ista arguunt, Democratiam fuisse apud Romanos. Porrò Salustius in Catilinaria cap. 6. *duos Imperatores* vocare non dubitat Consules, eam ob causam, quòd belli delectum cum potestate summa facerent, perinde uti Sufetes Hebræorum in sacris literis vocantur Reges, *Judic.*19. 1. *cap.* 21.25. qui hoc unum Regi simile habebant, ut in expeditionibus agerent pro arbitrio, in aliis omnibus parebant Senatui magno, uti dictum est *suprà cap. XIII. dist.* 1. Quod etiam Polybius *lib.*6. scribit, Regiam potestatem in Consulibus, Aristocratiam in Senatu, Democratiam in populi Comitiis fuisse, atque ita mixtam Rempublicam obtinuisse, approbat quidem Albericus Gentilis *lib.* 3. *de Jure belli cap.*22. sed rectius improbat Johannes Bodinus *lib.* 2. *de Republica cap.*1. Constat enim, quòd Imperium ob

uno geri solitum non possit imponi duobus Consulibus, multò minus Regiam potestatem arrogabunt sibi, qui nec legem jubere, nec fœdera sancire, nec verberibus civem cædere, nec tributum imperare injussu populi potuerint, imò qui à Tribunis plebis in vincula duci potuerint, qui ad plebem sedentem in concionibus stantes dixerint, quasi populo submitterent fasces, ex instituto Valerii Publicolæ, ut testatur Plutarchus *in vitis illustribus*. Denique quod Cicero *lib. 3. de Legibus* pronunciat, *Regis imperio duo sunto, nemini parento*, velut obiter dictum æstimari debet. Consules enim suberant populi judicio, & verò leges istas Ciceronis examussim non congruere ad Romanorum consuetudines, multis ostendunt Carolus Sigonius *libris de antiquo jure Italiæ*, Franciscus Pollettus *in historia fori Romani*.

VIII. Liber primus de rebus gestis Maccabæorum describit multa, quæ ad civitatis Romanæ statum cognoscendum pertinent, nec tamen sine errore. Percurremus singula, quamvis in eis sive corrigendis, sive conciliandis operam sedulam navaverint Serarius *Commentariis ad h.l.* Jacobus Salianus *in Annalibus sacris Tom. 6. pag. 166. seqq.* Verba sunt ista: 1. *Eos placido animo acquiescere iis omnibus, quæ proponebantur ipsis.*] Si postulata illa æqua essent. Describitur civitatis status, quomodo fuit ante bellum Numantinum. De quo tempore *Florus*: Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, sanctus atque magnificus, *lib. 2. cap. 19.* Posteà degeneravit valdè, crescentibus cum ipsa Imperii mole vitiis, uti docet Augustinus lib. 3. de Civitate Dei, cap. 21. *Et quicunque ad ipsos veniunt, constituere cum eis amicitiam.*] Servare cum eis amicitiam, qui sese ad ipsos applicuerunt. Dicebat *Florus*: Summa fœderum Romanis religio est, *lib. 2. cap. 6.* & similia Aulus Gellius lib. 20. cap. 1. adfert è Sexto Cœcilio 2. *Rebus strenuis quas gerebant apud Galatas.*] Notat *Vatablus*: Gallos intelligit, apud quos Cæsar spacio decem annorum maximas res fortiter gesserat, eosque in potestatem populi Romani redegerat. *Hæc ille.* Committitur ἀναχρονισμός, quandoquidem agitur de rebus gestis hactenus: Cæsaris bella multo post tempore contigerunt, annis centum & ultrà. Rectius accipitur de bello cum Galatis in Asia peracto, brevi post quando Antiochus Magnus profligatus erat, Livius lib. 38. histor. Florus lib. 2. cap. 11. 3. *Et quæcunque fecerant in Regno Hispaniæ.*] Florus lib. 2. histor. cap. 17. 4. *Reges qui invaserant eos ab extremis terris.*] Quicunque eos bello petiverant, Pyrrhus Macedo, Viridomarus Gallus, Annibal Pœnus, Syphax Numida, Florus lib. 1. cap. 18. lib. 2. cap. 4. & 6. 5. *Philippum quoque & Perseum Cetheorum Regem.*] Cetheorum, id est, Macedonum, uti diximus *suprà num.* 1. Bellorum seriem describunt Livius lib. 31. 32. 33. 34. 40. 41. Florus lib. 2. cap. 7. & 12. Justinus lib. 29. 30. 33. Eutropius lib. 4. 6. *Antiochum Magnum Regem Asiæ.*] Syriæ, multarumque præterea in Asia provinciarum. Referunt Livius lib. 34. Justinus lib. 31. Florus lib. 2. cap. 8. Appianus in Syriacis. 7 *Et quia ceperunt eum vivum.*] Constat Authorem virum bonum (Propheta enim haut fuit) deceptum famâ retulisse ea, quæ vero dissimilia sunt. Allaborat Serarius, ut quem Patres Canonicis adscripserant, eum ab errore liberet. Olim Apocryphus erat, teste Hiero-

Hieronymo *in Prologo galeato*, & nos demonstravimus libro de Scriptura sacra, *Exercitat.* 16.*dist.*1.*seqq.* Et verò, quod Serarius dicit, *Regem captivum factum & à Scipione dimissum*, unde probabit? Narrat Florus, quòd Rex non spectaverit prælium, lib.2.cap.8. Polybius addit, Regem victum, fide acceptâ venisse Lysimachiam, & pacis leges procuravisse, lib. 17. *Datis obsidibus.*] Viginti, ut refert Livius lib 38. *Et divisione instituta.*] Romanis dedit partes Europæ & Asiæ Cis-Taurinæ, ut habent verba Romanorum in rescripto illo, quod extat apud Appianum in Syriacis. 8. *Regiones verò has, Indiam, Lydiam, & alias ex optimis regionibus illius ab eo acceptas, Regi Eumeni tradiderant.*] Indiam neuter possedit unquam, neque Romanus, neque Syrus, itaque nec eripi Syro, nec Pergameno dari potuit. Mediam retinuit Antiochus. Unde ergò sunt relata ista? Serarius, Emanuel à Sa, Jacobus Tirinus, Menochius subsidio eunt, *ad veritatem historiæ sufficere, quòd Judas audita retulerit in literas, etsi res aliter sese habeat.* Parùm verò hoc est ad excusandum ψευδογράφημα.* Sanè Judas incola partium Syriæ melius ista noverat, melius, inquam, sciebat pacis leges cum Rege suo factas, ac ut de India & Media vellet cogitare manifestum errorem. Ergò Franciscus Junius & Hugo Grotius notis ad h. l. imputare malunt descriptorum negligentiæ, ac corrigunt, *regiones has, Joniam, Mysiam, Lydiam ab illo acceptas dederunt Eumeni Regi.* Ita docent Livius lib.38. Appianus in Syriacis. 9. *Et quia Græci consilium inierant invadendi & tollendi ipsos.*] Græcos intellige, Ætolos, Histros, omnemque latè Zephaloniam, Zazynthum, & quicquid Insularum in eo mari inter Ceraunios montes jugumque Malæum, unde Antiochus acceperat auxilia. 10. *Et miserunt adversus eos Ducem.*] Fulvium Nobiliorem, Livius lib.38. Florus lib.2.cap.9.10. Appianus in Syriacis, Justinus lib.32.33. 13. *Quibus verò vellent auxilio esse, ut regnarent, regnabant.*] Ut Masanissa Numidiæ, Eumenes Pergami, Prusias Bithyniæ Reges. 14. *Et in omnibus istis nemo portabat diadema.*] Post Reges ejectos, cùm imperium ad Consules deferebatur, libertatem usurpavit populus, suprà num.4.5.6. 15. *Senatum fecisse sibi, & quotidiè consilium sibi esse trecentorum viginti.*] Demptis viginti illis, qui per librarii errorem accreverunt, numerus trecentorum ad veritatem congruit, uti diximus lib. 2. Antiquitatum Romanarum cap.3.dist.1. 16. *Et committunt uni homini per singulos annos magistratum suum, qui imperium habeat totius terræ ipsorum.*] Ecquis verò unus ille, cui per singulos annos imperium commmittunt? Consularem potestatem intelligit, ait Vatablus *in notis*. At Consules semper erant duo, ut Solis radio in Romanorum Annalibus scriptum est. Quòd Salianus dicit, *fuisse quandoque Consules sine Collega*, hoc tamen erat rarissimum, & præter institutum primitus editum, uti Bartholomæus Marlianus *in Annalibus Consulum* testis est. Neque ad Dictatorem potest referri. Hoc enim munus gerebat quidem unus, sed nec magistratus ordinarius erat, nec annuus, uti dictum est *suprà cap.5.* Rursum Menochius: *Falsa quidem hæc sint, verùm ita Judas audiverat.* Melius omnia ista noverat Judas in tanta populi Romani celebritate, postquam Leges & Instituta bellica eorum pervaserant Orientem totum, verùm negligentia Scripto-

Scriptoris (hominis quidem non mali, sed qui Prophetico spiritu destitutus errare potuit) famam rei maculavit falsâ relatione. 22. *Exemplum illius Epistolæ quam rescripsit Senatus in tabulis æreis.*] Fœdera describebant in tabulis æreis, & deponebant ad posteritatis memoriam in Capitolio, ut exemplis docent Plinius *lib.* 34. *cap.* 9. Polybius *lib.* 3. Cicero *in Catilinaria*, Livius *lib.* 43. *histor.*

IX. Democratiam primi corruperunt Triumviri, Marcus Crassus, Cnejus Pompejus, Julius Cæsar, ut Oligarchia quædam tunc esset, sed Crasso inter Parthorum arma dolis mista sublato Pompejo in Ægypti Regis gratiam occiso, superavit Julius, & perpetuam Dictaturam obtinuit, itaque Senatus authoritatem apud populum meritò commendavit, potestatem obtrivit, Suetonius *lib* 1. *cap.* 76. Metator Imperii vocatur ab Orosio *lib.* 7. *cap.* 2. quandoquidem viam munivit posteris, quâ ad Imperatoriam Majestatem virtute suâ eniti possent. Nec tamen honore illo diu uti frui licuit, periitque cæsus ab iis, quos beneficiis summis exornaverat; post obitum suum hoc etiam promeritus, ut *Cæsaris* nomine vocaretur quicunque Princeps in Romano populo erat. De nominis origine variant sententiæ. Plinius *lib.* 7. *histor. natur. cap.* 9. & post eum Julius Solinus *in Polyhistore cap.* 4. scribunt: Rursum necatis matribus ortus est auspicatior, sicut Scipio Africanus prior, qui defunctâ parente, cùm excisus utero in diem venerat, primus Romanorum Cæsar dictus est. Aliter *Servius*: Cæsar dictus est vel quòd cæso matris utero natus est, vel quòd avus ejus in Africa occiderat elefantum, qui Cæsar dicitur Pœnorum linguâ, *Commentar. ad lib.* 1. *Æneid. cap.* 149. Hanc ultimam sententiam defendit Franciscus Robortellus *libro de Franominibus Romanis*, & vult firmare inde, quòd exstat nummus uno latere habens imaginem elefanti atque nomen *Cæsaris* adscriptum. Sed hoc argumentum non est validum, potestque imaginis ejus alia causa adferri, quàm ut voluerit Cæsar familiæ suæ originem asserere. Carolus Sigonius *libello de nominibus Romanis*, *pag.* 379. 380. *& lib.* 1. *Emendationum cap.* 53. *lib.* 2. *cap.* 34. inscitiam Robortelli meritò redarguit, ac porrò ostendit, instrumenta in altera numini facie non esse mactatoris alicujus pro interimendo elephanto, verùm pontificalia & religionis, puta albogalerum vel tutulum, secespitam, aspersorium, & vas sacrificiale. De quibus omnibus prolixò docet, ac tandem concludit, esse ea instrumenta Pontificalia, quæ Julio Cæsari consecrato, inque divos relato, tributa sint ab Augusto cujus tempore nummus fuerit cusus, & proinde elephantem in altera facie procusum, esse consecrationis symbolum, præsertim cùm etiam apud Suetonium *in Claudio* legatur, Claudium aviæ Liviæ divinos honores & Circensi pompa currum elephantorum, Augusti exemplo decernendum curavisse. Accedit, quòd elephanto subjiciatur anguis, qui heroibus sacer, ut Plutarchus *in Cleomenis vita* author est. *Hactille.* Nos de omnibus dicemus aliquid. Plinius & Solinus duos errores committunt, namque Cæsarum prænomen apud Romanos vetustius multò erat, quàm ut Scipioni Africano priori debeat originem, probaturque exemplis apud Johannem Glandorpium *in Onomastico Romano pag.* 419. 420. Itaque ante bellum Sarmaticum

Clau-

Claudius quidam Cæsar exstitit, & à cæso utero non tàm Cæsar vocabitur, quàm Cæso. Festus dicat: *Cæsones appellati, ex utero matris exsecti.* Elephantis cædes unde probabitur? Et verò quis præter Servium dixit, Cæsaris vocabulo Pœnos designare Elephantum? Falsum hoc esse, uti alia omnia ejus interpretamenta Punica, docet Bochardus *in Geographia sacra part. 2. lib. 2. cap.* 10. Nummus ille exstat apud Antonium Augustinum *Tab. 4. num.* 19. 20. Johannem Tristanum *Tom. 1. Commentariorum de Imperio Romano, pag.* 30. habetque authorem Cæsarem ipsum. Elephas calcat Draconem, ob victoriam de Rege Juba obtentam, quia nempè regio illa serpentibus & elephantis abundat. Manilius lib. 4. *Horrendos angues, habitataq; membra venenis, Et vastos Elephantes habet.* Adde Lucanum *lib. 7. vers.* 700. *seq.* Solinum *in Polyhistore cap.* 40. Nummus apud Gorlæum *Tab.* 24. *num.* 4. qui pro Mario cusus est, cernitur, & ab uno latere habet Elephantis imaginem, cum verbis adscriptis, *à Boccho*, nimirum, ut servaretur memoria victoriæ à Boccho Africæ Rege partæ. Sacrificialia vasa prostant in nummis Cæsarum omnium ferè, quando notum est, Cæsares insimul Pontifices fuisse, uti diximus *suprà cap. V. dist.* 4. & vide Antonium Augustinum *Tab. 2. num.* 3. 4. 5. 7. *Tab. 3. num.* 8. 12. 13. 24. *Tab. 4. num.* 2. 3. 4. *Tab. 5. num.* 10. *Tab. 6. num.* 11. 12. *Tab. 7. num.* 10. 11. 12. Johannem Tristanum *Commentariis de Imperio Romano, Tom. 1. pag.* 29. Itaque Sigonius cogitando multa de Consecratione, aberravit à vero. Verè scribit Festus: *Cæsar, quod est cognomen Juliorum, à cæsarie dictus est, quia scilicet cum cæsarie natus est.* Nec dubium est, quin idem tradiderit Verrius Flaccus, quem Festus in compendium redegit. Ut non temerè debeat hæc sententia damnari, cùm non solùm ætate Augusti vixerit Verrius, sed ab eo etiam præfectus fuerit nepotibus, teste Suetonio *libro de illustribus Grammaticis, cap.* 17. Potuit igitur doctissimus Grammaticus facilè novisse, quid Cæsares de familiæ suæ nomine arbitrarentur. Latinum nomen est, non Punicum, & significat τὸν κεκομῶντα sive *comatum*. Casaubonus annotat: Falsum est, quod Græci ajunt, Cæsarem Dictatorem à cæso matris suæ utero nomen invenisse. Legere id memini apud Cedrenum, Suidam, Authorem etymologici magni, & alibi. Decepti sunt, quòd putarent, primum hunc in ea gente Cæsaris cognomen habuisse, id verò falsissimum esse sciunt & qui nondum ære lavantur. Verùm id genus Scriptores peccare ignorantiâ rerum Romanarum, non miror. Illam Hesychii doctissimi Græcorum Criticorum notam sæpè miratus sum, καισάρας, περὶ κεφάλαιας. An dicemus, vocem veteris Græciæ esse καισάρας? An fallitur ille in vocis Latinæ *cæsaries* interpretatione? Potest & Syriaca vox esse, ut aliæ multæ in eo authore. Namque in Targum Jonathanis כסריא exstat notione asini pro *scuto* vel *clypeo*. Et fortassè inde est, quòd Punicâ linguâ elephas *cæsar* dicebatur, quasi tutamen & præsidium legionum. Pœnorum idioma è Syriaco tractum, vel Plauti pœnulus fidem abundè faceret, si aliunde id notum non esset. Hæc ille *animadversionibus in Suetonium pag.* 7.

X. Julio per conjuratos sublato, novæ turbæ succreverunt, Octavio, Antonio, Lepido novis Triumviris enixè hoc agentibus, ne Senatus authoritas in integrum re-

P stitue-

stitueretur, Suetonius *lib.2.cap.27.* Florus *lib.4.cap.4.* Dion Cassius *lib.45.seqq.* Demum Lepido ob socordiam exauthorato, Antonio ob stultam ambitionem victo in pugna Actiaca, superstes Augustus, unicus volente Senatu, jubente populo, rerum dominus cepit esse, ad quem summo consensu delatus est Principatus, ut sacra perinde & civilia jura administraret, Imperator, Consul, Censor, Tribunus, Ædilis perpetuus, Pontifex Maximus, de quibus omnibus prolixè agit Julius Cæsar Bulengerus *lib. 1. de Imperatore cap.6.seqq.* Id vocabant Legem Regiam. De qua est testimonium *Ulpiani:* Quod Principi placuit, legis habet vigorem, utpotè cum Lege Regia, quæ de Imperio ejus lata est, populus ei & in eum omne suum Imperium & potestatem conferat. *leg.1 ff. de constitutionibus Principum.* Hanc legem, velut Ulpiani commentum, quo ille Alexandri Severi gratiam redimere voluerit, traducit *Franciscus Connanus:* Si legem, *ait*, definimus, totius populi pactum & conventionem quandam esse, in iis autem. quæ vi & coactu fiunt, nullus est consensus, lex illa Regia Lex non est, neque istâ lege populus tàm concessit potentiam suam Principi quàm ea se spoliari per vim magno suo dolore passus est. Qui post Augustum secuti sunt Principes, plus aut minus potestatis sibi vendicaverunt, pro sua bonitate aut æquitate quisque, nemo tamen non tantum, quantum voluit. Id enim eorum voluntatis fuit, non populi, *lib.1. Commentariorum Juris Civilis cap. 16.* Respondeo: Omninò ad legem talem sanciendam concurrit totius populi voluntas, quando res populi Romani eò pervenerat, ut citra viri unius, cui rerum omnium arbitrium permitterent, imperium perfectum amplius esse non possent. Itaque malebant Principatum cum securitate, quàm securitatem cum periculo, eratque consensus ille undique rectus, quia compensabatur incomparabili bono, quod erat tranquillitas publica. Ob id nullus dolor oboriri poterat, quia calamitatibus immensis finiendis unum hoc remedium aptum erat, venerari unum, qui αὐτοκράτωρ esset, teste Dione Cassio *lib.53. histor.* Proindè *Tacitus:* Ubi militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia Senatus, magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante, cùm ferocissimi per acies, aut proscriptione cecidissent, cæteri nobilium, quantò quis servitio promptior, opibus & honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti, tuta & præsentia, quàm vetera & periculosa mallent, *lib.1. Annalium.* Ad quæ verba luculenter commentatur Cyriacus Lentulus, *libro de convertenda Republica pag.95.seqq.* Loquitur de Octavio, qui obtinuit Principatum, & posteri ejus eodem jure usurpaverunt, adeoque cùm fortè posset Lex Regia ob temporum furores & bellorum civilium clades obliterari, voluit eam Senatus populusque Romanus novâ promulgatione restaurare, Vespasiani tempore. Neque deinceps Senatus ad pristinam potestatem aspirare unquam voluit, authoritate contentus, quam Julius & Augustus eis conservaverant. Atque hæc *species libertatis* erat, dicente Suetonio, *lib.3. cap 29.* Species, inquam, erat, namque totum illud ex mera Principis voluntate & arbitrio proveniebat.

XI. Hæc sunt tempora illa, de quibus prædicit Johannes Theologus in Apocalypsi,

psi, cap. XIII. 1. *Bestiam primam.*] Principatum in populo Romano è familiis Romanis constitutum. *Capita septem.*] Ob Romam septicollem. *Cornua decem.*] Totidem Principes ab Augusto, & verò Domitianus tunc vivebat, ut non posset connumerari illis. *Diademata.*] Cum potestate. Est enim Diadema insigne Regium, uti constat. *Nomen blasphemiæ.*] Ob delubra, in quibus colebantur Idola vetera & nova, illa ab aliis accepta, hæc verò facta è Cæsaribus defunctis, suprà cap. VIII. 2. *Similis pardo.*] Invadebat plurima sub Augusto, Tiberio, Claudio, vincebat multa, non rarò sæviebat, ut Nero. *Draco.*] Qui præsidebat urbi, quique Mars esse dicebatur ab ipsis Romanis, cæterùm volentibus nomen & sacra ejus celare, ne posset evocari, ut diximus suprà cap. III dist. 9. 3. *Unum ex capitibus.*] Monti Tarpejo impositum Capitolium redigebatur in cineres, Vitellianis & Flavianis Romæ inter se pugnantibus. Crediderunt populi, finem rebus Imperii propè esse, everso Capitolio, quia fatum urbis templo illo omnium augustissimo contineri credebatur, uti docent Livius lib. 5. historiarum, Tacitus lib. 5. historiarum, & nos diximus lib. 1. Antiquitatum Romanarum cap. 8. dist. 6. *Curata est.*] Vespasianus obtentâ pugnâ adversus æmulum Vitellium, restauravit urbem, Capitolium, Imperium, Tacitus lib. 4. historiarum, & nummus à Vespasiano percussus apud Petrum Seguinum libro de numismatis pag. 135. *Secuta est bestiam.*] Restituto Capitolio, ad concordiam redacto Imperio, pacatâ Judæâ, multi iterum confidere Diis Romanis ceperunt, tàm inopinato eventu velut attoniti. 4. *Draconem.*] Verè enim Diabolo serviunt, quicunque colunt Idola. 4. *Bestiam*, Ritus & sacra Romana reverenter habuerunt. *Poterit pugnare.*] Frustrà sunt Judæi & Christiani, qui impugnant tantarum virium Numina. 5. *Os loquens magna.*] Domitianus à cujus edicto fugere coactus Johannes latuit in Pathmo Ægei maris Insula. *Menses.*] Annis Imperii tribus cum dimidio sæviit in Christianos, hactenus quidem crudelis, sed in alios; tunc etiam adversus Christianos, sed brevi desiturus, Paulus Orosius lib. 7. cap. 10. Sulpicius Severus lib. 2. historiæ sacræ cap. 45. Juvenalis Sat. 4. 6. *Nomen ejus.*] Sibi nomen Dei attribuendo. Martialis:

Edictum Domini Deiq; nostri.

lib. 5. Egigrammatum. 8. *Tabernaculum ejus.*] Ecclesiam militantem. *Eos, qui in cœlo sunt.*] Famam piè defunctorum lædendo, quasi novam Religionem introducere voluissent, ut pacem civilem unà turbarent. 7. *Vincere.*] Morti vel exsilio tradere. 8. *Quorum non sunt scripta nomina.*] Quos magis juvabat idola colere, ut placerent Imperatoribus. 9. *Habet aurem.*] Animum advertendi diligenter ad magnas & futuras res. 10. *In captivitatem agit.*] Romanos, qui nunc innocentes multos in captivitatem rapiunt, simili modo beabunt olim Gotti, Vandali, Suevi, uti diximus lib. 8. historiæ universalis cap. 1. dist. 1. 2. seqq. 11. *Aliam bestiam è terra.*] Principatum in eodem populo, sed allectis viris obscu-

obſcurioribus, ad faſtigium illud, vel extraniis, id eſt, terræ filiis. *Cornua duo ſimilia agni.*] Nervam & Trajanum, cæterùm virtutibus celebres, animique placidi erga Judæos & Chriſtianos, ille ſemper, hic per multos annos. *Loquebatur ut draco.*] Romani Imperii authoritatem defendebant armis. 12. *Poteſtatem prioris beſtiæ.*] Sacra Imperii ejus vetera cuſtodiebant. *Beſtiam primam.*] Ne detrimentum aliquod acciperet Principatus, ſedulò providebant. 13. *Editq; ſigna magna.*] Favebant Magis impoſtoribus, quorum princeps ævo iſto erat Apollonius Thyanæus, tanti æſtimatus à Paganis, ut eum Servatori opponerent, quod ex Hieroclis libro apparet, cui reſpondit Euſebius Cæſarienſis. Eſt ille cujus vitam & miracula deſcripſit Philoſtratus. 14. *Ut faciant imaginem beſtiæ.*] Credant imperium & ſacra ejus vetera eſſe perpetuò duratura; quæ verò moliuntur Chriſtiani, eſſe vana. *Gladio.*] Bello civili, ſuprà verſ. 3. 15. *Animaret imaginem.*] Bellis adverſus hoſtes feliciter geſtis novum decus, novam vitam ingeneraverunt Imperio. *Non adoraverint.*] Anacletus Romæ, Simon Hieroſolymis, Ignatius Antiochiæ, Oneſimus Epheſi Martyres pro doctrina Servatoris, Euſebius lib. 3. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 32. 33. 34. 35. Baronius notis ad Martyrologium Romanum pag. 63. 87. 310. 487. ſeq. 16. *Characterem.*] Stigmata in Deorum honorem, uti Zachar. 13. 6. & vide nos lib. 1. Antiquitatum Romanarum cap. 11. diſt. 15. Imprimebant talia Sacratis, id eſt, ſacrorum patriorum retinentiſſimis per Collegia ſua, à quibus removebantur Profani, id eſt, peregrinorum Deorum præcones, uti erant Chriſtiani. 17. *Ne quis poſſit emere.*] Qui nulli Collegio Diis ſacrato erat adſcriptus, ille de nova Religione inſimulabatur, & vel morte vel exſilio puniebatur. *Niſi qui habent characterem.*] Generi addit ſpecies ſuas. Erat enim hujuſmodi nota ſacratorum vel exſerta, ut Dei nomen oſtentaret, vel ſecreta, ut per numeros indicaretur. Nominum talium myſticorum, id eſt, nonniſi myſtis cognitorum, mentio eſt locis plurimis apud Servium in Commentariis ad Virgilium. 18. *Computet numerum beſtiæ.*] Ex notis illis myſticis percontetur, quod Imperium ſit per beſtiam deſignatum. *Numerus enim hominis eſt.*] Deſignat tale quid, ut in hominibus reperiri poſſit. *Sexcenta ſexaginta ſex.*] Λατεῖνος. Imperium Latinorum, quod deinde multo tempore ſacris melioribus obſiſtet, nec tamen pervincet. Hoc nos docet Irenæus lib. 5. ſed per analogiam ad Pontificem Romanæ Eccleſiæ accommodat. De quo negotio dicemus alibi.

XII. Extat Tabulæ antiquæ fragmentum, quod referunt Georgius Fabricius *lib. 1. Antiquitatum Romanarum*, Jacobus Gutherius *lib. 1. de officiis domus Auguſtæ cap. 1.* Stephanus Pighius *lib. 18. Annalium urbis*, Antonius Auguſtinus *libro de Legibus Romanorum pag. 178 ſeqq.* Janus Gruterus *in Volumine Inſcriptionum pag. 242.* Juſtus Eccardus *libro de Lege Regia pag. 5. ſeqq.* Eſtque tale: Fœduſve cum quibus volet, facere liceat, ita uti licuit Divo Aug. Ti. Julio Cæſari Aug. Tiberioque Claudio Cæſari Aug. Germanico. Utique ei Senatum habere, relationem facere, remittere Senatus conſulta, per relationem, diſceſſionemque facere liceat, ita uti licuit Divo Aug. Ti. Julio Cæſari Aug. Ti. Claudio Cæſari Aug. Germanico. Utique cùm ex voluntate au-

thori-

thoritateve, jussu mandatuve ejus, præsenteve eo Senatus habebitur, omnium rerum jus perinde habeatur, servetur, ac si è Lege Senatus edictus esset, haberéturque. Utique quos magistratum, potestatem, imperium, curationemve cujus rei petentes, Senatui populoque Romano commendaverit, quibusque suffragationem suam dederit, promiserit, eorum Comitiis quibusque extra ordinem ratio habeatur. Utique ei fines pomerii proferre, cùm ex Republica censebit esse, liceat, ita uti licuit Ti. Claudio Cæsari Aug. Germanico. Utique quæcunq; ex usu Reipub. majestate, divinarum, humanarum, publicarum, privatarumque rerum esse censebit, ei agere jus potestasque sit, ita uti Divo Aug. Tiberioque Julio Cæsari Aug. Tiberioque Claudio Cæsari Aug. Germanico fuit. Utique quibus Legibus plebeiscitis scriptum fuit, ne Divus Augustus Tiberiusve Julius Cæsar Aug. Tiberiusque Claudius Cæsar Aug. Germanicus tenerentur iis Legibus plebisve scitis, Imp. Cæsar Vespasianus solutus sit, quæque ex quaque Lege, rogatione Divum Aug. Tiberiumve Julium Cæsarem Aug. Tiberiumve Claudium Cæsarem Aug. Germanicum facere oportuit, ea omnia Imp. Cæsari Vespasiano Aug. facere liceat. Utique quæcunque ante hanc legem rogatam acta, gesta, decreta, imperata ab Imp. Cæsare Vespasiano Aug. jussu mandatuve ejus à quoque sunt ea perinde justa rectave sint, ac si populi plebisve jussu acta essent. SANCTIO. Si quis hujusce legis ergò adversus leges, rogationes, plebis ve scita, senatusve consulta fecit, fecerit, sive quod eum ex lege, rogationeve, plebisvescito s. ve c. facere oportebit, non fecerit hujus legis ergò, id ei ne fraudi esto, neve quid ob eam rem populo dare debeto, neve cui de ea re actio, neve judicatio esto, neve quis de ea re apud se agi sinito. Hactenus monumentum, quod Legis Regiæ plurima capita nobis conservavit.

XIII. Parum obest, quòd Tobias Paurmeisterus *lib. 1. de Jurisdictione pag. 79. 80.* Martinus Schogkius *libro de Majestate disp. 43.* Tabulam istam suspectæ fidei esse arbitrantur. Rationes proferunt: (1.) Quòd Comitiis populi authoritas sua conservetur per eam; quæ tamen post Augusti obitum sublata fuerunt. (2.) Quòd Augustus, Tiberius, Claudius solùm nominentur. Atqui Caligulæ, Neroni & Principibus aliis idem licuit ante Vespasianum. (3.) Quòd ineptum videatur toties commemorare de Tiberio & Claudio, quando sufficiebant Augusti. & semel quidem, meminisse. (4.) Quòd de pomœrio proferendo unus Claudius nominetur. Atqui docet Tacitus *lib. 12. Annalium*, quòd Augustus etiam pomœria urbis promovit. (5.) Quòd Julii Cæsaris mentio fiat, de quo tamen constat, eum lege nullâ, nec populi voluntate regnavisse, sed per vim corripuisse Imperium. Hæc illi. *Respondeo:* (1.) Constat potius, quòd post obitum Augusti duraverint Comitia annis benè multis. Namque Tiberius cumque secuti Cæsares hujusmodi Comitia permiserunt, uti referunt Tacitus *lib. 2. Annalium, & lib. 1. historiarum*, Dion Cassius *lib. 58. & 59.* Plinius *in Panegyrico ad Trajanum*, Aulus Gellius *lib. 5. cap. 19.* (2.) Caligulæ & Neronis mentio nulla est, quòd memoria eorum damnata esset ob res perversè & crudeliter gestas. Galba, Otho, Vitellius, ob brevitatem imperii & civiles discordias, in Fastos Romanorum haut sunt relati. Eò pertinent

ista *Curtii*: Proindè jure meritoque populus Romanus salutem se Principi suo debere profitetur, cui noctis quam penè supremam habuimus, novum sidus illuxit. Hujus, herclè, non Solis ortus lucem caliganti reddidit mundo, cùm sine suo capite discordia membra trepidarent, *lib.* 10. *histor. cap.* 12. Quæ de Galba, Othone, Vitellio dici vult Janus Rutgersius *lib.* 1. *Variarum Lectionum cap.* 19. Sub illis enim, dum eorum quisque contendit militum ope subnixus de obtinendo Principatu, Respublica sine certo capite fuit. Itaque Suetonius motus illos non quidem *bella*, velut sub legitimo Principe, sed *rebellionem* vocat, *lib.* 10. *cap.* 19. (3.) Repetuntur toties ad commemorandam rei dignitatem, & illi ipsi exprimuntur, quòd felicissimæ apud omnes recordationis essent. (4.) Quod Octavius è potestatis plenitudine fecit, idem Claudius jure eodem fecit, atque eò magis facere poterat, postquam è decreto Senatus ei hoc ipsum facere licebat. (5.) De Julio Cæsare nihil occurrit uspiam, fallitur que Paurmeisterus, qui legere debebat, *Tiberius Julius Cæsar*. Est ille Augusti successor, dictus Julius propter adoptionem, quomodo mater ejus, Augusti Cæsaris uxor, vero nomine Livia, deinde in familiam Julii per adoptionem assumpta, vocabatur Julia, uti refert Suetonius lib. 2. cap. 101. *Drusus Livius Juliæ Augustæ* pater est apud Vellejum Paterculum *lib.* 2. *histor. cap.* 71. & plura allegant Jacobus Schegkius *notatis ibidem pag.* 396. Antonius Thysius *notis ibidem pag.* 218. Nummi quoque sunt cum inscriptione, *Julia Augusta*, & Lunæ sive Dianæ imagine, in quam per ἀποθέωσιν translata fuerat, Joh. Tristanus *Commentar. de Imper. Rom. Tom.* 1. *pag.* 123. 126. 128. Petr. Seguinus *libro de numismatis antiquis pag.* 53. & vide nos *infrà lib.* 2. *cap.* 9. *dist.* 6. nec non Johan. Schildum *notatis ad Suetonium pag.* 274.

XIV. Pravâ lectione seductus Bartholomæus Volcmarus *libro de Jure Principum, cap.* 3. *num.* 5. 6. differit, legem istam conditam esse sub Julio Cæsare. Falsum, inquam, hoc est, quia expressè & primo loco semper nominatur Augustus. Dicit Volcmarus: (1.) *Non minus fit mentio Julii Cæsaris quàm Augusti*. Respondeo: De Julio Cæsare frustrà quæritur, ubi legi debet, *Tiberius Julius Cæsar*. Si Julius ille erat, quare post Octavium nominatur? Ergò Octavii successor erat, antecessor non erat, uti paulò antè dictum est. (2.) *Dion* lib. 43. *refert, populum dedisse Julio potestatem summam & prorsus Regiam*. Respondeo: Turbulenta hęc erant, neque agebantur consilio vel plenæ voluntatis assensu, non omnium consensu, quia Proceres animotenus dissentiebant. (3.) *Refert idem, quòd Imperatoris cognomen habuerit Julius, idq́, citra potestatem Imperatoriam esse non poterat*. Respondeo: Imperator erat quoque Pompejus, erant Cicero, Curio Julius Blæsus, Antonius, alii, qui potentes Reges victoriâ fregerant, ex usu populi Romani, apud Julium Cæsarem *lib.* 2. *de bello civili*, Vellejum *lib.* 2. *histor.* Appianum *lib.* 5. *hist. civ.* quibus plura alia addit Julius Cæsar Bulengerus *lib.* 1. *de Imperatore cap.* 6. adeoque nomen illud esse poterat, nec tamen opus fuit, Regiam potestatem unà adesse. (4.) *Refert idem, quòd populus Julio posuerit statuam auream, uti Regibus fieri sueverat quondam*. Respondeo: Dixi antè, fuisse ista ab applaudente vulgo, ita verò ut Proceres, melior pars civitatis, non laudarent, quia

excessus

excessus erat in omnibus, & major credebatur esse Julius, quàm civitati liberæ expediret. (5.) *Refert idem, quòd Antonius & Sacerdotes reliqui Julium vocaverint Regem, eiq; diadema imposuerint.* Respondeo: Ludicrum hoc erat, & proterviæ alicujus factum in Lupercalibus, uti refert Cicero *Phil.* 2. De Octavio omnia secus erant, ei enim ultrò concesserunt omnes, quæ Julio inviderant plurimi, ut esset perpetuus Consul, Censor, Tribunus, itaque unus ille Senatus populique rogatu erat instar omnium, & jura libertatis dispersa hactenus in plures, collegit in uno illo, & cum Majestatis titulo eminenti agere ceperunt deinceps.

XV. Ad Christianam fidem animum primus applicuisse dicitur Philippus Imperator, Baronius *Tom.2. Annal. Eccl. pag.* 551. Spondanus *in Epitoma Annalium pag.* 207. 208. Suggessit hoc eis Eusebius *lib.6 histor. cap.*25. ubi rei testimonium profert Origenis *epistolas ad Philippum*, & ab eo descripserunt Vincentius Lerinensis *in Commonitorio cap.*23. Paulus Orosius *lib.7. cap.*20. Cedrenus *in Annalibus lib.*7. Nicephorus *lib.*5. *histor. cap.*27. Hieronymus *in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap.*54. Zonaras *Tom.*2. *Annalium.* Verùm epistolæ Origenis nomine insignitæ omninò fictæ erant, & meliori fide idem Eusebius Constantinum M. vocat primum Imperatorem Christianum, *lib.*4. *de vita Constantini, cap.*64. Nec non Sulpitius Severus: Constantinus primus omnium Romanorum Principum Christianus fuit, *lib.*2. *historiæ sacræ cap.*47. Eundem compellat Lactantius: Primus tu Romanorum Principum repudiatis erroribus, majestatem Dei singularis ac veri & cognovisti & honorasti, *lib.*1. *Institutionum divinarum cap.*1. Quomodo Constantinus primus errores repudiavit, si jam ante eum Philippus ad veritatem Christianam animum suum applicuit? Qui relationis originem, qui tempora hæc Paganis impensè propitia, qui mores Philippi rectè considerant, non credent eum fuisse Christianum, ut rectè monet Josephus Scaliger *Animadversionibus ad Eusebii Chronicon num.* 226. Casaubonus *notatis ad historiam Augustam pag.* 446. Quòd Philippus non fuerit Christianus, patet, tùm quòd celebravit ludos seculares, testibus Capitolino & Aurelio Victore, tùm quòd mortuus in Divorum numerum à Senatu relatus est, Eutropius *lib.*9. *histor.* Si Christianus erat, unde illud pro Deorum & dæmonum cultu publicum testimonium? Fiebant ludi seculares in honorem Plutonis Proserpinæ, Dianæ Apollinis, per delubra omnia Diis omnibus victimæ festæ offerebantur, Diis manibus cædebantur duo boves furvi & juvenca una, Horatius *lib.*1. *Carm.*21. *lib.*4. *Carm.*6. *lib.*5. *Carmine ultimo.* Torrentius *Commentar. ad h.l.* Angelus Politianus *libro miscellaneorum cap.*58. Eos paulatim abolitos restituit Augustus Cæsar, Suetonius *lib.*2. *cap.*31. Principes secuti retinuerunt, & Domitiani quidem nummos, ubi pingitur ille sacra secularia faciens, videris apud Sebast. Erissum *Expositione ad nummos Cæsarum pag.* 150. 152. Ant. Augustinum *Tab.*32. *num.* 3.8. Cumprimis de Septimii Severi ludis secularibus testatur Herodianus *lib.* 3. estque nummus apud Erissum *l.d. pag.* 388. Anton. August. *T.*35. *num.*9.13. Denique Philippi Cæsaris nummi sunt apud Erissum *l.d. pag.* 528. 532. 542. Anton Augustinum *Tab.* 58. *num.* 1.2.3 4.5.6.7 8.9.10.15.18.23.24.

Omn.

Onufrium Panvinium *lib.* 1. *de ludis Circensibus pag.* 33. Constantinus ludos illos omisit, sprevit, vetuitque maximo argumento, quòd Religionem Christianam unicè promotam cuperet, magno cum dolore Paganorum, qui ludos eos dicebant ad pestem morbosque sanandos, & avertenda bella fuisse à majoribus institutos, ut prodit Zosimus *lib.* 2. *histor.* & adde nostrum Recensum Antiquitatum Romanarum *lib.* 2. *cap.* 6. *dist.* 18. Proinde Jacobus Gordonus *Tom.* 2. *Chronologiæ pag.* 82. non leviter dubitat, nec Baronii exceptionibus satis fidit, quas ille pro asserenda Philippi Cæsaris ad fidem conversione profert.

XVI. De toto hoc negocio est Apocal. XVI. 1. *In terram.*] In Romanum Imperium, quod hactenus perstat in cultu idolorum, atque insuper vexat præcones doctrinæ melioris. 2. *Ulcus malum.*] Pestilentes morbi sępè invaserunt urbem sub Commodo, Gallo, Volusiano, Decio, Flavio Claudio, quod referunt Zosimus & Trebellius Pollio. 3. *Cruor cadaveris.*] Factæ sunt strages domesticæ per militum rebelliones & Cæsarum sævitiam, Commodi, Severi, Gordiani, Valeriani temporibus. 4. *In flumina.*] Factæ sunt strages per urbes & provincias extra Romam, cùm milites in diversa euntes non unum Cæsarem designaverunt. 5. *Justus es Domine.*] Tàm justè nunc agis cum Romani Imperii subditis, ac olim agebas cum Ægyptiis, Assyriis, Babiloniis, Antiocho nobili. 6. *Dedisti ad bibendum.*] Sævisti ut bellis intestinis confligerent, inque se ipsos ad sanguinis effusionem desævirent, qui hactenus piorum sanguinem effundere amabant. 7. *Alium è sanctuario.*] Angelum, qui custodiebat spiritus martyrum sub ara compositos, Apoc. 6. 9. 8. *Æstu affligere.*] Unde sunt agrorum sterilitates & fames. 9. *Blasphemaverunt nomen Dei.*] Quòd lues, quòd fames sævirent, imputabatur Christianis unius Dei cultoribus, ajunt Cyprianus ad Demetrianum epistolâ, Paulus Orosius lib. 7. histor. cap. 4. 10. *Super thronum.*] Principatum in gente, qui erat robur Imperii. *Tenebrosum.*] Exteræ gentes invaserunt provincias optimas, & non sine clade Imperii depulsæ fuerunt, Marcomanni & Quadi sub Antonino Philosopho, Parthi sub Alexandro Sëvero, Germani sub Maximino, Gotti sub Decio, Sarmatæ sub Probo. *Linguas.*] Vindictæ studio. 11. *Nec resipuerunt.*] Imò & nova sacra in honorem dæmonum, & ad augendam Servatoris contumeliam addiderunt, Criobolia, Taurobolia, de quibus egimus lib 4. Antiquitatum Romanarum pag. 697. seq. 12. *Euphratem.*] Uti Roma ei Babilon est, ita fluvius Euphrates pro Tiberi ponitur. *Via Regum ab Oriente.*] Notat Constantinum Magnum, qui ad pontem Milvium Flumentanæ portę conflixit adversus Maxentium paganum, & victor prælio, Imperium totum sacris melioribus erudivit. Per Orientem indicatur Jesus Nazarenus, uti aliàs, Malachiæ 4. 2. Luc. 1. 78. Apoc. 7. 2. (De quo loco vide nostra Auctaria ad historiam Ecclesiasticam diatriba 3. dist. 12.) 13. *Draconis, & bestiæ, & Pseudoprophetæ.*] Dæmonis tutelaris, Imperii sacris idololatricis consecrati, Augurum, quibus magna fides habebatur, erantque isti Vatum loco in populo Romano, uti dictum est lib. 1. Antiquitatum Romanarum cap. 12. dist. 9. 10. Et quamvis in illis vana omnia essent, ita ipsa disciplina inani crudelitate aucta Imperium habentibus

bus

bus multum ad extorquenda promptius obsequia proderat. *Impuros spiritus.*] Oracula falsa, quibus deciperentur cœlestium inanes animæ, in peccatis suis ob ingentem malitiam relictæ, justo Dei judicio, qui ad demonstrandam novæ religionis veritatem æterno silentio damnaverat Responsa dæmonum, propagandæ idololatriæ instrumentum præcipuum, uti est infrà lib. 2. cap. 3. dist. 4. 5. 14. *Edentes signa.*] Fisticulabat prisco more anxius rerum futurarum Maxentius, Zosimus lib. 2. histor. & cùm vera se putabat habere prædicta, decipiebatur. *Reges.*] Maxentium ejusque Proceres. *Prælium magni illius diei.*] Quod movebat Constantinus animo intrepido, felici successu. 15. *Venio uti fur.*] De improviso adero, ut idolorum cultores splendore suo despoliem. *Servat vestimenta sua.*] Fidem tenet per opera bona efficacem, Galat. 5. 6. Apoc. 19. 18. 16. *Armageddon.*] Per analogiam applicatur id, quod est Judic. 5. 9. ubi strages à Baraco in Cananæos ad aquas Mageddo edita, refertur. Notat Janiculum montem & proximè sita loca urbis Romæ, ubi castra castris opposuerunt Constantinus & Maxentius, Zosimus l. d. 17. *In aërem.*] In omnes partes Romanæ ditionis. *Fuit.*] Roma sacrorum falsorum custos esse desiit, imposterum veros cultus addiscet. 18. *Terræ motus factus est.*] Evenit ingens rerum omnium mutatio: Paruit Roma Servatori, quem antè persequebatur. 19. *Dirupta est urbs.*] Ivit in partes, redactis ad pagos iis, qui volebant sacra vetera retinere. *Civitates.*] Dirutis ubique idolis. *Babylon.*] Ostendit Deus eventu illo, quòd sit ultor criminum. 20. *Insula fugit.*] Persistit in allegoria terræ motus: Illa rerum mutatio & Romæ & per omnes regiones proximas, remotas pervasit, ut non amplius diceretur, Chhristianus ad leones, sed potius diceretur, Christianus ad honores. 21. *Grando magna.*] Ingens obdurationis judicium in reliquias idololatrarum. *Blasphemaverunt Deum.*] Tanta erat obduratio ista, ut reliquiæ Paganismi magis magisque insectarentur Christianos, quasi religio ipsorum præteriti & recentis ævi malorum causa esset. Hic fuit ultimus fragor decrepitæ idololatriæ, quem penitus dissipavit Augustinus libris eruditissimis de Civitate Dei.

XVII. Constantinus Magnus is est, qui primus Christianam Religionem exambivit & publicis exercitiis commendavit. Tunc impletum est, quod Apostolis rogantibus dixerat Servator: Non est vestrum scire tempora & oportunitates, quas Pater in sua ipsius authoritate statuit, *Actor.* 1. 7. Tempus illud erat ferè post hæc verba annis trecentis. Tunc enim Jesus Nazarenus Davidis surculus in terris regnare cepit per Constantinum Imperatorem, ejusque successores, nec non alios Reges, qui Regna sua Christo, uti Regi Regum subjecerunt. Christiani populus Dei atque ideò verus Israël, *Galat.* 6. 16. Christus eorum caput Israëlita etiam secundùm carnem, *Rom.* 1. 3. *cap.* 9. 5. Cæterùm viderat Constantinus Imperator, antequam cum Maxentio pugnaret, in somnis columnam lucidam crucis specie per aëra fulgentem, & verba penes illam: *In hoc signo vince*, Eusebius *lib.* 1. *de vita Constantini cap.* 22. 23. 24. Philostorgius *lib.* 1. *histor. ecclesiast. cap.* 6. & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib.* 5. *cap.* 4. *dist.* 8. Inde est *Inscriptio ad arcum triumphalem* Romæ in Colossæo: Imp.

Cæſ. Flavio Conſtantino Maximo p. f. Auguſto S. P. Q. R. quod inſtinctu divinitatis mentis magnitudine, cum exercitu ſuo tàm de Tyranno, quàm de omni ejus factione, uno tempore juſtis Rempublicam ultus eſt armis, arcum triumphis inſignem dicavit, Gruterus *in Volumine Inſcriptionum pag.* 280. *num.* 6. Jacobus Laurus *part.* 2. *Antiquitatum Romanarum fol.* 29. Johannes Jacobus Boiſſardus *part.* 3. *Antiquitatum Romanarum fol.* 109. Verba inſignita ſunt, *inſtinctu divinitatis*, id eſt, authore Deo, à quo in ſomniis de pugnæ eventu felice confirmatus erat. Porrò galeæ & labro detraxit inſignia, atque horum loco reſtituit portionem aliquam (Χρ.) de nomine Servatoris, uti nummis oſtendunt Antonius Auguſtinus *Tab.* 65. *num.* 24. *Tab.* 66. *num.* 14. 15. *Tab.* 67. *num.* 23. Johannes Triſtanus *Commentariis de Imperio Romano Tom.* 3. *pag.* 543. Verè Princeps, Rex, Cæſar, Monarcha. Ejus pater Conſtantius Chlorus fuit, Helena mater. Et matrem fuiſſe Cœli Britanniæ Regis filiam, Scriptores Britanni fidenter aſſerunt, Wilhelmus Malmesburienſis, Johannes Saliſburienſis, alii, quos laudant & ſequuntur Wilhelmus Camdenus *in Deſcriptione Britanniæ pag.* 570. *ſeq.* Jacobus Uſſerus *in Antiquitatibus Britannicis pag.* 174. *ſeqq.* Stephanus Forcatulus *lib.* 7. *de Imperio Gallorum pag.* 449. *ſeqq.* Johannes Bodinus *in Methodo hiſtoricâ cap.* 7. Negant hoc & prolixè refellunt Juſtus Lipſius *lib.* 4. *de magnitudine Romanâ cap.* 11. *& notis ibidem pag.* 220. *ſeqq.* Carolus Molinæus *libro de Origine & Præſtantia Regni Franciei num.* 49 50. Johannes Iſaacus Pontanus *lib.* 1. *Diſcuſſionum hiſtoricarum pag.* 239. Teſtimonia ab antiquis petita adferunt duo. Unum eſt Nicephori Callixti lib. 7. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 18. *Pater ejus Conſtantius, cùm ad Perſas legatus iret, Drepanum Bithyniæ venit, divertit, Helenam hoſpitis ſui filiam cognovit, Conſtantinum hunc genuit.* Adducunt eundem locum Cæſar Baronius *Tom.* 3. *Annal. Eccleſiaſt. pag.* 6. Jacobus Gordonus *Tom.* 2. *Chronologiæ pag.* 96. Spondanus *in Epitome Annalium pag.* 251. ſed quia perſuaſum ſibi habent, Cæſaris matrem Britannam eſſe, in verbis Nicephori mendum ponunt, ut *Bithynia* ſcriptum ſit pro *Britannia.* Verùm ubi Drepanum eſt in Britannia? Ut tamen Baronius tueatur ſententiam, promit verba Panegyriſtæ Gallicani: *Liberavit pater tuus Britannias ſervitute, tu etiam nobiles illic oriundo feciſti*, in Panegyri 5. cap. 4. Atqui non ſatis conſideravit Annalium conditor, quòd *oriri* in verbis illis ſit, *Imperatorem fieri.* Eumenius Panegyrico ad Conſtantinum: *O fortunata & nunc omnibus beatior terris Britannia, quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidiſti.* Et nota ſis mihi additamentum, *Cæſarem.* Scilicet alter natalis, & quaſi quædam recreatiò eſt, Cæſarem fieri. Ergò Principatus originem apud Britannos accepit, (quod Eutropius quoque atteſtatur *lib.* 10. *hiſtor.*) non verò etiam vitæ primordia. De quo exſtat alterum teſtimonium Julii Firmici: *Dominus & Auguſtus noſter, orbis totius Imperator Conſtantinus Magnus apud Naiſſum genitus Romanum orbem ſalubri gubernationis moderamine ſuſtinuit*, lib. 2. Matheſeos cap. 4. Sic enim manuſcripti libri habent, teſte Friderico Valleſio *notis ad Marcellinum pag.* 196. ubi in editis eſt, *apud Tharſum genitus.* Cave interpreteris de Tharſo celebri apud Cilicas urbe, namque in Bithynia

thynia ejusdem nominis oppidum percontantur Lipsius *l. d.* & Johannes Livinejus *notis ad Panegyricos pag.* 331. 332. monstrantque ex Stephano *de urbibus*, non procul à Nicomedia situm. Meliores codices Stephani περὶ πόλεων legunt expressè ναΐσσ@, estque illud Daciæ mediterraneæ oppidum, & Julius Firmicus, qui de Constantino ista perscripsit, vixit ævo illo, ut certam de loco nativitatis magni Imperatoris hujus cognitionem habere posset, Cedrenus in genere contentus dixisse, quòd Constantinus natus sit περὶ τὴν τῆς δακίας πόλιν, loci nomen silentio committit. *Corrupta & falsa esse* hæc in Cedreno pronunciat Lipsius *l. d. pag.* 212. ipse corrupto Firmici loco nimium confisus. Beda lib. 1. historiæ cap. 8. scribit quidem, *Constantinum in Britannia fuisse creatum Imperatorem*, civem ejus gentis fuisse non meminit, quia verum esse non credidit.

XVIII. Hic est ille, qui Constantinopolin urbem condidit, Orientalis Imperii sedem, de qua prolixè agit Julius Cæsar Bulengerus *lib. 1. de Imperatore cap.* 3. Papæ & Papistæ veteres comminiscebantur donationem aliquam Constantini, quâ ille Romano Episcopo Sylvestro & successoribus ejus donaverat liberaliter Palacium Romanum Lateranense, agros Latiales & vectigalia magnifica per omnes Romani orbis provincias. Recitant atque urgent Augustinus Steuchius, Vincentius Speculator, Gratianus in Decretis, Julius Cæsar Bulengerus *lib. 1 de Imperatore Romano cap.* 4. Sed commentum repudiant serioque refellunt Marsilius Patavinus, Æneas Sylvius, Antoninus Florentinus, Laurentius Valla, & cum illis Antonius de Rosellis *libro de Potestate Imperatoris & Papæ part.* 1. *cap.* 64. 65. *seqq. seqq.* Henricus Spondanus *in Epitoma Annalium pag.* 283. 284. Tholosanus *lib. 6. de Republica cap.* 14. *num.* 36. *seqq.* Obiit demum postquam res magnas pari cum fortitudine animi feliciter gesserat. De consecratione ejus nummus est apud Johannem Tristanum *Commentariis de Imperio Romano, Tom.* 3. *pag.* 418. 553. scilicet, ut velato capite, tanquam defunctus, cætera nudus, quadrigis rapiatur ad cœlos, ex adverso manus è cœlis protenditur, ut eum suscipiat. Refert Eutropius *lib.* 10. *histor.* quòd eum *inter Divos annumeraverit* Senatus populusque Romanus, itaque solemnia vetera adhibita sunt, ut saltem, uti aliis benè meritis consueverant facere, huic etiam in terris immortalitatem conferrent, quando ita meruerat. Hoc interest, quòd Ethnici Imperatores aquilis in cœlum vehi crederentur, Constantinus quadrigâ, ita ut nonnisi brachio cœlitus porrecto, quod divinam gratiam significare videtur, ingressum in cœlos dari posse indicarent, uti docent G. Johan. Vossius *lib.* 3. *de Theologia Gentilium cap.* 11. Et verò usque ad tempora Honorii, plebs plurima ac Senatores perstabant in sacris veteribus. Neque in Senatu erant tantùm Pagani, sed & Consulatus adipiscebantur, uti Symmachus ille, cujus exstat *Oratio pro sacris priscis ad Theodosium Cæsarem*, quam refellit Ambrosius Episcopus.

XIX. Occidentis Imperium invaserunt Germanicæ nationes, & inter illas præcipui Gotti, Vandali, Suevi, Heruli, Longobardi, suæque gentis Reges per Italiam præfecerunt, uti diximus in Recensu historiæ universalis

lib. 8. *cap.* 1. 2. 3. De hoc tempore sonant illa Apocal. XVII. 1. *Meretricis.*] Quibus modis Deus judicia sua exercebit in Romam, non solùm idololatricam, sed quoque piis infensam. Πόρνη, ut describatur salacis mulieris specie, exemplo ejus, quòd vetus Babilon ita describitur, Esa. 47. 1. Et notatur proclivis amor erga cultum idolorum, ut Esa. 1. 21. Mich. 1. 7. Nah. 3. 4. *Super aquas.*] Imperat populis magnis multisque. Romam vocant Reginam mundi, Athenæus, Ammianus Marcellinus, Rutilius Numatianus, denique Erinna versibus prolatis apud Justum Lipsium lib. 1. de magnitudine Romana cap. 2. βασιλεύουσα ῥώμη est apud authores plurimos, de quibus vide notas ad Martialem lib. 1. Epigram. 4. Desiderii Heralsdi. 2. *Cum qua scortati.*] Ejus exemplum secuti profanos cultus pertinaciter observaverunt, Romam ipsam Deorum numero adscripserunt, dissentientes puniverunt. 3. *Bestiæ coccineæ.*] Eo colore tingi solebant Imperatorum paludamenta, Plinius lib. 22 cap. 2 & nos lib. 4. Antiquitatum Romanarum cap. 5. dist. 6. 7. *Plenæ nominibus blasphemiæ.*] Pleni Diis, qui ita dicebantur in veri Dei contumeliam. *Capita septem.*] Quæ duplicem habebant significationem, unam, ut notarent septem Imperatores, alteram, ut notarent montes totidem, in quibus constructa est Roma. Signat septenis culmina grata jugis, de Roma ajunt Tibullus lib. 2. Eleg. 5. Rutilius Numatianus lib. 1. Itinerarii, Claudianus lib. 3. de laudibus Stiliconis. *Cornua decem.*] Decem Reges peregrini, qui hoc tempore nondum erant in fide & clientela Imperii Romani, infrà vers. 12. 4. *Purpurá & cocco.*] Coccinium indumentum erat apud Romanos in bello, purpureum in pace, illud quidem in toga tota Imperatorum, hoc verò in lato clavo Senatorum, uti diximus lib. 4. Antiquitatum Romanarum cap. 5. dist. 4. 5. 6. 7. 9. *Auro & lapidibus.*] Opes simul & luxum significat. *Abominationibus.*] Profanis cultibus in dæmonum honorem. 5. *In fronte.*] Ad modum characteris, de quo est suprà dist. XI. *Mysterium.*] Ut aliud pronunciet, aliud verò notet. *Babilon magna.*] Roma orbis domina. 6. *Ebriam sanguine.*] Avidam cruoris, quem cum prolubio effundebat. 7. *Mysterium.*] Quid sub hac figura lateat, Roma inquam, priorum cruore madida. 8. *Bestia quam vidisti, fuit & non est*] Fuit olim magnæ authoritatis & penes Augusti familiam, præ aliis splendidam: Hodiè non est in illa familia regnatrice, sed militum consilio provehitur ad Imperium, quicunque horum favorem præmiis exambire volet. *Ex abysso.*] Tantisper à promiscuis regetur. *In exitium.* Donec in Paganorum manibus erit, quibus exclusis, ad alios transibit. *Mirabuntur incolæ.*] In tantis rerum motibus & legionum contrariis studiis perstare tamen Imperium. 9. *Septem montes.*] Imperii sedes Roma tot montibus inædificata est. 10. *Reges septem.*] Galba, Otto, Vitellius, Vespasianus, Titus, Domitianus, Nerva. Hi ordine exceperunt Neronem, qui primus orientem fidem cruentavit, dicente Tertulliano, id est, mortis supplicia irroganda piis, Romam fecit crudulem meretricem, qualem nunc describit Johannes. Reliqui non equidem erant Christiani, nec tamen his infensi erant. Quod enim Claudius adversum eos promulgaverat, exsilium fuerat, ut temporis non ita magni, adeoque vix debebat allegari. *Quinque ceciderunt.*]

Galbæ,

Galbæ, Ottonis, Vitellii, Vespasiani, Titi acta præterita sunt. *Unus est.*] Domitianus nunc præest rebus, portio Neronis de crudelitate, ait Tertullianus in Apologetico cap. 5. *Alius.*] Nerva Coccejus primus ab advenis Imperator. *Exiguum.*] Brevi tempore præerit. 11. *Bestia autem.*] Bestiæ os, συνεγδοχὴ, uti clarè patet ex cap. 13. 2. 5. tantùm quòd ibi Domitianum notet, hoc loco Trajanum virtutibus magnum, novæ religionis inimicum. *Octavum est.*] In ordine Principum, qui post Neronem Imperatoriæ crudelitatis authorem præ fuerunt. *E septem illis est.*] Nervæ adoptione ad culmen Imperiale provectus est. *In exitium abit.*] Finiet post bella multa in populis remotis gesta: Neque ei superstes fuit Johannes, neque successorum ejus nulla mentio deinceps injecta est. 12. *Decem Reges sunt.*] Reges in decem populis novis sive barbaris, qui hactenus extra Imperii fines consistunt. *Tanquam Reges ad unam horam accipient.*] Connivente Imperio, aut quod prohibere non possit, irrumpent, atque in solo Romano jus aliquod acquirent, neque tamen diu in societate persistent, rediturì ad ferociam pristinam, tunc cùm licebit. 13. *Vires & authoritatem suam.*] Socii velut populi Romani esse volent, eorundemque sacrorum participes, ut ita magis coalescat jus novæ amicitiæ. Sunt Ostrogotti, Visigotti, Vandali, Gepidæ, Longobardi, Heruli, Burgundiones, Avares, Franci, Saxones. Omnes illi aut stipendiarii Romanorum aut commilitones fuerunt aliquando in conservandis Imperii limitibus adversus hostes, deinde rerum suarum providi, hostibus à se depulsis, loco successerunt, atque intra Imperii Romani fines amplissima Regna condiderunt, quæ etiamnum sunt ab illo separata, Hispaniam, Barbariam, Dalmatiam, Italiam, Siciliam, Galliam, Ungariam, Britanniam. *Pugnabunt cum agno.*] Sævient in pios, quousque pietatis doctrinam percipiant ipsi & sedulò retineant. *Rex Regum.*] Deus jam olim promiserat, fore ut Christo plurimi Reges obedirent, Daniel. 2. 44. seq. cap. 7. 14. 15. *Populi sunt.*] Multarum linguarum homines sub Imperio Romano fuisse, notissimum est. 16. *Odio prosequentur.*] Commoda propria petendo recedent à societate Imperii Romani, imò bellis invadent socios pristinos. *Carnes ejus.*] Provincias subigent armis, & uti proprias administrabunt. *Igni exurent.*] Ita fecerunt Alaricus, Gensericus, Totilas, Gottorum & Vandalorum Reges. 17. *Deus enim dedit.*] Deus illis Regibus usus erat tùm ad augendum, tùm ad labefactandum Imperium Romanum, prout ei videbatur, penes quem sunt rerum arbitria suprema.

XX. Neque dixerit quisquam, populos illos non habuisse jus ad occupandas Imperii provincias. Nam si quod jus est victoris in hostes & bona eorum, utique & Germanicis hisce populis non defuit jus sibi vindicandi armis, quod Romanis infensissimis suis & perpetuis hostibus per victoriam eripuerant. Certè non aliâ juris specie Romani potentiam suam in Italia & extra eam acquisiverunt, uti Annales docent. Donec illis vel pulsis vel oppressis, Carolus Magnus Rex Galliæ, suo Imperio adjungeret Italiam, exceptis partibus illis, quæ Cæsari Græcorum parebant, Calabriâ & Apuliâ. Pari armorum felicitate acquisivit Germaniam, uti disserit Hermannus Conringius *libro de Germanorum Imperio Romano cap.*

34. *seqq.* Eum origine, nativitate, sermonis usu fuisse Germanum, Ingelheimi non procul Moguntiaco natum, contendunt Arumæus *Volum.* 1. *Juris publici, Disputat.* 3. Wilhelmus Beckerus *lib.* 1. *Synopseos Juris publici pag.* 20. 21. Bartholomæus Volcmarus *libro de Jure Principum cap.* 12. *num.* 8. 9. Christophorus Sturcius *libro de Imperio Germanorum cap.* 1. *num.* 10. *seqq.* Benedictus Carpzovius *Commentario ad Legem Regiam Germanorum pag.* 483. *seq.* Michaël Beutherus *in Animadversionibus historicis pag.* 242 243. Johannes Theodorus Sprengerus *lib.* 1. *Jurisprudentiæ Romanæ pag.* 13. Johannes Limnæus *Tom.* 1. *Juris publici lib.* 1. *cap.* 4. Nicolaus Myllerus *Additionibus ad Rumelini Commentarios in Auream Bullam pag.* 17. Johannes Theodorus Dieterici *notis ad Auream Bullam pag.* 5. & nuper D. Jacobus Andreas Crusius *lib.* 3. *de præcedentia Regum & Principum cap.* 2. *num.* 96. *seqq.* ubi ordine profert verba & testimonia Sigeberti Gemblacensis, Rheginonis Prumiensis, Naucleri Tubingensis, Æneæ Sylvii, Jacobi Wimphelingii, qui omnes dicunt, Carolum Magnum esse nativitate Germanum, & Germanis imperavisse. Neque hoc negamus, quando majorum ejus habetur ratio, qui olim Franci erant: Aut quando ad locum natalem ejus respicimus, qui sunt agri ad Unstrutum, pars hodie Abbatiæ Fuldensis, ut docent è vetusto instrumento donationis factæ, Christ. Brovverus *in Antiquitatibus Fuldensibus lib.* 3. *cap.* 12. Thomas Reinesius *lib.* 2. *Variarum Lectionum cap.* 16. Cæterùm Galliæ Rex erat, Galliæ Regem Pipinum habebat patrem, avum habebat Carolum Martellum, Brabantiæ Ducem, Galliæ clientem, adeò que Galliæ populis acquisivit dignitatem Imperialem, quando Rex horum opibus armisque è Gallia prolatis vicinos per Italiam, Germaniam, Pannoniam, Bohemiam, Sclaviam, Cimbricam populos fortiter domuit, cumque Regno suo, quod patrimoniale acceperat, victoriæ jure univit, uti rectè contendunt Johannes Bodinus *in Methodo historica cap.* 7. Tholosanus *lib.* 7. *de Republica cap.* 15. *dist.* 18. Johannes Ciriecus *lib.* 2. *de Jure Primogenitorum quæst.* 12. *num.* 17. *seqq.* Auberius *libro de Præcedentia Regis Galliæ pag.* 177. *seqq.* Erycus Puteanus *notis ad historiam Insubricam lib.* 3. *pag.* 181. Frustrà verò Dresserus *Oratione de Monarchia quarta* differit, Carolum Magnum dignitatem Imperialem in Germanos contulisse, quandoquidem Franci Galliarum incolæ olim in Germania habitaverant, antequam Varamundus Rex eos ultra Rhenum duceret. Erant sanè Franci Germaniæ populi hactenus, sed postquam mutaverunt patriam, inque Gallia consederunt, animo nunquam revertendi, non jam Germaniæ pars erant, sed Galliæ dominium usurpabant, ubi novum Regnum instituerunt, quomodo Gotti fecerant in Hispania, Normanni in Anglia, Unni in Hungaria, quanquam illi à Germanis, isti à Scandiæ gentibus, hi verò à Scythis Caucaseæ indigenis provenerant. Eò magis hoc urget, quod Franci sub Clodoveo Rege admodum nocuerunt Germaniæ, ut cæsis Allemannis, longè potentissimo tunc Germaniæ populo, provinciam suam iidem fecerint, quicquid Allemannici hactenus fuerat juris, omnemque adeò Sueviam, Helvetiam, Bavariam, & Cis Rhenanos agros, quos olim migratione suâ deseruerant. Sub Dagoberto

goberto Rege devicerunt Thuringos & Westphalos: Sub Theodorico Rege profligaverunt Frisios, Regnoque eorum dissoluto, omnem Germaniam Maritimam à Rheni ostiis usque ad Visurgim adjecerunt ditioni suæ, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 13. *cap.* 1. *dist.* 2. §. 6. & illis adde Petrum Bartholdi *in Floro Francico lib.* 1. *cap.* 17. & 36. Falsus enim est Hugo Grotius *libro de Antiquitatibus Bataviæ cap.* 4. ubi negat Bataviæ regionem & Zelandiæ Insulas unquam fuisse in ditione Francorum. Condonari debet viro summo, quòd juvenis nimio in patriæ libertatem studio correptus, in hoc & paucis aliis errare voluerit. Sanè Hollandia & Zelandia eo tempore fuerunt pars Regni Frisiorum, quod universum devicto Rathbodo, in jus Francorum concessit, Rathbodus in Cimbriam aufugit, teste *Aimonio, lib.* 3. *Historiæ Gallicæ.* Demùm Carolus Magnus Saxones domuit, atque ingentem terrarum tractum per Germaniam, adusque mare Balthicum, in quo etiam Venedi, Cimbri, Slavi, Obotriti comprehendebantur, occupavit, itaque habebat Germaniam pro accessorio, quatenus illam armis subegerat, neque Germani, à quibus per multa secula disseparati erant Franci, sunt hæredes Caroli Magni, ejusque nomine Imperium sibi arrogare possunt.

XXI. Monarcha sanè erat, frivolum verò est, quod urgent Bellarminus *lib.* 2. *de translatione Imperii cap.* 1. *seqq.* Baronius *Tom.* 9. *Annalium A. C.* 800. *num.* 6. *seq.* Petrus Baptista Burgus *lib.* 1. *de bello Suedico cap.* 1. Restaurus Castaldus *libro de Imperatore quæst.* 36. Spondanus *in Epitome Annal. pag.* 77. Franciscus Bozius *lib.* 1. *de temporali Ecclesiæ jurisdictione cap.* 1. *seqq.* Vernulejus *lib.* 1. *Institut. Politic. tit.* 7. *cap.* 8. Pontificis Romani benificio & gratiâ factum esse, ut Imperium daretur Carolo Regi. Argumentamur: (1.) Quod aliquis non habet, illud non potest alteri dare. Atqui Imperium Romanum Pontifex non habebat. Ergò non poterat alteri dare. (2.) Quod victoriæ jure Carolus acquisivit, illud non potest gratiæ Pontificis imputari. Atqui Imperium Romanum victoriæ jure acquisivit Carolus. Ergò illud non potest gratiæ Pontificis imputari. (3.) Quicunque superior est, ille non accipit aliquid, velut beneficium, ab illo, qui inferior est. Atqui Carolus superior erat. Ergò non accipiebat aliquid, velut beneficium, à Pontifice, qui erat inferior. Confirmatur: (1.) Papæ sacris peragendis unicè studebant, neque hactenus civilia negocia curabant, quando hoc faciebant Senatus populusque. (2.) Longobardi habebant dominium in res omnes, sacras perinde & civiles, tantùm quòd urbi Religionis causa permoti non imponerent præsidium. (3.) Pontifex rogabat Carolum, ut adesse vellet auxiliator oportunus adversus hostes, qui libertatem urbis oppugnabant, venienti portas aperiebat, seque suosque cives supplex in clientelam Regis tradebat, Imperatorem Dei gratiâ, populi jussu irrefragabili proclamabat. Imperator ab eo nihil accipiebat, sed ille potius à Cæsare semper benigno, semper liberali, impetrabat Latii, Ravennatum, Æmiliæ agros urbesque, unde proventus haberet Imperio fidelis, & Imperatoris subditus. Deinceps temporum Papa Romanus fuit civis Imperii, subditus Imperatoris, atque in eligendo illo Imperator solus potestatem exse-

exſerebat tanquam qui in fide Imperii eſſet, atque bona poſſideret, quæ ad Imperium pertinebant. Falſum eſt quod ſcribit *Beſoldus*: Pontificis Romani electionem olim perperàm, & magno cum ſcandalo Imperatores ſibi adſcripſerunt, *lib.* 1. *Doctrinæ Politicæ cap.* 5. *diſt.* 14. Atqui ſi perperàm factum eſt, ut eligeretur Papa à Cæſare, perperàm quoque fuerit actum, concedere Papis Imperii benificia. Carolus M. Otto M. Henricus IV. Fridericus I. Ludovicus IV. Imperatores optimi jus illud uſurpaverunt velut ſuum, & Papas nequam depoſuerunt, ſuffectis aliis, qui melioris animi eſſent. Quòd verò Lotharius, Rodolfus, Carolus IV. in conſervandis Imperatorum juribus negligentiores fuerint, Papam à nexu non liberat. Memorabile eſt, quòd Ludovicus IV. Cæſar imprimis cum ævi ſui Papis magnas lites agitaverit, Papis quidem & Monachis contranitentibus, interim omnibus Germaniæ, Galliæ, Italiæ Proceribus rectè judicantibus, Cæſari Romano in omnia Pontificum bona, in ipſorum officium, in Decreta ipſorum omnia integrum & ſummum jus eſſe, eaque Cæſar ipſe Romæ promulgavit, Papæ nequam acta abolevit, igni imaginem ejus exuſſit, diras exploſit, Jovem fulgeratorem loco movit, Papam novum deſignavit, juramento fidelitatis obligavit, de bonis inveſtivit, quæ Carolus M. Otto M. alii, donaverant, Rodulphus Auſtriacus confirmaverat, ut ipſi utile dominium acciperent, dominium ſupremum Cæſari acceptum ferrent. Narrat Abrahamus Bzovius *in Annalium ſupplementis A.C.* 1327. *num.* 3. perſuaſum Cæſari & orbi toto fuiſſe: Quòd Clerici ſubeſſent poteſtatibus civilibus: Quòd Imperatoris proprium jus eſſet, Papam conſtituere & deſtituere: Quòd Papa bona ſua ab Imperatoribus acceperit: Quòd Papæ bona omnia Imperii legibus, uti Procerum aliorum bona, ſint obnoxia: Quòd Reges & Imperatores poteſtatem ſuam habeant à Deo: Quòd Johannes Papa hæreticus eſſet. Hæc omnia tunc Cæſar inculcabat Papæ, adverſario ſuo, utque poteſtatem ſuam in urbem ipſam oſtenderet, præfectum urbis conſtituit Caſtrucium, cæteris urbibus vicarios præfecit nomine ſuo, Gibellinorum opes exaltavit, Papæ diem indixit, & cùm non veniret, honores, omnia abrogavit ei velut facinoroſo. Nihil pro defendendo Papa adfert Bzovius, præter convitia & querelas, ſolennia inter Monachos carmina. Nec verò hos inviſos ſibi Principatus, etiam in Eccleſiæ ſolo deſignatos tollere potuit ullus Papa, donec Alexandri VI. artibus, Cæſaris Borgiæ ſceleribus, Venetorum fraudibus, Gallorum in Italiam excurſionibus potentiâ eorum deſtructâ, demum Julio II. loricato integrum fuit, omnem illam ditionem Eccleſiaſticam in unum corpus revocare, improbis conatibus, quos Machiavellus *libro de Principe cap.* 11. prudenter & accuratè ſatis deſcribit, Gibellinæ ſectæ & immeritò à multis reprehenſus. Prolixius iſta exponunt Marcus Zuerius Boxhornius *in hiſtoria univerſali pag.* 546. *ſeqq.* Franciſcus Junius & Arniſæus *libris de Translatione Imperii*, Melchior Goldaſtus *in Replica pro Imperio adverſus Gretſerum*, Wilhelmus Barret *lib.* 1. *de Jure Regis cap.* 2.

XXII. *Grotius* ſcribit: Poſtquam Græci contra mentem ac morem populi Romani fœminæ Irenes ſubiviſſent imperium, ut alias cauſas omittamus, meritò populus Roma-

Romanus illam concessionem sive expressam, sive tacitam (quâ permiserat, ut à Græcis Imperator eligeretur) revocavit, & per se Imperatorem legit, ac voce primi civis, id est, Episcopi, sui, (quomodo & in Judaica Republica Rege non existente prima erat summi Pontificis persona) pronunciavit. Fuit autem hæc electio personalis in Carolum Magnum & quosdam ejus successores, qui ipsi jus imperii quod habebant in Francos ut & Longobardos, à jure imperii in Romanos, ut nova ex causa quæsito, sollicitè distinxerunt. Posteà verò diviso Francorum populo in *Occidentalem* (qui Galliam nunc obtinet) & *Orientalem* (qui Germaniam sive Allemanniam tenet) cùm populus Francorum Orientalis eligendo sibi Reges facere cepisset, placuit populo Romano, quo certius præsidium haberet; Regem non proprium sibi sumere, sed eum quem Germani sibi fecissent, ita tamen ut jus sibi aliquod retineret probandæ vel improbandæ electionis, quantum scilicet ea res ad se pertinebat. Hæc quoque approbatio per Episcopum edici, & solenniter testata fieri peculiari coronatione solebat, quare ex electione septem Principum, qui Germaniæ corpus referunt, qui lectus est, jus habet imperandi Germanis secundùm eorum mores, ex approbatione verò populi Romani fit idem Rex aut Imperator Romanus, aut ut historici sæpè loquuntur, Rex Regni Italiæ, atque eo titulo sub se habet, quæcunque populi Romani fuerunt, neque pactionibus aut derelicti occupatione, aut victoriæ jure in aliorum populorum imperium concesserunt. Unde illud intelligi facilè potest, quo jure Episcopus Romanus vacante Imperio, investituras tribuat feudorum Imperii Romani, quia scilicet in populo Romano, tali tempore libero, primas obtinet. Solent autem quæ sunt corporis alicujus, per primam personam nomine corporis expediri. Neque verò malè *Cynus* & *Rainerius* tradiderunt, si Imperator Romanus morbo aut captivitate impediretur fungi Imperio, posse ei vicarium dari ab ipso populo Romano, *lib. 2. de Jure belli & pacis cap. 9. dist.* 11. Respondeo: (1.) Imperium Occidentis post Theodosii Cæsaris tempora destruxerunt Germanicæ nationes, omnibus partibus ejus victoriæ cursu edomitis, itaque Græcos prorsus excluserunt locis iis, quæ sibi vindicaverant, novumque Imperium condiderunt, quod novis legibus munitum, veteres dominos abrogavit, & pro uno Imperio hactenus per Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam, Germaniam magnarum virium compote obtrusit Regna varia, nullo obligationis jure secum connexa, legibus, populis, usu armorum separata. Heruli & Longobardi occupaverant imprimis Italiam, atque eis serviebat populus Romanus. (2.) Occasionem Legendi novum Imperatorem Romani ex sese invenerunt, cogitando, quòd olim Græcia sæpius divortium fecerat ab Occidente, & quòd ipsi nullo obsequii vinculo continerentur ab Imperatore Græciæ, qui eos ad Longobardorum obedientiam armis quæsitam, cùm impedire non posset, transire permiserat, itaque Carolo nomen Imperatoris tribuebant Proceres Italiæ, postquam illos à dominio peregrinorum liberaverat, & Longobardorum jura ad se transtulerat. (3.) Romanum Imperium accessit Carolo Magno per jus renovatum, quandoquidem ante secula pauca Romani habuerant Imperatorem, & Barbarorum

rorum invaſionibus factum erat, quòd nomen obſoleſceret, poteſtas diminueretur. Receptis viribus, Carolus unà voluit inſtaurare nomen, quod excogitavit populus, Carolo diſplicere non poterat, quia ei debebatur, & ab illo tranſivit ad poſteros. (4.) Poſteà verò diviſo Francorum populo, ceperunt Allemanni Imperialem dignitatem, & unà Italiæ Regnum ſibi arrogare. Certè Germanicum Imperium, quod Danubio, Rheno, Oceano, & mari Balthico includitur, florentiſſimis etiam Romanorum rebus, nunquam vel nonniſi levi ex parte, ac breviſſimi temporis ſpacio fuit Romani juris, & verò provinciæ illæ, quæ Romano Imperio olim ſubditæ erant, jam ante mille annos ab eo ſeparatæ & populorum novorum legibus ſubnoxiæ factæ fuerunt, ut Imperatores Germaniæ jus recuperandi amiſerint. Reipſa nihil verè Romanum eſt juris Germanici factum præter dominium urbis Romæ, & eas Italiæ regiones, quas Longobardiæ Reges Græciæ Imperatoribus ereptas, obtinuerunt. Ergò Germani acceptum è Franciæ Regum manibus Imperium acceperunt, & lege promulgatâ, quòd in Germania ſedes Cæſaris eſſe deberet. Italia ferè provinciæ togatæ inſtar eſſe cepit, uti veteres loquebantur, id eſt, jure Quiritium utitur, ſed Imperatoris jura Germani ſoli cuſtodiunt, quemque Imperatorem renunciaverunt Germani, eum Proceres Italiæ ultrò recipere tenentur. Res mero conſenſu efficitur, probare velint nolint, improbare non poſſunt. (5) Quòd Pontifex feuda conferre poſſit, omninò frivolum eſt. Nemo enim Cæſarum legitur jus hoc dediſſe Papæ, ut ſit Vicarius ejus per Italiam. Hoc quoque futile eſt, *Cæſari poſſe Vicarium dari à populo Romano.* Dominium penes Germanos eſt, Germanici Imperii provincia Italia eſt, adeoque non deliberat unà in Comitiis Imperialibus, multò minus Vicarium Imperatoris conſtituere poteſt.

XXIII. Galli hanc dignitatem per turbas inteſtinas ab Hugone Capeto excitatas, amiſſam, Germanis commendabant, qui Reges Conradum Franconum & Henricum Saxonem tantiſper habebant, patriæ ſuæ adverſus Hunnorum irruptiones, conſilio & re defenſores fortiſſimos. Quamobrem Italia abſtinere coacti, domi habebant quod agerent. Urbis tamen imperium nunquam penes Papam, ſed penes alios, & quidem Thuſciæ Marchiones, Imperii vaſallos, potiſſimùm fuit, teſte Luitprando *lib. 2. hiſtor. cap. 13.* Demùm Otto M. in Italiam profectus Imperatoris Romani titulum ſibi poſteriſque ſuis, Germaniæ Regibus, perpetuo jure acquiſivit, Luitprandus *lib. 6. hiſtor. cap. 6.* Multa in optimum Imperatorem dicit Andreas Brunnerus *lib. 8. Annal. pag. 505. ſeqq.* verùm falſa illa ſunt & in Papæ gratiam prolata, qui tunc erat Johannes XII. monſtrum nullâ virtute redemptum. Ab illo tempore Germaniæ Rex inſimul Romanus Imperator eſt, valetque quod Germaniæ Proceres dicunt apud Guntherum *in Ligurino*: Quemcunque ſibi Germania Regem Præficit, hunc dives ſubmiſſo vertice Roma Suſcipit, & verſo Tiberim regit ordine Rhenus, *lib. 1.* Neq; obſtat, quod Johannes Bodinus *in Methodo Hiſtorica cap. 7.* Martha Neapolitanus *libro de Juriſdictione part. 1. cap. 21. num. 22.* Carolus Molinæus *libro de Monarchia Francica num. 20. 21.* Daniel Chamierus *in Panſtratia Catholica Tom. 2. lib. 16. cap. 2.* Ulricus Hube-

Huberus *in Dissertationibus de Assyriorum & Medorum Regno pag.* 142. 143. disputant, Imperium Romanum nec superesse hodiè, nec penès Germanos esse. Rationes proferunt: (1.) Quòd amplissimæ per Europam, Asiam, Africam provinciç defecerunt, suisque legibus reguntur. (2.) Quòd urbem Romam non habent Cæsares in potestate sua. Hæc illi. *Respondeo:* Superest omninò, quia superest Italia sedes Imperii ejus præcipua, quamvis ab ea plures diverterint provinciæ: Itaque nondum prorsus interiit; ac penes Germanos est, quia non potest alius populus nominari, apud quem Aquila Imperialis supersit. Quòd provinciæ multæ defecerint, eo ipso non est Imperium sublatum. Namque sola Ægyptus defendit Imperii Macedonici titulum eo tempore, quo provinciæ reliquæ aut Parthis, aut Syris, aut Armenis in prædam cesserant. Quòd Roma sit amissa, falsum est, namque pertinet ad Imperium, & verò quòd suis legibus regi velit Curia Romana, pertinaciæ alicujus est, juris non est. Romani ergò Imperii dignitatem hodiè penes Germanos esse, rectè nobiscum concludunt Wilhelmus Barclajus *de Regno & Regis institutione lib.* 4. *cap.* 13. Albericus Gentilis *lib.* 1. *de Jure pacis & belli cap.* 23.

XXIV. Nec minus reliqui Italiæ Proceres sunt in fide Imperii Germanici, quanquam in ditionibus suis acceperint dominium utile, & præthereà aliquam dicendi juris potestatem, benificio Rodolphi, Wenceslai, Sigismundi, Friderici III. Maximiliani I. Caroli V. Imperatorum. Dominio in Italiam nec apertè nec tacitè renunciaverunt Imperatores nostri, eoque nequidem longi temporis præscriptione aliquâ integram libertatem sibi paravit Italia. Falsum est, quod Carolus Sigonius *lib.* 20. *de Regno Italiæ*, & Horatius Tursellinus *lib.* 9. *Epitome Historiarum pag.* 389. scribunt, Rodolfum Rufum, accepto pretio, Italiæ urbes Florentiam, Lucam, Genuam donavisse perfectâ libertate. Atqui donavit eas libertate illa, quâ nunc in Germania civitates multæ pollent, non exemit ab obsequio Imperii. Constat satis, quòd nulla urbium Regni Italici post obitum Rodolphi negaverit obsequium Cæsaribus, quin verò observantiâ debitâ prosequutæ eos, advenientes intromiserunt, claves obtulerunt, pecunias imperatas solverunt, judicio eorum paruerunt, nisi fortè in paucis locis aliter esset, ubi Guelfi res turbabant, quas tamen Imperiali banno percusserunt Imperatores, certo argumento, quòd eas dominio suo continerent. Hæc omnia indicant, si quid datum fuit libertatis à Rodolfo, id omne exigui fuisse momenti. Quod Rodolfus obedientiæ juramentum à Thusciæ populis exegerit per Legatum suum, referunt Antoninus Florentinus *in Summa Historica tit.* 20. *cap.* 4. *num.* 4. Gerhardus de Roo *lib.* 1. *Annalium Austriacorum pag.* 27. *seqq.* Et verò notari debet, quòd jura Majestatis Imperii Germanici venalia non sint, nec si essent, ab Imperatoribus sine Principum Germaniæ consensu alienari possent. Est inter civitates illas Florentia, quæ partes Gallicas secuta in bellis Italicis, & à Carolo V. Imperatore expugnata, libertatem Democraticam amisit, ob admissam culpam, & Principatum Mediceorum suscepit, non quidem ut hi

R 2 essent

essent sui juris, falsò enim Papa dicebat, *Mediceos suâ authoritate urbem regere, non Cæsaris beneficio*, itaque Cosmum Ducem Magnum volebat creare, additâ coronâ Regali, teste Thuano *lib. 46. histor.* Namque obrogavit decreto contrario Maximilianus II. Cæsar, & à Papa inaugurationem talem fieri vetuit, Cosmum ad dicendam causam velut Imperii beneficiarium evocavit, suaque authoritate illum renunciavit Magnum Ducem, quia sic volebat, non ut Papæ etiam gratia illa esset, Thuanus *lib. 60. histor.* Londorpius *lib. 8. supplement. histor.* Johannes Baptista Adriani *lib. 20. historiæ Italicæ.* Luca hodienum est civitas Imperialis, neque minus Genua, de qua tamen Menochius *lib. 1. consf. 2. num. 67. 68.* Fulvius Pacianus *consf. 19. num. 342. consf. 149. num. 76.* scribunt, plenam & vetustam habere libertatem. Idquod frivolum omninò est. Namque Henricum VII. uti Dominum excepit portis apertis, tributa eidem solvit, fidelitatem juravit, obsequium Imperio usque conservavit, inque nobilissima lite cum Marchione Finaliæ agitatâ, ob vim illatam Marchioni, pœnalibus mandatis adacta, paruit decreto Maximiliani II. Imperatoris, prout æquum erat fieri ab urbe legibus Imperii Germanici obnoxia, uti narrant Bodinus *lib. 1. de Republica cap. 9.* Thuanus *lib. 36. histor.*

XXV. Monarcha erat Otto, neque Monarchæ titulos, honores, potestatem diminuebat, quòd deinceps Principum suffragia designarent successorem, aut saltem Patri, qui filium suum virtutibus illustrem ad Imperium evehere studebat, non repugnarent. Namque Cæsares jura utriusque fori exercebant pleno jure in Pontifices, Episcopos, Principes, Civitates omnes per Italiam & Germaniam, nisi quantum non simplici vice factiones Paparum & rebellium Episcoporum impediebant. Et cùm hactenus omnes Principes ad suffragia ferenda coirent, deinde Electores pauci fuerunt, quorum vota cæteros ad assensum pertraxerunt. Quando ille numerus Electorum determinatus esse ceperit, quæritur. Serarius *lib. 1. Rerum Moguntinarum cap. 26.* Grevvoldus *libro de Septemviratu cap. 6.* Horatius Tursellinus *lib. 7. Epitom. histor. pag. 321. 322.* Bellarminus *lib. 3. de Translatione Imperii cap. 1. seq.* Melchior Goldastus *lib. 3. de Regno Bohemiæ cap. 6.* Petrus Heigius *lib. 1. Quæstionum Illustrium cap. 3.* Simon Schardius *libro de Electoribus cap. 1.* referunt ad tempora Ottonis III. Cæsaris, & Gregorii V. Pontificis, eoque sensu adferunt testimonia Blondi, Collenutii, Platinæ, Volaterrani, Trithemii, Naucleri, Egnatii, Bonfinii, Cusani, Æneæ Sylvii, Marsilii Patavini, Polydori Virgilii, Genebrardi. Atqui testes illi non satis certæ fidei sunt, quandoquidem remotissimi sunt ab ævo Cæsaris ejus, quo hæc gesta esse creduntur, & verò sequentium temporum Imperatores Henricus II. Conradus Saliquus, Henricus III. Henricus IV. Henricus V. Lotharius II. Otto IV. Fridericus I. ab omnibus Imperii Principibus electi fuerunt, ita ut peculiarem de Electoribus præcipuis mentionem haut faciant Authores, qui temporibus istis vivebant, Otto Frisingensis *lib. 6. cap. 27. 28. lib. 7. cap. 22.* Urspergensis *in Chronico A.C.* 1053. 1107. 1220. Dithmarus Merseburgensis *lib. 4. & 5. Chronici.* Proinde hanc opinionem refellunt Cardinalis Baronius *Tom. 10. Annal. A.C. 996. num. 60. seqq.* Spondanus *in Epi-*

tome

tome Annalium pag. 883. *seqq.* Onufrius Panvinius *libro de Comitiis Imperatoriis cap.* 6. 7. 8. 9. Hermannus Contingius *libro de Finibus Imperii Germanici pag.* 384. *seqq.* Johannes Freinshemius *libro de Praecedentia Electorum Principum diatr.* 3. *sect.* 22. *seqq.* Johannes Theodorus Sprengerus *lib.* 3. *Jurisprudentiae Romanae pag.* 242. *seqq.* & originem referunt ad Concilium Lugdunense, ubi Papa Innocentius IV. & Cæsar Orientis, nec non Regum Principumque Legati, Patriarchæ Orientis, Episcopi Occidentis aderant, de rebus maximè profuturis consilia formandi causa, A. C. 1245. In hujus rei testimonium allegant Matthæum Parisiensem industriâ & fide celebrem, qui ævo illi suppar Concilii acta descripsit, & de Electoribus retulit, constitutos fuisse Coloniensem, Moguntinum, Salisburgensem Archiepiscopos; Austriæ, Bavariæ, Saxoniæ, Brabantiæ Duces. *Siculi.* Quando alii pro aliis substituti fuerint, Trevirensis, Comes Palatinus Rheni, Marchio Brandenburgensis, Rex Bohemiæ, non satis liquet.

XXVI. Hæc eo tempore acta sunt, quo post Fridericum II. infelicibus Paparum ausis, & Procerum cruentis litibus misceri omnia ceperunt, ac prisca Imperatorum authoritas, Imperiique dignitas conciderunt. Hactenus Neapoleos, Burgundiæ, Poloniæ, Ungariæ, Bohemiæ, Daniæ Regna, Venetorum populus, aut in clientela Imperii fuerant, aut comiter illud observando, Imperatori prolixa obsequia præstiterant, deinceps verò licentius agendo, obedientiam debitam exuerunt, & tantùm non bellis Imperium vexare, hujusque partes sibi rapere voluerunt, uti Annales docent, & ex illis Hermannus Contingius *lib.* 2. *de Imperii Germanici finibus cap.* 24. *seqq.* Galliæ ipsius Reges ob Provinciæ Comitatum liberum, partesque multas Arelatensis Regni Imperio Germanico obnoxii, intestinis Germaniæ dissidiis illecti, clientelam istam devolverunt à sese, auctisque opibus robur maximum acquisiverunt, adeò ut Italiam sub Carolo VIII. invaserint, Neapolim corripuerint velut Regnum suum, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 13. *cap.* 4. *dist.* 10. 11. & jam seculo integro amplius, qui sua antehac ægrè ob vicinorum Germanorum potentiam tuebantur, Europæ universæ fortunam non levi ex parte moderentur.

XXVII. Quæritur hîc: (1.) *An coronatio Papæ manibus peracta requiratur ad constituendum Imperatorem?* Respondeo: Affirmant veteres Jureconsulti, Alciatus *in Formulis Imperii Romani*, Oldradus *volum.* 2. *consil.* 90. *num.* 7. *seqq.* Lancellottus *in Templo Judicum lib.* 1. *cap.* 1 *sect.* 1. *quæst.* 4. Johannes Azorius *lib.* 10. *Institutionum Moralium cap.* 5. Et rectè, uti probat argumentum: Quicunque Imperio fidelis est, ille Imperatori præstat fidelitatem jure merito. Atqui Pontifex Romanus Imperio fidelis est. Ergò Imperatori Romano præstat fidelitatem jure merito. Minor constat, quia Roma & territorium ejus sunt portio Imperii fiduciæ nomine Papis data olim, cùm Imperatores nondum ceperant ultra meritum æstimare Curiam Romanam, orbis vastatricem sub pietatis specie. Negant quidem Recentiores, Theodorus Reinking *lib.* 1. *de Regimine Seculari clas.* 3. *cap.* 8 *num.* 20. *seqq.* Matthias Stephani *lib.* 2. *de Jurisdictione cap.* 1. *num.* 142. Bartholomæus

Keckermannus *in Cursu Philosophico disput. 29. quæst.* 16. Bocerus *libro de Regalibus cap.2.num.6.* Tobias Paurmeisterus *lib.2.de Jurisdictione cap.4.num.4.* Verùm non satis considerant illi, quòd cerimoniæ pertinent ad solennia, & quòd solennia negligendo, sæpè rem ipsam spoliemus jure nobis competente. Ecquis verò non dixerit nefas, ingentem adeò thesaurum Imperii à majoribus, quorum virtute & sanguine est comparatus, ad posteros translatum, si non ignaviâ, saltem incuriâ & negligentiâ perdere velle? Roma est pars Imperii Germanici, Pontifex territorium urbis possidet è beneficio Cæsaris, quem coronando proclamat Dominum suum, se fatetur subditum ejus esse.

XXVIII. Quæritur: (2.) *An Imperium Germanicum sit status Monarchicus?* Respondeo: Negant Bartholomæus Keckermannus *in Cursu Philosophico disputat. 36. quæst.* 12. Benedictus Carpzovius *Commentario ad Legem Regiam Germanorum cap. 13.sect.8.9.10.* Johannes Limnæus *Tom.1. Juris Publici lib.1.cap.* 10. Arnisæus *lib. 2. Relectionum Politicarum cap.6.sect.5.num. 69.seqq.* Johannes Bodinus *lib. 2. de Republica cap.6. & in Methodo historica cap.6.7.* Tobias Paurmeisterus *lib.2. de Jurisdictione cap.2.num.1.seqq.* D. Jacobus Andreas Crusius *lib.3.de Præcedentia Regum & Principum cap. 2.num.64.seqq.* Johannes Felvvingerus *in Dissertationibus Politicis pag. 16.seqq.* Johannes Wurmserus *Exercitat.1. ad Jus Publicum dist.9.* quorum omnium sententia est, Germaniæ statum esse mixtum, inque mistione illa dominari Aristocratiam, ita ut authoritas sit in Statibus Imperii, dignitas penes Cæsarem. Rationes proferunt: (1.) Quòd dicat Elector Moguntinus: Aristocratia nobis imprimis est retinenda, Sleidanus *lib.1.histor.* Et Mauritius Elector Saxonicus: Carolus attentat Monarchiam diu cogitatam introducere, Sleidanus *lib.24.& 25.histor. Respondeo:* Si intelligi debet in verbis illis Aristocratia vero sensu, quamobrem adeò solliciti fuerunt Electores pro eligendo Cæsare? Moguntini verba uti obiter prolata esse censeri debent, quatenus prohibere volebat, ne successivum Imperium cum magno libertatis præjudicio invalesceret, atque Electores suo jure spoliarentur, quod Aurea Bulla confirmaverat. Sensu eodem Mauritius incusabat Carolum, quòd armorum progressu fretus, Germanicum Imperium posteris suis acquirere, & cum Belgica unire velle, non vana suspicio esset, quando maximam ejus partem bello Smalcaldico domitam, in potestate sua velut haberet, plura conaturus, & jus Electionis prorsum aboliturus, nisi maturè & constanter ausis ejus occurrerent hi, quorum intererat, providere, ne Germanici Imperii comitas ab Hispanica ambitione supprimeretur, quod facilè fieri poterat, cùm auro obedirent omnia, & Hispanus militem perpetuum haberet, pacatis gentibus terribilem (2.) Quòd Cæsar juramento obligetur ad servandas Leges Imperii, quas olim descripserunt Principes. *Respondeo:* Et Monarcha tamen est, quando citra Leges regere ac regi Barbarorum consuetudo est. Capitulatio, in quam sese Cæsar obstringit, ipsius Majestatis effectus est, qui Majestati non obest, ac propterea non facilè quis alia pollicetur, ac quæ ab Antecessoribus ejus probata sunt, cùm nova inseruntur, nova ipsius imperantis effecta fieri, satis superque notum est. Et verò Capitulatio non tàm Lex est, quàm mera Conventio. Neque enim

enim obligat Cæsarem invitum ex potestate eorum, qui præscribunt, sed demùm obligat Cæsarem, qui acceptat, vi promissionis juratę. Cæterùm populi moratiores omnes Regibus suis præscripserunt leges, non quidem ut eorum potestatem diminuerent, sed ut subditorum animos eis conciliarent magis, quando hi de Regis erga leges observantia palàm edocti, tantò lubentius obsequium præstant. (3.) Quòd Cæsar neque leges condere aut abrogare, neque vectigalia imperare, neque bella decernere, neque Comitia vocare, neque pacem sancire possit, citra Optimatum consensum. *Respondeo:* Et tamen in omnibus illis agendis ac peragendis summa potestas est penes Cæsarem, velut Principem cum potestate, quanquam Optimatum authoritas evidenter concurrat. Ergò uti Cæsar sine Electorum scitu ita Electores & Optimates sine Cæsaris jussu convenire, decernere, decidere non possunt. In Hispaniæ, Galliæ, Angliæ, Daniæ, Suediæ Regnis vel par, vel non multò minor authoritas est Optimatum, unde tamen potestati Regum non detrahitur. Uti enim paterfamilias eo ipso, quòd præscribat leges familiæ ex consilio uxoris, eamque participem faciat gubernationis, & cum filiis operetur in commune bonum, non spoliat sese authoritate sua, ita quoque bonus Princeps, quamvis è consilio Procerum omnia agat, non tamen exuit se potestate suprema, aut Majestatem cum illis communicat, sed liberè ab illis etiam unanimiter consentientibus dissentire, & in alia omnia ire suo jure potest. Ideoque post factam deliberationem Imperii, vis in exsecutione adhuc satis clarè elucet, ut consiliorum & negociorum conficiendorum author unus existat Princeps. Scilicet interest tùm libertatis tùm æquitatis, ut quorum periculo res geritur, eorum consilio illa administretur, & quod omnes attinet, id ab omnibus approbetur. (4.) Quòd Cæsari possit imperium abrogari per Ephororum, id est, Optimatum consensum, uti factum est Henrico IV. Adolpho Nassovio, Wenceslao Bohemo. *Resp.* Qui Electores Imperii vocant Ephoros, cum Keckermanno *in Cursu Philosophico disput.* 36. *quæst.* 10. & 12. Hermanno Contingio *Disputatione de Ratione Status dist.* 49 graviter impingunt. Ephori apud Lacedæmonios fuerunt, ubi præerant simul Reges duo, id est, neuter Rex erat, Reges nomine, re ipsa civitatis Officiales, potestas enim penes Ephoros erat, uti diximus *suprà cap.* 15. *dist.* 3. Ergò quòd dicitur, *Electores habere potestatem removendi Cæsarem*, liberale nimis est, ac perinde valet adversus Reges alios, quos ubique gentium legimus dejectos esse in Gallia, Hispania, Anglia, Suedia, quando in Tyrannos degenerare volebant. De Henrico IV. est res pessimi exempli, nihil enim commiserat, ut deserere eum vellent Principes, & verò Papis tunc multa licebant, cùm religionis prætextu mala omnia impunè patrarentur. Si enim vera fateri volumus, Principum optimus pariter ac mitissimus ab Imperii Proceribus vexatus, Imperio ipsi exitiū attraxit. Postquam enim illa quæ cum annis immaturis ejus acta malè essent, emendare deinde conaretur & vacillantem authoritatem confirmare, obfirmati adversarii ejus magis magisq; sese opposuerunt, cumprimis Episcopi, atq; hi opibus pariter ac Religione armati, Imperatori facilè impietatis & injustitiæ opinionem in populis istis conciliabant.

His itaque rebus cùm tandem inauditum hactenus, sed ab eo tempore exemplis tristibus roboratum fulmen Pontificium à Gregorio VII. emissum accederet, certè fieri aliter non potuit, quàm ut Regiæ Majestatis quod supererat, magnâ prorsus parte interiret. Et certè interiit, quando Episcopi bonorum suorum collationes Imperatori ereptas, Papæ attribuebant ausu turbulento & hactenus novo, quòd Proceres Germaniæ laxatis habenis patriam Rempublicam æternùm hanc fatigaturo periculo objicere vellent, tantùm ut privatæ libidinis arbitria adversus Regem suum exercere possent. Deinceps enim Pontifices unà cum Rege ad rerum gubernacula evecti, Regum metu, quo hactenus in officio continebantur, abjecto, Regibus ludibria pro beneficiis retribuerunt. Proinde res mali exempli fuit, illa Procerum adversus Cæsarem arrogantissima factio, bellique civilis materia. Idem judicium est de Adolpho Nassovio, quem vi merâ, nullo jure deseruerunt Principes, non omnes quorum intererat non nisi publico consensu ita fieri, sed aliqui, inque bellum protruserunt. Episcopi imprimis, quando autem Dei numen magnis ausis prætexebatur, faciles sese ad omnia præbebant subditi, & melius vatibus suis insidiosâ pietate subnixis, quàm Regibus parebant. Itaque osores & percussores ejus omnes miserè perierunt. Wenceslaus spontè potius, ut magnis curis, quibus impar erat, sese exoneraret, remigravit in Bohemiam suam, quàm ut eum Imperio dejecerint Electores, Otto Frisingensis *lib. 7. histor.* Aventinus *lib. 7. Annalium Bojorum*, Sigonius *lib. 9. histor.* Cuspinianus *in Catalogo Cæsarum pag. 282. 357. 388.* Peucerus *lib. 5. Chronici*, & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib. 10. cap. 2. dist. 6. lib. 11. cap. 1. dist. 2. cap. 3. dist. 1.* quibus adde Melchiorem Goldastum *in Bohemia lib. 1. cap. 5. num. 1. seqq.* Nimirum facta, quibus ignoscendum esse magna ratio dictitat, jus nec constituunt, nec probant. (5.) Quòd Principes Imperii adhibeant in titulis suis, *Nos Dei Gratia*, atque ita ostendant potentiam aliquam. Respondeo: Potentia illa, quæcunque est, infrà Cæsarem est, & hujus potestati subjecta. Titulum usurpant, uti constat, quia plurimi eorum orti sunt è prosapia Regum veterum, qui olim cum plena potestate imperabant in variis Germaniæ populis, donec Carolus Magnus è Gallia profectus, Reges illos in ordinem redegit, atque Imperio subjectos hactenus potestatis magna parte spoliavit, aut ipsi etiam Imperio spontè sese obligaverunt. Retinebant splendorem titulorum, ut velut solatium esset diminutæ potestatis.

XXIX. Argumentamur: Quicunque jura Majestatis usurpat eminenter, ille est Monarcha. Atqui Imperator Romanus jura Majestatis usurpat eminenter. Ergò est Monarcha. Probatur major: Jura Majestatis efficiunt Monarchiam. De minore non potest esse dubium, quia Cæsar imperat omnibus, ipsi Deus solus imperat. Itaque (1.) Leges universales promulgat, cum solenni formula: *De Imperialis potestatis plenitudine decernimus.* (2.) Bella gerit pacemque sancit nomine suo, omnium bono, velut author unicus & summus rerum gerendarum. (3.) In Comitiis per Legatum suum præsidet cum summa potestate proponendi, consultandi, decidendi, exsequendi. (4.) Principibus imperat absolutè, quanquam

quam comitier, confert eis feuda, eademque illis secundùm Legem Majestatis auferre potest, cùm peccando in Leges Imperii, pœnam justam incurrunt. Olim Carolus V. proscripsit, bonisque mulctavit Johannem Fridericum, belli Smalcaldici Rectorem, Saxoniæ Ducem, Sleidanus *lib. 19. hist.* Nuper Ferdinandus II. pari jure animadvertit in Fridericum Palatinum, Bohemiæ invasorem, rebellium concitorem, uterque Elector erat, Johannes Petrus Lotichius *lib. 9. histor. cap. 5. 6. seq.* Adolphus Brachelius *lib. 1. histor. pag. 47.* Paulus Piasecius *in Chronico pag. 327.* & nos ex illis *lib. 12. Historiæ universalis cap. 1. dist. 6. 7. cap. 2. dist. 8.* Hæc omnia arguunt, Cæsarem Monarcham esse. (5.) Privilegia donant à seipso, & quidem cumulativè, non privativè, id est, donat illa, ut retineat potestatem eripiendi, quando malè adhibentur, docente Tobiâ Paurmeistero, *lib. 2. de Jurisdictione cap. 3. num. 32.* Deus multa impertivit Naturæ, quæ tamen ab illo dependet ratione conservationis, *Joh. 5. 17. Hebr. 1. 3.* Ita Rex, Princeps, Imperatores imitantur Deum, quando Majestatis effectus aliquos donant subditis, dominium sibi reservant, ut ipsi quidem nullo excellentiæ jure spolientur, atque subditis gratia aliqua fiat.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Successione.

SUMMARIA.

1. *Jus Primogeniture.*
2. *Primogeniti apud Hebræos.*
3. *Rationes contrariæ solvuntur.*
4. *Successio patrimonialis.*
5. *Successio legitima.*
6. *Filius natus patri ante Regni adoptionem.*
7. *Solvuntur rationes contrariæ.*
8. *Nepos patruo suo debet præferri.*
9. *Successio filiorum nothorum.*
10. *Exempla successionis hujus.*
11. *Emptiones, donationes, testamenta.*

I. *Adjuncta Imperii sunt modi, quibus pervenitur ad Imperium. Modi sunt duo, Successio & Electio. Successio est, cùm quis natalium jure imperat.*] De Primogenitis æterna lex est, quòd semper illi succedant. Legem istam usu ac favore suo stabiliverunt gentes omnes ab Imperiis summis regi assuetæ, uti copiosis exemplis docent A. Tiraquellus, Johannes Ciricrius, Martinus Laudensis, *libris de Jure Primogenituræ*, P. Tholosanus *lib. 7. de Republica, lib. 5. 6.* Vernulejus *lib. 1. Politicæ, tit. 7. cap. 5.* Proinde Rex Persiæ Cosdroës exitio suo luit, cùm majori natu filio Siroi, nullius improbitatis in patrem reo, vellet Imperium abrogare, & minori filio Mardasæ illud tradere, bello propterea victus & occisus, Zosimus *lib. 2. histor.* Petrus Bizarus *lib. 6. Historiæ Persicæ*, & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib. 21. cap. 1. dist. 3.* Alioquin cùm improbitatis reum sese fecerat, à patre abdicari poterat, cumprimis ubi erant Regna patrimonialia. Ita Ptolomæus Lagus majorem filium Ceraunum, quia degener erat, præterivit, ac Regnum dedit minori Philadelpho, Justinus *lib. 16. histor.* & nos ex illo in Recensu historiæ universalis *lib. 3. cap. 1. dist. 19. 20. 21.*

II. De Hebræis litem movent Tostadus, *lib. 3. Regum, cap. 1. quæst. 35.* Johannes Pineda,

neda, *lib.2.de rebus Salomonis cap.*1. Maximilianus Sandæus *libro de Rege*, *pag.* 130. 131. & probare volunt, successionem in populo illo non fuisse restrictam ad primogenitos. Atqui Principatum jure perpetuo debitum fuisse primogenitis, etiam apud Hebræos, rectius assirmat Johannes Stephanus Menochius *lib.* 1. *Hieropoliticorum, cap.7.dist.*1.*seqq.* Idemque constat: (1.) Quòd ante Legem à Mose promulgatam, Deus primogenito jus illud expressè tribuerit: *Ad te appetitus ejus & tu dominaberis illi*, Gen.4.7. Sensus est: Abel natu minor, potestati tuæ, qui primogenitus es, subjectus est, teque ille colit submissè. Quam verborum istorum expositionem sequuntur Alexandrini Interpretes, & retinent, Chrysostomus *in Commentariis*, Tremellius, Rivetus, Grotius *in notis h.l.* Johannes Tarnovius *in Exercitationibus sacris*, *pag.* 358. Genus dicendi adstruitur per loca similia, Genes.3.16. Cantic. 7. 11. quæ accuratè interpretatur Nicolaus Fullerus *lib.* 3. *Miscellan. Theolog. cap.* 15. (2.) Quòd Esavo primogenito suo dicat Isaacus: *Esto dominus fratrum tuorum, & filii matris tuæ adorent coram te*, Gen.25.32. cap.27.29. Eodemque sensu dicat Jacobus ad primogenitum suum Rubenum: *Prior in donis, major in imperio fuisses*, Gen.49 3. Primogenitum, inquam, itaque dicitur: *Vis mea, & principium roboris mei.* Romanus Interpres vertit: *Principium doloris mei.* Annotat Menochius & Tirinus: *Sensus est, tu mihi fuisti præcipua causa doloris & tristitiæ ob tuum incestum.* Atqui nec præcipuus, nec primus fuit, qui patris iram justam & dolorem provocaverat, nam ante ipsum Simeon & Levi in Sichemo stragem crudelem patraverant, magno cum patris dolore & familiæ totius incommodo, *Genes.*34.25. *seq. cap.*49.5.6.7. Ergò mala versio est, præ qua meritò valet altera, estque descriptio primogenitorum, quæ etiam occurrit, *Psalm.*78.51. *Psalm.*105.36. Competebat Rubeno imperium sive prærogativa in Principatu atque Sacerdotio, utroque ob delictum suum caruit, & Principatus quidem ad Judam, Servatoris progenitorem devolvebatur, Sacerdotium verò donabatur Levi, *Gen.*49.7.8.9.10. *Num.* 3. 1. 2. *seqq.* Porrò in successionibus ad bona privata, duas partes capiebat filius primogenitus, idque lege lata promulgabat Moses, *Deuter.*21.17. Iste honos à Rubeno translatus est in fratrem ejus Josephum, *Gen.*48.22.1.*Paralip.*5.6. Hinc exponas illud: *Sit ergò portio dupla de spiritu tuo penes me*, 2.Reg.2.9. Annotant Salianus, Menochius, Cornelius à Lapide, Tirinus, & ante illos monuerant Theodoretus, Procopius Gazæus, Augustinus, sensum esse, *ut peteret Elisæus duplò majorem Spiritus gratiam ac Elias habuerat.* Dudum reprehenderunt Cajetanus *notis ad h.l.* Tostadus *in Commentariis quæst.* 15. atque illi rectè arguunt, postulatum istud non convenire modestiæ Elisæi, ob quam velle non poterat efferri supra Magistrum suum. Optimè exponit Levi Ben Gerson: *Quando separabis & distribues de spiritu tuo super filios Prophetarum, tunc sit quæso mea portio dupla ex adverso uniuscujusque eorum.* Sequuntur Vinarienses Scholiastæ, Junius, Grotius, *notis ad h.l.* Hoc petebat, ut quamvis fortè ultimus ad Magistrum suum venisset,

let, primo tamen censeretur loco, & velut primogenitus duas portiones hæreditatis gratiosæ ejus caperet, quam abitu suo desereret. Ita volebat excellere præ competitoribus suis, non verò superare Magistrum. (3.) Quòd tale jus profiteatur Adonias, Regis Davidis filius major adversus Salomonem fratrem, 1. *Regum* 2. 15. neque inficiatur Salomon, tantùm quòd expresso mandato Dei jus illud postponi debuit, 1. *Regum* 2. 22. *seqq.* (4.) Quòd Josaphat Rex filio primogenito suo Regnum, velut jure universali debitum addixerit, 2. *Chron.* 21. 3.

III. Excipit *Pineda:* (1.) Deus relaxavit jus illud, postquam Rubenum primogenitum spoliabat Principatu, *Genes.* 49. 3. Respondeo: Quomodo poterat esse juris relaxatio, nisi fuisset aliqua juris ejus, eaque ordinaria ratihabitio? Sanè poterat jus illud primogenituræ ob antegressa delicta perdi, & superiorum arbitrio ad alium deferri. (2.) David minimus filiorum Jesse ungitur in Regem populi, 1. *Samuelis* 12. 25. *Respondeo:* De jure successionis quæritur. Atqui exemplum hoc electionis non facit ad rem. Licuit Deo & nunc, & aliàs jure suo uti ad constituendum Regem, quem ipse præoptaverat, quando ad Jus Gentium servandum non erat obligatus. (3.) Salomon evehitur in solium, neglecto fratre majore, Adoniâ, 1. Regum 2. 22. 1. Chronic. 28. 5. seqq. Respondeo: Simile exemplum, uti constat, namque de jure ordinario, quod Deus hîc personaliter mutavit, non verò prorsus abrogavit, erat aliter, qaomodo suprà dictum est. (4.) Rehabeam designat Regem, filium minorem, Abiam, 2. Chronic. 11. 18. seq. *Respondeo:* Erat in potestate Regis, uxorem quam vellet, quamque habebat charissimam, Reginam facere per solennem renunciationem, & filio ex illa nato successionis jus conferre. Ratum hoc fuit, ubi Regnum patrimoniale erat. (5.) Judas Maccabæus succedit in Principatu, filius tertio loco genitus, uti ordo recensionis monstrat, 1. Maccab. 2. 25 26. *Respondeo:* Dico, quòd Judas fuerit primogenitus. Neque obstat, *eum loco tertio poni.* Japhetus loco ultimo nominatur, qui tamen erat primus filiorum Nohæ, uti docebimus *infrà cap.* 20. *dist.* 4. 5. 6. Abraham primo loco nominatur, cùm tamen esset filiorum Tharæ minimus, *Gen.* 9. 18. *cap.* 10. 21. *cap.* 11. 26. 27.

IV. *Estque vel Patrimonialis vel Legitima. Patrimonialis est, quæ obtinet inter populos bello subactos.* Atque hi concesserunt in *potestatem* Domini, ut posteros ejus utriusque sexus ad continuam successionem vellent admittere. Est igitur successio *cognatica*, quâ mares & fœminæ admittuntur, habito respectu, in gradu quolibet, primò sexus masculini, deindè majoris ætatis, ita ut ob sexum vel ætatem nunquam de linea in lineam transeatur, & regressus ad fœminas fit, cùm propiores aut pares cætera mares aut ex maribus nati defecerint. Tale erat vetus Regnum Hebræorum, quod Deus Regi Davidi velut proprium donaverat, & deinceps filio ejus Salomoni, quamvis natu minori, conferebat, 2. *Samuelis* 7. 8. *seqq.* 1. *Regum* 2. 15. 1. *Chronic.* 28. 4. *Psalm.* 2. 7. *seq. Psalm.* 45. 27. 28. *Psalm.* 132. 11. *seqq.* Scribit Petrus Gregorius Tholosanus, quòd

S 2 posteri

posteri Salomonis defecerint omninò in filiis Ochosiæ ab Athalia occisis, & successerit proximus agnatus Joas, ex posteris Nathan, qui fuit filius Davidis, 2. Samuel. 5. 14. Zachar. 12. 12. *lib. 7. de Republica, cap. 4. num.* 2. Nec aliter Victorinus Strigelius *Notis ad Evangelia, pag.* 35. Wilhelmus Xylander *Notis ad Sleidani quatuor Imperia, pag.* 45. Errant verò, namque Joas erat filius Ochosiæ legitimus, adeoque è posteritate Regis Salomonis, uti liquidò constat ex 2. *Regum* 11. 1. 2. 12. 2. *Chronic.* 22. 11. 12. *cap.* 23. 3. 11. & mirer, voluisse Besoldum *lib.* 1. *de Electione & Successione, Dissertat.* 1. *num.* 14. commenta illa recoquere. Hodiè talia sunt Regna Hispanorum, Siculorum, Anglorum, & novissimè Danorum, postquam armis Suedicis attriti nobiles ejus populi, Regem hæreditarium Fridericum sibi constituerunt, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 16. *cap.* 2. *dist.* 6. Atque illi Reges plenum imperium obtinent in cives suos, ut testamento disponere possint in causis ad successionem pertinentibus secundùm arbitrium proprium, salvo tamen jure, quod primogenito debetur, Vincentius Cabottus *lib.* 1. *Juris Publici, disputat. cap.* 10. 11. 14. Ludovicus Molina *libro de Majoratu, tract.* 2. *disputat.* 626. Oldradus de Ponte *consil.* 94. 95. 230. Emanuel Rex Portugalliæ filios habuit, Johannem, Henricum, Ludovicum, Eduardum, & Elisabetham filiam. Johannes III. successit Emanueli, cujus stirpe deficiente, Regnum Henrico Cardinali delatum est, qui cùm senex esset, atque orbus, de successione judicium publicum instituit, in quo comparuerunt Antonius Ludovici filius nothus, Rainutius Farnesius, Dux Parmensis, ex Maria Eduardi filia nepos, Catharina Brągantiæ Ducis uxor, ejusdem Eduardi filia, Philippus Rex Castellæ, filius Elisabethæ. Quæstione habitâ de natalibus Antonii, sententia lata est contra Antonium, quâ spurius pronunciabatur. Henricus priusquam aliquid de successione decrevisset, decessit, populusque Antonium, Ludovici filium, Hispanicæ dominationis fastidio, Regem elegit, quem deinde Philippus II. Rex Castellæ, misso exercitu sub Albano Duce, profligavit, & Portugalliam occupavit. Pro Antonio differebatur, sententiam ab Henrico latam, quâ nothus pronunciatus erat, à Papa Romano improbatam esse: Ludovicum patrem ejus, cum matre conjugium, etsi clandestinum, & ob causas aliquas dissimulatum, legitimum tamen contraxisse, & ita habitum, impedimento fuisse, ne Henricus VIII Rex Angliæ, filiam Mariam Ludovico desponsaret: Sin minus legitimè natus fuisset, exemplis ostendi posse, quòd nothi in Lusitania & Castella successerint: Demùm, postquam in cognatione Regia masculi deficerent, populum habere jus eligendi Regem. Pro Philippo arguebatur, quòd satis exploratum esset, Antonium illegitimo thoro prognatum esse; quòd Henrici sententia displicuerit Papę, ideò, quoniam inconsulto ipso, Rex in causa matrimonii judicavisset; quòd prætensum jus Antonii ab omnibus cognatis improbaretur; quòd populo non competeret jus eligendi Regem novum, ubi de cognatione veterum Regum justi hæredes superessent; quòd magna pars Jureconsultorum à Philippi Regis partibus starent. Pro Catharina Bragantina adferebatur, patrem Eduardum, si tempore defuncti Henrici in vivis fuisset, indubitatò Regnum ac-

cepisset-

cepisset, defuncto Eduardo, competere filiæ ejus jus idem, ergò Philippo Regi sororis filio, quando ipsa esset filia fratris, meritò anteferretur. Philippus contendebat, Eduardi ante Henricum defuncti rationem non posse haberi, utpotè qui semel exclusus fuerat proindè cùm mater sua tempore defuncti Henrici gradu propriore vicerat Catharinam, ipse velut masculus hæres jure justo prætendat successionem in Regno, quòd semper habuerit Reges propinquos è cognatione. Et obtinuit, uti prolixius narrant Hieronymus Connestagius *lib.2.de conjunctione Portugalliæ & Castiliæ*, Antonius Viperanus *libro de obtentu Portugalliæ*, Maximilianus Sandæus *libro de Rege pag.99.100.101.102.*

V. *Legitima est, quæ obtinet inter populos spontè subjectos.*] Atque hi concesserunt in *fidem* Domini, ut posteros ejus tantùm mares vellent per continuam successionem admittere. Est igitur successio *agnatica*, marium ex maribus, ideò introducta, ne per fœminarum matrimonium imperium ad peregrinum sanguinem deveniret. Talia Regna sunt Gallicum ex instituto Hugonis Capeti, & Suedicum, uti hoc ordinavit Gustavus Wasa, atque illi Reges certis pactis obligantur erga cives suos, ut cum horum consensu disponere opus habeant in causis ad successionem pertinentibus, Johannes Serranus *in Inventario Galliæ fol. 355.* Carolus Molinæus *Commentariis ad Consuetudines Parisienses tit.1.dist.13.not.3.* Bernhardus Gerhardi *lib.6. Historiarum Francicarum*, Johannes Loccenjus *lib.6. Histor. Suedic.* Philippus Pulcher Rex Galliæ habebat tres filios, Ludovicum, Philippum, Carolum, & filiam Isabellam, nuptam Eduardo II Regi Angliæ, ex qua natus est Eduardus III. Angliæ Rex. Mortuo Philippo Pulchro successit Ludovicus, huic Philippus, hunc excepit Carolus, omnesque citra hæredem masculum obiverunt. Itaque Pares sive Proceres Franciæ Philippum Valesium, Caroli defuncti patruelem, ad successionem in Regno admittebant, posthabitâ Isabellâ, ejusque filio Eduardo rejecto, unde maxima bella inter Galliæ & Angliæ Reges exorta sunt. Pro Rege Galliæ Philippo, adversus Regem Angliæ Eduardum prætendebatur, quod Lege Salicâ, & consuetudine vetere apud Gallos receptâ, fœminæ à successione in Regno arcerentur. Ita postquam Childericus III. obiverat, duabus filiis exclusis, Regnum delatum fuit Lothario: Nec minus post obitum Heriberti V. tribus filiabus præteritis, frater Sigibertus successit. Et cùm fœminæ ipsæ capaces non sint, non posse jus ad filios transmittere. Deinde, quòd Eduardus Philippo Valesio tanquam Regi legitimo, homagium præstitisset, seque vasallum ejus ligium, fide interpositâ, constituisset, unde ipsum Regem agnoverit, & juri suo, si quod habuit, in Regno Galliæ renunciaverit. Rursum, quòd jure merito Eduardus Anglus jus suum armis defenderet, istæ rationes proferebantur: Quòd cùm coram Patribus quæstio haberetur, ipsius Procuratores admissi non fuerint, verùm minis coacti discesserint: Quod fundamentum pro Valesio præcipuum, Lex Salica, novum inventum sit, apud veteres Francos nunquam cognitum: Quòd Lex Salica, de terra Salica nulla portio hæreditatis ad mulieres transeat, ad patrimonia domestica ex veteri usu pertineat quidem, sed ad Regum hæreditates non debeat transferri:

Quòd in omnibus Galliæ Ducatibus fœminæ succedant, in Normannia, Britannia, Aquitania, Burgundia: Quòd exempla Lotharii & Sigeberti, qui posthabitis filiabus succedebant, non sufficiant ad probandam consuetudinem, quando iis temporibus Regnum non tàm hæreditarium erat, quàm commendatione ad Proceres factâ, obtinebatur: Quòd homagium non obstaret, utpotè in minori ætate Eduardi præstitum. Referunt Froissardus *lib.* 1. & 2. *histor.* Paulus Æmylius *lib.* 9. *Historiæ Gallicæ*, Petrus Bartholdi *in Floro Francico lib.* 3. *cap.* 31. *seqq.* Hottomannus *libro de successione in Regno Galliæ, cap.* 2. 3. & ex illis Johannes Limnæus *Commentariis ad notitiam Regni Galliæ.* Sed tamen maluerunt Galli operosis bellis permiscere omnia, quàm peregrinum Regem solio imponere. Apud eosdem Robertus successorem in Gallia consensu Procerum designavit filium minorem Henricum, præterito majore, quòd ille videretur ineptus ad res gerendas esse, Paulus Æmylius *lib.* 3. *histor.* Johannes Tilius *lib.* 1. *histor.* Apud eosdem Hugo Capetus primogenituræ & Apanagii jure introducto, perpetuâ inter Francos lege firmavit, ne Regnum divideretur in plures easque æquales portiones, quando hactenus cùm ita secundùm Allemannos & Longobardos factum erat, litibus & bellis domesticis omnia plena fuerant, potentia verò decreverat, uti exemplis ostendimus in Recensu historiæ universalis *lib.* 13. *cap.* 1. *dist.* 3. 5. 6. *cap.* 2. *dist.* 4. & illis adde Petrum Bartholdi *in Floro Gallico lib.* 1. *cap.* 22. 23. 30. 39. 42. *lib.* 2. *cap.* 23. 33. Johannem Bodinum *lib.* 6. *de Republica, cap.* 5. Johannem Tilium *lib.* 2. *histor. fol.* 117. Ita Suedicæ nationes Gustavi Adolphi maximis meritis hanc velut gratiam retulerunt, ut admoverent Christinam filiam solio: Hæc porrò traderet Regnum Carolo Gustavo felicissimę recordationis agnato suo, quem adoptaverat, habilemque ad successionem fecerat, Johannes Loccenius *lib.* 9. *histor. pag.* 608. 700. Deinceps fecerunt statutum, nę fœmina ad Imperium evehatur.

VI. Quæritur hîc: (1.) *An filius ille, qui ante Regni adeptionem natus est, præferendus sit ei, qui in regia fortuna natus est?* Respondeo: Antonius Corsettus *libro de potestate & excellentia Regia, quæst.* 26. Franciscus Hottomannus *in Quæstionibus illustribus, controv.* 2. Tholosanus *lib.* 7. *de Republica, cap.* 9. Martinus Laudensis *libro de Principatu, quæst.* 441. Vernulejus *lib.* 1. *Politicarum Institutionum, tit.* 7. *cap.* 10. Lælius Zecchius *lib.* 1. *de Principe, cap.* 3. *num.* 4. distinguunt: Ille qui à majoribus accipit Regnum hæreditarium, potest illud transferre in filium à se privato genitum, sed cùm pater Regnum primus occupat, meritò filius ille præfertur, quem genuit jam compos imperii & potestatis. Exempla sunt in promptu. Artamenes & Xerxes filii Darii Hystaspis Regis contendebant de successione. Demaratus Lacon exsul arbitrio suo litem decidebat, videlicet filium à patre jam Rege progenitum anteferendum esse alteri, qui patri nondum Regi natus fuerat, itaque Xerxes obtinuit Regnum, Herodotus *lib.* 7. *histor.* Justinus *lib.* 7. Rursus cùm post obitum Regis Darii Nothi similis contentio inter filios ejus Artaxerxem & Cyrum exorta esset, quorum ille primo loco natus erat, sed cùm pater velut privatam vitam degebat, hic natu minor erat, sed à patre genitus,

cùm

cùm ille Regno potiebatur, mater Parysatis quidem in gratiam Cyri proferebat decisiones majorum, verùm Proceres contradicebant illi, & Artaxerxen solio imponebant, Plutarchus *in Vitis Illustribus*, Justinus *lib. 5. histor.* Eò justius hoc factum est, quò injustius Turcorum Proceres egerunt post Muhammedis II. obitum, cùm natu majorem filium ejus, in privata fortuna genitum, Zisimum abdicabant, solioque imponebant Bajasetem filium minorem, quem pater Imperator primo loco genuerat, Jovius *lib. 2. histor.* Leonclavius *lib. 16. histor. Turcic.* Antonius Sabellicus *Enneade 10. lib. 8.* Bajasethes eadem passus est in filiis, quorum minimus Selymus, Procerum militumque favore subnixus, pepulit majorem Achmedem, & captivum factum, vitâ exuit, Jovius *lib. 13. & 14. histor.* Ludovicus Tubero *lib. 9. & 10. histor.* Philippus-Lonicerus *Tom. 1. Historiæ Turcicæ, pag. 45. seqq.* & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib. 20. cap. 2. dist. 12. 14.*

VII. Rejiciunt distinctionem illam Arnisæus *lib. 1. Doctrinæ Civilis, cap. 9. & lib. 2. Relectionum Politicarum, cap. 2. sect. 11.* Besoldus *lib. 1. de Elect. & Success. dissertat. 7.* Johannes Cirierus *lib. 1. de Primogenitis quæst. 12.* Hugo Grotius *lib. 2. de Jure belli & pacis, cap. 7. dist. 28.* Tiraquellus *libro de Jure Primogenituræ, quæst. 31.* Wolffgangus Heiderus *in Institutionibus Politicis, pag. 807. seq.* & citra discrimen modi, quo pater obtinuit Regnum, primogenito illud assignant. Rationes profert *Arnisæus:* (1.) Quia filius succedit patri velut hæres in Regno successivo. Constat verò, ad successionis jus obtinendum, non interesse de modo, quo pater illud obtinuit, an bello, an suffragiis, an donatione. (2.) Quia pater bona quæcunque aut jura acquirit non minus filio nato quàm nascituro, quando uterque est ejusdem sanguinis. (3.) Quia jus primogenituræ est à natura, neque hoc mutatur accessione dignitatis. (4.) Quia Otto Magnus Imperator successit patri suo Henrico Aucupi, licèt natus esset patre tunc cùm hic privatus erat, & prævaluit fratri suo Henrico, qui sibi petebat Imperium, quia natus erat patre tunc cùm hic Imperator esset, uti referunt Witichindus *lib. 2. Annalium*, Dithmarus *lib. 2. histor.* Huldericus Mutius *lib. 13. Chronici Germaniæ.* Hæc ille. *Respondeo:* (1.) Ubi sunt Imperia legitima, necessariò civium suffragia valent, ut quomodo volunt illi, ita successionis ordo prorogetur. (2.) Verum hoc est de bonis, quæ propriâ industriâ acquirit: Quæ verò excellentiore modo sibi comparat, pro illis hæredes ejus inæqualem sortitionem obtinere possunt. (3.) Bona privata, quæ sunt in patris dispositione perfecta, non possunt eripi filio primogenito, quatenus illa conditione lautiori debentur ei, sed de publicis opibus aliter est. (4.) Electionis exemplum hoc est, neque igitur infert aliquid contra jus successionis. Æneæ filius major Ascanius ex Creusa natus, in Latinorum Regno, quod pater ejus cum Lavinia, conjuge secunda, velut dotale acceperat, non successit, verùm minor Julus, cognomine Sylvius, successit, Laviniæ filius, Dionysius Halycarnassæus *lib. 1. histor.* Sextus Aurelius Victor *libro de Origine Urbis Romæ*, & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib. 4. cap. 1. dist. 1.* Erat enim Latinorum Regnum, non verò Trojanorum.

VIII.

VIII Quæritur: *An nepos ex filio primogenito debeat præferri filio secundo, patruo suo?* Respondeo: Affirmant Arnisæus *lib. 2. Relectionum Politicarum cap. 2. sect. 10.* Tiraquellus *libro de Jure Primogenituræ, quæst. 32.* Antonius Corsettus *libro de Potestate Regia, quæst. 115.* Johannes Bodinus *lib. 6. de Republica, cap. 5.* Grotius *lib. 2. de Jure pacis & belli, cap. 7. dist. 30.* Keckermannus *lib. 1. Systematis Politici, cap. 4.* Hottomannus *in Quæstionibus illustribus, controv. 3.* Petrus Gregorius Tholosanus *lib. 8. de Republica, cap. 10.* Vernulejus *lib. 1. Institutionum Politicarum, tit. 7. cap. 11.* Ratio est, quia patris defuncti jus undiquaque perfectis modis transit ad filium superstitem, adeoque per jus repræsentationis filius patris locum subit. Qui enim succedit in locum, ille pariter in jus succedit, quique subrogatur, ille naturam ejus cui subrogatur, perfectè accipit. Exempla sunt plurima. Charilao suo ex fratre nepoti Lycurgus conservavit Regnum Lacedæmoniorum, & in eodem populo Areus defuncto patre suo Cleonymo, quando avus etiamnum vivebat, hoc quoque mortuo obtinuit Regnum, excluso patruo, Plutarchus *in vitis illustribus*, Justinus *lib. 3. histor.* Pausanias *lib. 3.* Lusitaniæ Rex Sebastianus, avo defuncto, quamvis pater ejus solium non occupaverat, patruo tamen anteferri meruit, uti dixi in Recensu historiæ universalis *lib. 14. cap. 4. dist. 4.* Sunt tamen exempla contraria, ubi vel necessitatis durum telum, vel Testatoris alicujus, quatenus patrimoniale Regnum habebat, voluntas aliter ordinavit, secundùm prærogativam ætatis. Hunericus obtinebat Regnum patris Genserici, quamvis frater ejus primogenitus morte præproperâ defunctus, filios reliquerat ætatis minimæ, sed Vandali nondum satis firmato Regno inter Numidiæ populos, cupiebant Regem virum, Procopius *lib. 3. Vandalicorum.* Ita Ludovicus cognomine Pius, successit patri Carolo Magno, præterito Bernhardo, qui ex fratre natu majore Pipino, nepos superstes fuit, Paulus Æmylius *lib. 3. Historiarum.* Ita Caroli Claudi Neapoleos Regis successor fuit filius Robertus, exclusis nepotibus, qui à primogenito Martello supererant, Paulus Æmylius *lib. 9. Historiarum.* Ob eandem causam olim Demetrius Syriæ Regnum petebat, cùm enim Antiochus decesserat relicto parvulo admodum filio, hujus patruus Demetrius, qui Romæ obses erat, cognitâ morte Antiochi fratris, Senatum adiit, obsidemque se vivo fratre venisse, quo mortuo, cujus obses sit, sese ignorare, ait: Dimitti igitur se ad Regnum petendum æquum esse, quòd sicuti jure gentium majori fratri cesserit, ita nunc sibi qui pupillum ætate antecedat, deberi. Refert Justinus *lib. 34. Historiarum*, quamvis non sine errore. Neque enim Demetrius erat patruus Antiochi junioris, verùm patruelis ejus, & Regnum sibi petebat, non uti patruus, qui ætate superaret patruelem, sed uti hæres patris Seleuci, Regis ejus, qui olim regnaverat, cujus ipse primogenitus esset, cæterùm malis artibus ab Antiocho patruo suo circumventus, ne potiretur solio, uti dictum est *suprà cap. IX. dist. 8.* & adde nostrum Recensum historiæ universalis *lib. 3. cap. 2. dist. 8. 11.* Appianum *in Syriacis*, Epitomen Livii *lib. 46.* Mulejus Serifius testamento legabat Marocci in Africa Tingintana Regnum filiis suis tribus, ut secundùm ætatis gradum,

cùm

cùm proviverent, ordine succederent, exclusis nepotibus, unde bellum exstitit in populis illis, namque avo defuncto, succedebat maximus filius Abdalla, & verò quando is obibat, filius ejus Muhammedes occupavit solium, adversus quem patruus Abdelmelekus lites cepit, armisque causam egit, ut Muhammedes Regno dejectus, ad Lusitanos fugâ abiret, novum bellum concitturus, Thuanus *lib.* 65. *histor.* David Chytræus *lib.* 25. *histor.* & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib.* 14. *cap.* 4. *dist.* 4. & *lib.* 22. *cap.* 1. *dist.* 2. Londorpius *in Continuatione Historica, lib.* 18.

IX. Quæritur: (3.) *An filii nothi succedere possint?* Respondeo: Prolixè differunt Covarruvias *lib.* 3. *Variarum Resolutionum, cap.* 6. Tholosanus *lib.* 7. *de Republica, cap.* 8. Johannes Stephanus Menochius *lib.* 1. *Hieropoliticorum, cap.* 7. *dist.* 6. Besoldus *lib.* 1. *de Successione & Electione, Dissert.* 9. Arnisæus *lib.* 2. *Relectionum Politicarum cap.* 2. *sect.* 13. ubi Legem adferunt: Non veniat nothus in congregationem Domini, ad decimam generationem, *Deut.* 23. 2. De qua Lege multis agunt Tostadus *Commentariis ad cap.* 23. *Deuter. quæst.* 1. Johannes Stephanus Menochius *lib.* 1. *de Republica Hebræorum cap.* 3. *quæst.* 6. Si quis Jephtæ exemplum urgere volet, de quo est *Judic.* 11. 1. respondent Menochius *l. d.* Serarius *in librum Judicum, cap.* 11. *quæst.* 5. Bonfrerius, Cornelius à Lapide, Jacobus Tirinus *notis ad h. l.* quod peculiare sit & profectum ab instinctu divino, ut Princeps eligeretur Jephta, præstantissimus inter populares suos, militiæque peritissimus, quamvis è thoro illegitimo progenitus esset. Sic illi movent componuntque litem. Nos jam loco alio diximus, Jephtam non fuisse nothum, *suprà cap.* 4. *dist.* 4. Lex quæ prostat *Deuter.* 23. 2. est merè cerimonialis, ac potius excludit spurios quorum pater incertus est, mater prostibulum erat. Constat, non admitti nothos, ubi legitimi hæredes supersunt. Martinus Rex Arragoniæ & Siciliæ habebat filium unicum Martinum, qui obiit ante patrem, relicto filio Friderico illegitimo, sororem habuit germanam Eleonoram, & ex ea nepotem Ferdinandum Castellæ Regem, consanguineum Jacobum Urgellensem Comitem, Johannis scilicet patrui filium. Defuncto Martino propter successionem contendebant Fridericus nothus, Jacobus Urgellensis, Ferdinandus Castellanus. Arbitri deligebantur, tres Arragonii, totidem Valentini, totidem Catalonii, summæ prudentiæ viri. Fridericus Regis defuncti è filio nepos contendebat, se non omninò illegitimum esse, quia ex patre cœlibe & matre innupta procreatus esset; quia natalibus à Pontifice summo restitutus esset. Jacobus Urgellensis dictitabat, quòd masculus à masculo descenderat, fœminæ verò incapaces Regni, haud possint jus aliquod dare iis, qui ab ipsis procreati essent. Ferdinandus Castellanus urgebat, quòd procreatus esset à matre, quæ Martini Regis defuncti soror erat, itaque cùm sanguine proximus erat, naturali jure & legibus succedere deberet; neq; cautum esse legibus Arragoniæ, ne fœminæ succedant, sed id receptum, quando mares cum fœminis sint eodem gradu conjuncti, & æquè proximi. Arbitri, qui sacris ritè peractis, Advocatos per triginta dies audiverant, tandem in publicum progressi, cum summa totius populi exspectatione, Ferdinandum Arragoniæ Regem pronunciaverunt,

Abraham Bzovius *in Annalium supplemento A.C.*1410.*sect.*28. Thomas Facellus *lib. 9.de rebus Siciliæ*, Johannes Mariana *lib.*20. *Annalium Hispaniæ,cap.*2. Verùm in defectu istorum, populus suffragio efficiet, ut succedant, qui eis natalium jura simul ac Principis dignitatem conferre potest, ut ipsi etiam pertinaci virtute juvent fortunam, uti de Ferdinando filio notho suo eodemque successore prædicabat Alphonsus Rex Neapoleos, Bartholomæus Facius *lib.*10.*histor.* Johannes Jovianus Pontanus *lib.* 1. *histor.* Paulus Jovius *lib.*2.*Elogiorum,num.*13. De Antonio Notho in Lusitania repudiando, multis agebant Octavius Cacheranus, Alexander Raudensis, Amedæus Pontanus *libris peculiaribus* in gratiam Regis Philippi vulgatis. Atqui res ista erat, non quidem juris, sed facti, quando Antonius inferior armis, non poterat Castiliæ Regi Philippo II. resistere, nam gentis ejus Nobiles plurimi bello in Numidia gesto occubuerant, quo unà peribat Sebastianus Rex, cæterùm haut negari poterat, quòd apud Lusitanos olim successerant nothi, cùm legitimi filii nulli erant, exemplo Johannis Regis, qui patre natus erat Rege Petro, matrem habuerat pellicem, Hieronymus Connestagius *libris de conjunctione Lusitaniæ & Castiliæ*, Antonius Viperanus *libro de obtentu Portugalliæ*. Armis per fas nefas partum Regnum tertio hæredi Philippo IV. ereptum fuit nostro seculo, civium impetu, Gallorum incitu, qui invidiosam Hispanorum quovis modo carpere gaudebant, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 14.*cap.*4.*dist.*5. Proclamabatur Rex Johannes Brągantiæ Princeps, non alienus à Regum veterum sanguine. Castiliani impugnabant factum: (1.) Quòd Regnum istud pervenisset ad Philippum jure cognationis & victoriæ. (2.) Quòd Lusitani omnes præstito juramento in fidem ejus concessissent. (3) Quòd Bragantinus Princeps obsequium renunciando, non servaverit promissam fidelitatem, & militari potentia contra Regem abusus fuerit. Lusitani defendebant factum: (1.) Quia Philippus II nullo sanguinis jure obtinuerat Regnum, quod naturâ suâ legitimum sit, ac per Leges Fundamentales vetet, peregrinos in solium evehere. (2.) Quia populus armorum terrore oppressus, armis perinde se possit liberare à Regis peregrini obsequio. (3.) Quia possessor malæ fidei nullo tempore, nedum sexaginta annis, præscribere possit. (4.) Quia Reges Castiliani à Lusitanis juramentorum, quibus obedientiam promiserunt, observationem exspectare non debuerint, cùm ab ipsis, quæ tempore inaugurationis jurati promiserant, non observarentur. Scilicet negocia ad Regnum Portugalliæ spectantia, non quidem consilio Lusitanorum in Hispania, prout debuerant, sed arbitrio Castilianorum expediebantur. (5.) Quia Princeps Bragantinus non sponte sua relaxavit obsequium, victus gementis sub alieno imperio populi questibus, itaque favoris Regii causa non debuit officium erga patriam omittere. Prolixè ista exponit Antonius de Sousa *in Lusitania liberata*.

X. Alibi gentium similia reperias. Theseus filius nothus Ægei successit patri in Attica, Plutarchus *in Vitis illustribus*. Darius Nothus in Persia regnavit, Justinus *lib.*5.*histor.* Molossus filius nothus Pyrrhi in Epiro successit patri defuncto, Pausanias

nias *lib.* 1. Servius *Commentario ad lib.* 3. *Æneidos.* Robertus Normanniæ Princeps successorem constituit Wilhelmum Nothum, (qui posteà dictus est Conquæstor, repudiatis ex fratre nepotibus,) isque deinde etiam Rex Angliæ factus est, Georgius Lilius *lib.* 3. *histor.* Polydorus Virgilius *lib.* 9. *histor.* Lambertus Sylvius *in Floro Anglico, cap.* 7. 8. Manfredus filius nothus Cæsaris Friderici II. regnavit apud Siculos & Neapolitanos, Paulus Æmylius *lib.* 7. *Historiæ Gallicæ.* Arnulphus Carolomanni filius nothus, Imperium Germaniæ obtinuit, Luitprandus *lib.* 1. *histor.* Rhegino *lib.* 2. *histor.* Carolus Sigonius *lib.* 5. *de Regno Italiæ*, & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib.* 9. *cap.* 3. *dist.* 2. *lib.* 19. *cap.* 1. *dist.* 3. *seqq.*

XI. Ad Successionem reducuntur Emptiones, Donationes, Testamenta. Namque his etiam modis acquiruntur Principatus & ditiones amplissimæ, quatenus populi voluntas in quibusdam accedit. Et quidem Regna illa, quæ bello acquisita in Regis unius potestate sunt, non habent annexam conditionem de rogando subditorum consensu, donantque Reges, cùm deficiunt hæredes, cui volunt. Quæ verò populi assueti à Principe regi voluntate delata sunt, citra ejusdem consensum non possunt donari peregrino. Alphonsus Rex Legionis filio carebat, itaque testamento donabat Regnum suum Carolo Magno Imperatori Romano & Galliæ Regi, eâ lege, ut Saracenos pelleret, verùm Proceres irritam fecerunt donationem, tùm quòd propinquior hæres supererat, tùm quòd Regis peregrini Imperio nolebant adjungi, itaque Ramirum patruelem Alphonsi eligebant Regem, Paulus Æmylius *lib.* 3. *histor.* Impugnant hos modos ac veluti inhonestos traducunt Junius Stephanus Brutus *in Vindiciis contra Tyrannos, pag.* 132. *seqq.* Ferdinandus Vasques *lib.* 1. *Quæstionum illustrium, cap.* 2. *num.* 1. *seq.* Hottomannus *in Quæstionibus illustribus, controv.* 1. Rationem adferunt, quia liberi homines non sunt in commercio. *Respondeo:* Non sunt liberi, in quos habet Rex potestatem, velut superior. Non mutatur status, quia sueverunt ferre dominum. Et verò planè sicuti homines singuli aut pauci, ita populus aliquis in dominio alterius esse potest, neque ratio ulla est, quare illos velut in plenam proprietatem redactos alienare liceat, hos non liceat. Dicit *Vasques*: Omnis Respublica in populi usum constituta est, ejusmodi verò alienationes populo noxiæ sunt. *Respondeo:* Quanquam verum sit, non debere ex imperio aliquid damni ad subditos redundare, tamen falsum est, per alienationem talem populo aliquid damni inferri. Nullum hîc damnum est, quando notum est, populum istum semper assuetum dominis, sub jugo fuisse semper. Et fieri potest, ut conditio reddatur melior, perinde atque servus aliquis cùm venditur, dominum inclementem sæpè mutat benigno & molli. Quando igitur Principatus alii donatur, non fit hominis liberi alienatio, sed jus, quod in hominem subjectum perfectè Rex aliquis habet, in alium transfert, eumque hæredem suum adoptat. Sic Attalus bonorum suorum, quo Regnum Pergamenum comprehendebatur, hæredem testamento scribebat populum Romanum, Justinus *lib.* 36. *Historiarum*, Epitome Livii *lib.* 58. 59.

Florus *lib. 2. Historiæ Romanæ, cap. 20.* Strabo *lib. 13. & 14. Geograph.* Vellejus *lib. 2. histor.* atque ejus terras τῷ δικαιοτάτῳ τρόπῳ optimo jure, scilicet propter legatum accepisse populum, ait Sertorius apud Plutarchum *in Vitis Illustribus.* Nicomedes Bithyniæ Rex, suum Principatum iisdem testamento donavit, Appianus *in Mithridatico,* Epitome Livii *lib. 93.* Vellejus *lib. 2.* Eutropius *lib. 6. histor.* Cyrenaicam idem populus testamento à Rege Appione accepit, quia filios non habebat, Justinus *lib. 39.* Epitome Livii *lib. 43.* Eutropius *lib. 6. histor.* Regna Palestinæ & Cypri inter Christianos Orientis victores partim legatis, partim emptionibus distributa sunt, & Venetis placuit Rempublicam suam ita augere, Petrus Bembus *lib. 7. histor.* Paruta *lib. 1. Dissertationum.* Burgundiæ Regnum Rudolphus Ignavus, ultimus Regum, testamento donavit Conrado Francono, Germaniæ Imperatori, exclusis Galliæ Regibus, qui illud sibi, velut propioribus hæredibus deberi, contendebant, & ab eo tempore Burgundiæ Regnum cepit esse provincia Imperii Germanici, donec Carolus IV. Imperator illud venderet Johanni Vallesio Galliæ Regi, Imperium ipsum venditurus, si emptorem invenisset, Guilhelmus Paradinus *lib. 1. Annalium Burgundicorum pag. 139 seqq.* Paulus Æmylius *lib. 9. Historiæ Gallicæ.* Scribit *Cranzius*: Equidem ædes, prædia, agros, vineas, & similia testamento dari audivimus, Regnum autem præstare chartæ benificio, prodigii loco habitum est, *lib. 2. Daniæ cap. 2.* Atqui vetustissimum est, quod miror tàm docto viro non succurrisse.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De Electione.

SUMMARIA.

1. *Electionis exempla.*
2. *Electio restricta, & lata.*
3. *An Gallus possit eligi?*
4. *Rationes pro successione.*
5. *Solvuntur rationes contrariæ.*

I. *Electio est, cùm quis suffragiorum jure imperat.* Germani veteres, cùm Francis vel subditi vel conjuncti erant, postquam eos Carolus Magnus armis domuerat, habebant Cæsares jure successionis. Donec posteri ejus in Gallia dejecti solio, atque intra Lotharingiæ Ducatum compulsi, Imperialem dignitatem non poterant tueri, itaque Germani à Francorum jugo liberati, sub Henrico Saxoniæ Duce, novum quasi Imperium, idque votis liberis nixum condiderunt, ut semper eligere vellent, suasque libertates conservare intercedendo apud Imperatorem. Poloni & Hungari Regem eligunt, omnesque populi illi, qui Aristocratiam & Democratiam sectantur, votis Magistratus suos designant. Mamaluchi eligebant olim Sultanum Ægypti, antequam eos Turci exstirparent armis. Legebantur è militari ordine & à solis militibus, atque omnis militia illa coacta fuit ex peregrinis, & quidem in servitutem redactis, vel aliunde coëmptis, exclusis omnibus, qui in Ægypto & Syria, quamvis militibus nati fuerant. Id quod omni prorsus exemplo caret, Paulus Jovius *in Viris illustribus pag. 271.*

271.272. & *lib.* 17.18.*histor.* Sabellicus *lib.* 7.& 8.*Supplementorum*.

II. *Estque vel Lata, vel Restricta. Lata est, cùm peregrinus eligitur. Restricta est, cùm indigena eligitur.*] Peregrinum sæpius eligebant veteres Romani, itaque præerant Trajanus Hispanus, Severus Afer, Marcianus Numida, Elagabalus Syrus, Maximinus Gottus, Philippus Arabs, Flavius Claudius Dalmata, Constantinus Dacus. Hodiè verò exterum Principem eligunt Poloni, quando gens libertatis inter omnes æqualis retinens, ad peregrinum mavult votis deferre summam rerum, quàm unam è sui similibus evehere in solium, ut super alios emineat, & factiones vel excitet, vel foveat, Bartholomæus Keckermannus *in Cursu Philosophico, disput.* 29. *quæst.* 8. Christ. Forstnerus *notis ad l.b.* 2. *Taciti, pag.* 122. Et verò consuetudinem illam in gente sua firmis radicibus inohitam non admodum collaudat Paulus Piasecius *in Chronico Europæ pag.* 59. Indigenam eligunt Germani secundùm veterem consuetudinem, & legem eo sensu descriptam in Bulla Aurea *tit.* 2. uti diximus *suprà cap.* 16.*dist.* 23.24.

III. Quod verò Petrus Gregorius Tholosanus *lib.* 7. *de Republica, cap.* 15. *num.* 18. Fulvius Pacianus *lib.* 2. *de Probatione, cap.* 35.*num.* 50. Cirierus *lib.* 1. *de Primogenitura quæst.* 12. *num.* 27. Restaurus Castaldus *libro de Imperatore, quæst.* 7. *num.* 8. docent, posse quoque Gallum eligi ad capessendum Imperium, frustrà illi sunt, quia post Ottonem Magnum cepit Imperium esse Germanicum nomine, re, legibus, votis. Dicit *Tholosanus:* (1.) Galli habuerunt olim Dignitatem Imperialem, neque ulla prostat Lex, quæ eos removeat ab honore isto sortiendo. (2.) Gallia est quædam velut portio Germaniæ, itaque Elector Trevirensis est Cancellarius Imperii per Galliam. *Respondeo:* (1.) Carent dignitate illa, postquam Germani ea potiti sunt, itaque Elector Trevirensis pro Galliæ Rege conaturus aliqua, tulit repulsam, uti narrat Sleidanus *lib.* 1. *Commentariorum*. (2.) Id arguit, Galliam Arelatensem fuisse olim provinciam liberam Imperii, ejusque ratione Galliæ Reges præstitisse clientelam Imperatori, donec Carolus IV. pretio accepto venderet Præfecturam Imperialem, & verò partes aliquas, Burgundiam, Lotharingiam, Sabaudiam, retinuit. Atqui provinciæ liberæ non habent votum, uti de Italia diximus *suprà cap.* 16.*dist.* 22.

IV. Quæritur: *An Successio melior sit quàm Electio?* Respondeo: Electionem præferunt Arnisæus *lib.* 1. *Doctrinæ civilis, cap.* 9. Machiavellus *lib.* 1. *de Republica, Dissertat.* 19. Balthasar Willius *in Institutionibus Politicis, pag.* 571.*seq.* Alstedius *in Encyclopædia, lib.* 18.*cap.* 3.*reg.* 5. Nos verò successionem meliorem esse, dicimus cum Johanne Bodino *lib.* 6. *de Republica, cap.* 5. & *in Methodo Historiarum, cap.* 6. Keckermanno *lib.* 1. *Systematis Politici, cap.* 4. Johanne Caso *lib.* 3.*Politicorum, cap.* 11.*quæst.* 2. Tholosano *lib.* 7. *de Republica, cap.* 4. & 12. Nicolao Vernulejo *lib.* 1. *Institutionum Politicarum, tit.* 7.*cap.* 2. Justo Lipsio *lib.* 2. *Doctrinæ civilis, cap.* 3. 4. & *lib.* 2. *Monitorum Politicorum, cap.* 3.4. Lælio Zecchio *lib.* 1. *de Principe, cap.* 3.*dist.* 2. Adamo Conzeno *lib.* 1. *Doctrinæ civilis, cap.* 25. Petro Laurembergio *in Epitome Politica cap.* 9. *dist.* 15. Johanne Stephano Menochio *lib.* 1. *Hieropolitica, cap.* 6, *dist.* 3. Rationes sunt: (1.) Quia succes-

successio est naturale aliquid, electio verò est aliquid artificiale. Atqui naturale omne est præferendum illi, quod est merum artificiale. Excipit *Arnisæus:* Virtus semper est certior magistra, quàm natura. *Respondeo:* Natura, quam optima educatio adjuvat, non est citra virtutem. Sæpè Electio corrumpitur per indecoram adulationem, suffragia prece precioque extorquentur, Regni census privatorum opibus addicuntur, jura & leges in spem promovendæ familiæ inflectuntur, ut eligatur ille, quem virtutes nullæ ornant. Carolus IV. multa donaria promisit Electoribus Principibus, ut filio suo natu majori Wenceslao acquireret Imperium, cumque solvere non posset, vectigalia publica eis addixit, inde Imperio additus fuit Imperator non satis commodus, atque Imperatoris opes sunt diminutæ perpetuo Imperii malo, Æneas Sylvius *lib. 3. histor. Bohemic.* & nos ex illo in Recensu historiæ universalis *lib. 11. cap. 2. dist. 5. cap. 3. dist. 1.* (2.) Quia Successio continuat imperium, Electio verò interrumpit illud. Atqui quod interrumpit aliquid & ordinem turbat, illud est deterius eo, quod ordinem conservat & prorogat. Excipit *Arnisæus:* Si fœmina adsit, non etiam masculus, oriuntur lites inter agnatos & successores. Et verò cùm filius hæres nondum est ætatis justæ, ubi est continuatio illa? *Respondeo:* Leges Regiæ vel admittunt vel repudiant fœminam, itaque avertunt lites. Hæres minoris ætatis Rex est, & ad juvandum ejus defectum concurrunt Tutores, quorum incorruptæ fidei Regis negocia tutò committuntur. (3.) Quia successio est cum pace, quòd Lege perpetuâ succedat filius natu major: Electio verò obnoxia est periculis dissensionum & discordiæ. *Minori discrimine sumitur Princeps, quàm quæritur,* ait Tacitus *lib. 2. histor.* Exempla sunt in Germania post obitum Friderici II. Rudolphi I. Henrici VII. Maximiliani I. Imperatorum, de quibus omnibus dictum est in Recensu historiæ universalis *lib. 10. cap. 4. dist. 10. lib. 11. cap. 1. dist. 2. cap. 2. dist. 2. lib. 12. cap. 1. dist. 1.* Similia exempla occurrunt in Polonicis rebus post obitum Ludovici, Sigismundi Augusti, Stephani Batoris Regnum, uti diximus *ibid. lib. 18. cap. 1. dist. 2. 8. 9.* Electionis intercisio afflixit olim Mamaluchos, ut civilibus bellis constricti, optimos quosvis milites gladio objicerent, neque deinceps sufficerent prohibendis Turcorum irruptionibus, à quibus exstirpati sunt, uti dictum est *ibidem lib. 22. cap. 2. dist. 2. 3.* Successio potius componit intestinas lites, ne damnum Imperio concilient, quod Turcorum gestæ res sub Osmanne, Mustapha, Ibrahimo ostendunt, uti dictum est *ibidem lib. 20. cap. 2. dist. 21. 22.* (4.) Quia Successio est cum utilitate insigni. Possunt enim illi, qui naturæ jure succedunt, accuratius informari, ut virtutis pariter hæredes optimè administrent Imperium. Excipit *Arnisæus:* Principes negotiorum multitudine prohibentur, quò minus diligenter advertere possint ad filiorum suorum educationem. *Respondeo:* Si ista universaliter vera sunt, unde ergò accipiemus Principes, quos in defunctorum locum subrogemus? An à plebejis & proletariis, quibus ob negociorum inopiam eò melius vacat, ut filios suos rectè educent? Scilicet, raro ita contigisse legitur, & verò nunquam committet pater, quantiscunque curis oneratus, ut filiorum suorum

rum

rum curam negligat. (5.) Quia major est benivolentia amorque inter Regem civem, qui jure sanguinis ad solium pervenit, & subditos, quàm Regem peregrinum atque aliunde genium adductum. Excipit *Arnisæus:* Electio quoque conciliat benivolentiam. *Respondeo:* Imò non conciliat, sed diminuit, quando vitia Regis ejus qui succedit, excusando tolerant omnes, alterius ejus qui eligitur, traducendo augent. Et Reges ipsi civitatis bonum non eo semper, quo nati in gubernacula, studio diligentiâque curant. Suo ipsorum intenti commodo, minus de proroganda in posterum tempus Regni felicitate adnituntur, cujus hæreditatem non hæsuram in suo sanguine verentur. Locatam sibi & commodatam, non datam Rempublicam cogitant, ex qua non quàm diuturnos, sed quàm uberes ipsi dum vivunt, capere possint fructus, laborant. (6.) Quia successio obtinet apud gentes numero plures, dignitate superiores, potentiâ clariores. Soli olim Mamaluchi eligebant, hodiè Germani, Poloni, Ungari eligunt, apud reliquos toto orbe populos succedunt Reges. (7.) Quia successio fuit in populo Dei velut perpetuum unius Principis regimen, *Deuter.* 17. 20. adeoque insignis benificii loco imputat Deus, quòd Regis Davidis familiæ donat jura successionis, 2.*Sam*.7.13.*seqq.Psalm*.2. 6.7.8. *Psalm*.89.4.5. *Psalm*.132.11.12. (8) Quia populi isti, apud quos Electio in precio est, defunctorum Principum filiis hanc gratiam faciunt, ut peregrinis anteferantur, atque ita successionis vel quasi beneficio civilium bellorum occasio tollatur. Poloni familiam Jagellonicam, Dani Oldenburgicam, Germani & Hungari Austriacam præfecerunt Imperiis suis, quamdiu hæres masculus superest, Johannes Herburtus *in Historia Polonica lib.* 12. 13. 14. 15.16.17.18.19.20. Johannes Pontanus *in histor.Dan.lib.*2.*seqq.* Gerhardus de Roo *in Histor.Austr.lib.*1.2.3.4.*seqq.* Caspar Ensius *in Historia Ungar.lib.* 5.6.7.*seqq.*

V. Instat *Arnisæus*: (1.) Docet natura, quòd Imperium dignissimo concedi debeat. Atqui electio quærit dignissimum, successio admittit quemcunque ætatis jura solio donant. Respondeo: *Si rectè constituta sit suffragatio, nullis illaqueata præjudiciis, quis neget, optimum quemque per electionem requiri*, ait Tacitus lib.2.histor. Attamen virtutis excellentia est quidem requisitum necessarium imperantis, sed non est causa principalis Imperii. Frequentissima interregna, æqualium factiones, suffragiorum voluntates contrariæ, inferioris exaltatio, peregrinorum invisæ consuetudines, ab Electione proveniunt, his tamen non oneratur successio, unico majestatis jure absoluto contenta. Electio præscribit conditiones Regi, ut non possit agere quid liceat, sed quid fecisse decebit. *Respondeo*: Rex quatenus succedit, in Leges Regias jurat, adeoque frustrà verearis, Regem electum magis ad servandas conditiones obligari posse. Et quid si Rex electus mutet mores? Verbo: Æquiori animo ferunt Principem cum hominés, quem natura parùm feliciter genuit, quàm alium quem homines malè elegerunt. (3) Eligunt Germani, Hungari, Poloni, magno cum Reipublicæ suæ commodo, & regionum incremento. *Resp.* Utinam non etiam cum Reipublicæ suæ detrimento magno! Quid enim commodi oriatur ab interregnis, factionibus, dissensionibus?

Et

Et ubi sunt illa Hungarorum commoda? Germani postquam elegerunt, dicam audactar, perdiderunt multò plura quàm lucrati sunt. Et verò quis non laudet commoda Gallorum, Hispanorum, Britannorum, Suedorum, Turcorum, ubi Reges succedunt?

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Inauguratione.

SUMMARIA.

1. *Definitio inaugurationis.*
2. *Principis obligatio.*
3. *Ritus in populo Judaico.*
4. *An unctio fuerit apud exteros populos?*

I. *INauguratio est, quâ Princeps solenniter consecratur.*] Tunc verò etiam Princeps à subditis obsequii debitum, præstito ab eis homagio, suscipit, ipse dicto sacramento, repromittit, quòd Imperium justè, piè & fortiter administrare velit. Ritus ille nusquam non gentium receptus, observatur meritò: (1.) Quia Princeps cum authoritate admovetur Imperio suo. (2.) Quia Princeps admonetur officii ejus, quod subditorum bono in se recepit. (3.) Quia subditi erigunturanimis ad obsequium Principi suo cum debita fide præstandum, *Eccl.* 8.2.3. (4.) Quia Princeps coram omnibus accipit solennia Regni, & consecratione publicâ declaratur esse omnibus superior, uno Deo inferior. (5.) Quia Princeps votis publicis vitam & victoriam sibi apprecari audit, ipse vicissim congratulatur subditis, exemplo ejus quod legitur *Psalm.* 118.22.*seq.* ubi *lapis reprobatus*, est Rex David, hactenus à Saulo Rege vexatus, demùm Rex populi factus post obitum Saulis, & magno omnium applausu exceptus. *Benedictus sit qui venit.*] vers. 26. Felix sit Rex à Deo nobis datus. (6.) Quia populus Hebræorum isto modo homagium veluti præstitit Regibus suis, *Josuæ* 1.16.17.*seq.* 2.*Sam.* 5.3. 2.*Reg.* 11.17. 1.*Chron.* 11.3. 2.*Chron.* 23.3. *cap.* 34.31.*seqq.*

II. Nec tamen desinit esse Imperium summum, etiamsi Princeps obstringat sese juramento ad servandas Leges patrias, secus quàm videtur Johanni Bodino *lib.* 1. *de Republica, cap.* 8. Arnisæo *lib.* 1. *de Jure Majestatis, cap.* 6. *num.* 5. Balthasari Conringio *lib.* 1. *Institutionum Politicarum, cap.* 7. *dist.* 16.17. Namque hinc petitur discrimen Regis & Tyranni, ut ille compromittat in Leges, & servet quod promittit, volens enim sequitur, & tanquam deliberatum approbat, quod Majestati non officit. Si invitus sequeretur, Majestati detraheret, quia sic nihil vi propriâ approbaret, sed aliunde, velut jussum, & supra se imperium civile admitteret: Tyrannus verò obligationem negligendo, spernat Leges, atque omnia metiatur è libidine sua. Non desinit supremus esse, quia superiorem agnoscit neminem hominem, itaque Dominatus non minus quàm Regia potestas, apud gentes quasdam obligationes tales permisit. Rex Persarum cum Dominatu præerat, & verò patrias Leges juramento stabiliebat tunc cùm Imperio admovebatur, Xenophon *lib.* 8. *Cyropædiæ*, Diodorus Siculus *lib.* 17. Plutarchus *in vita Themistoclis*, Procopius *lib.* 1. *Persicorum.*

III. Ritus illi, quos adhibebat populus Hebræ-

Hebræorum pro Regibus suis inaugurandis, prolixè describuntur apud Johannem Pinedam *lib.2. de rebus Salomonis cap.5.6.7.8.9.* Adamum Conzenum *lib.7. Doctrinæ civilis cap.1.2.3.* Breviter dicendo, ungebantur, 1.*Sam.*10.1. 2.*Sam.*2.4. *cap.*5.3. 1.*Reg.*1.34.3.*Reg.*9.6.*cap.*11.2. Tradebatur eis in manum liber Legis, 2.*Reg.* 11. 12. Coronâ ornabantur, 2.*Sam.*12.30. 2.*Reg.* 11.12. Solio obaurato imponebantur, 1. *Reg.*1.35.2.*Chron.*23.30. Solennibus votis proclamabantur, 1.*Sam.*10.24. 1.*Reg.*1. 39.2.*Reg.*11.12. Hastam ferebant manu, quæ sceptri instar erat, 1.*Sam.*18.10.*cap.* 19.9.*cap.*20.33.*cap.*26.11. De populorum aliorum Regibus, qui hastas pro sceptris ferebant, referunt Justinus *lib.*43.*histor.* Cœlius Rhodiginus *lib.*11.*Antiquarum Lectionum cap.* 49. & adde nostrum Recensum Antiquitatum Romanarum *lib.* 1.*cap.*3.*dist.*5. Quibus ritibus Imperatores Romani fuerint inaugurati, prolixè describit Julius Cæsar Bulengerus *lib.2. de Imperatore Romano cap.*1.2.3.4.5.

IV. Quæritur: *An populi reliqui Orientis Reges suos unxerint oleo, secuti morem Ebræorum?* Respondeo: Affirmant Caspar Sanctius *Commentariis ad libros Samuelis pag.*192. Cornelius à Lapide *Commentariis ad lib.*1.*Samuelis cap.* 10. Serarius *Commentario ad librum Judicum cap.* 9. *quæst.* 10. Salianus *in Annalibus sacris Tom.*3.*pag.* 105.106. Conzenus *lib.*7.*Doctrinæ Politicæ cap.*3.*sect.*1. Rationes proferunt: (1.) Quòd Abimelech unctus est à Sichemitis in Regem, proinde Jotham dicebat, convenisse arbores, ut Regem ungerent, *Judic.*9. 8. (2.) Quòd Rex Syriæ ungebatur ab Elisa Propheta, 1.*Reg.*19.15. scilicet è prisco ritu, quando novum ritum apud eos Deus instituere noluit. (3.) Quòd Cyrus Persiæ Rex vocatur Unctus Domini, Esaiæ 45. 1. *Respondeo:* (1.) Non legitur, Abimelechum esse unctum, & verò liber Judicum seriori ævo descriptus, inque Historiæ formam redactus est, quando Reges solebant ungi. Itaque loquitur Authot velut προληπτικῶς, & secundùm ævi sui consuetudinem. (2.) Est factum singulare, neque Deus ita morem novum introduxit. Noverant populi isti Hebræorum ritus, & Prophetas eorum credebant esse tales, quibus de voluntate Numinis constaret liquidò, uti patet 2 *Reg.*5.3.*seq.cap.*6.12.*cap.*8.7.*seqq.*2.*Chronic.*35.21. Permittebant, ut fieret semel quod nunquam imitati sunt faciendo. (2.) καταχρηστικῶς, ut populari modo appellandi *Unctus Domini* esset, qui Dei nomine potestatem habebat in populo suo. Consimiliter Abraham, Isaac, Jacob erant Uncti Domini, *Psalm.*105.15. Scilicet quia erant Regum æquales, nec tamen uspiam legitur, oleo inunctos fuisse. Regum æquales fuisse, constat *Gen.*14.14. *cap.*23.6. Abraham Regis nomine vocatur apud Justinum *lib.* 36.*histor.* Hoc certum est, non inveniri aliquid in Annalibus gentium, unde constet, Unctionis ritum ab illis receptum fuisse, uti quoque notavit Rabaunus Maurus *in Glossa Ordinaria ad Esaiæ* 45.1.

CAPUT VIGESIMUM.

Diatriba singularis de natura populorum.

SUMMARIA.

1. *Adam progenitor omnium hominum.*
2. *Solvuntur contrariæ rationes.*

3. *Diluvium universale.*
4. *Ordo filiorum Noha.*
5. *Jupiter Hammon.*
6. *Semus primogenitus.*
7. *Septentrionales populi.*
8. *Meridionales populi.*
9. *Temperata provincia.*
10. *Locus Averni.*
11. *Migratio in Americam.*
12.13. *America incognita.*
14. *Solvuntur rationes.*
15. *Navigatio Ophiritica.*
16. *Ophir non est America.*
17.18. *Origo Americanorum.*
19. *Bestia in America.*
20. *Color Æthiopum.*
21. *Hominum generatio.*
22. *Origines Italica.*
23. *Gotti, Franci, Vandali.*
24. *Palæstina.*
25. *Imperium Babilonicum.*
26. *Civitas Babilon.*
27. *Lingua primæva.*
28. *Lingua Hebræa.*
29. *Hercules Phœnicius.*
30. *Abraham Ebræus.*
31. *Solvuntur instantiæ.*
32. *Linguæ exoletæ.*

I. DEscribemus à Besoldo quæ ad hoc negocium pertinere videntur, & notis illustrabimus. Sic verò ille: *Omnium primò qualis naturâ populus sit, cui imperatur, ab eo, qui vel Rempublicam administrare, vel de rebus politicis judicare velit, cognoscendum est.*] lib. 1. Doctrinæ Politicæ cap. 11. dist. 1. Novus Prometheus è Gallia Isaac Peirerius, editis nuper opusculis asserebat summo animi studio, quòd ante Adamum seculis multis vixerint homines in orbe dudum à Deo conditi, antequam hic terræ glebâ formatus, connubio jungeretur Evæ, progeniturus haut quidem mortales omnes, sed tantùm aliquos, videlicet Judæos, Palæstinæ incolas, cum quibus deinde fœdus inivit Deus, & peculiarem sibi populum effecit, *Exercitatione de Præadamitis, cap. 8. & lib. 2. Systematis Theologici, cap. 10. lib. 3. cap. 1. 2. 3.* Nos verò hoc negamus, & Adamum constanter asserimus esse primum in orbe hominem, eumque progenitorem credimus esse omnium hominum, quicunque ab orbe condito vixerunt hactenus, vivunt nunc, vivent in omnibus terræ partibus usque, donec visum fuerit Deo finem imponere mortalium rebus hujus seculi, ac dare æternitatem sequuturo ævo. Argumenta nostra sunt hæc cumprimis: (1.) Quia disertè ait Moses, quòd unum fuerit opus Creationis, ac tale quidem, ut uno opere isto perfecti sint cœli terræque exercitus, deinde requieverit Deus ab omni opere suo, quod fecerat, *Gen. 2. 1. 2. 3.* Ergò non debet statui creatio duplex, multò minus Adami creatio millibus annorum separari à creatione prima, quacum arctè & immediatè connectitur, *Gen. 1. 26. 27. 28. 29. cap. 2. 5. 6. 7. 15. 16. 18. 19. 20. cap. 5. 1. 2. Marc. 10. 6. seq.* (2.) Quia Eva dicitur esse mater viventium omnium, *Gen. 3. 23.* nimirum, quia ipsa communis hominum omnium mater, in conjugio cum Adamo, primo hominum omnium patre, vitam hominibus omnibus multiplicatione ordinariâ dedit. (3.) Quia testatur Paulus, quòd Deus ex uno sanguine fecerit universum genus humanum per totum orbem, *Actor. 17. 26.* Excipit *Peirerius*: Dicere Paulum, nos esse proge-

progeniem Dei, non verò Adami. *Respondeo*: Eam ob causam homines omnes sunt progenies Dei, quòd homines omnes ex uno Adami sanguine fecerit, atque ex eodem luto in Adamo formaverit. Ergò sanguis ille unus est ex Adamo & Eva, quatenus hæc ab illo veluti transsumpta, atque eidem per generationis opus iterum unita, principium unum efficit, à quo derivantur non Judæi tantùm, sed quoque homines omnes per totum orbem dispersim viventes, *Gen.*2.21.22.23.24. Atque hoc confirmatur eò validius, quando constat satis, Noachum certissimæ originis ab Adamo, propagavisse à se homines omnes ab exacto diluvio quaquaversus per orbem agentes, *Genes.*10.1.2.*seq. cap.*11.4.5.6.7.8. (4.) Quia omnes homines dicuntur morti obnoxii facti esse, propter unum Adamum, in quo peccaverint omnes, *Rom.* 5.12.19. Adamum, inquam, qui solus & unus hominum omnium mortis legibus constrictorum pater est, de terræ gleba formatus, 1.*Cor.*15.22.45.46.47.48.49. Nec verò soli Judæi moriuntur, uti experientia docet.

II. Excipit *Peirerius*: (1.) Nisi plures simul homines in quacunque orbis parte fuissent conditi, per immensum temporis spacium in plurimis regionibus frustrà germinavissent herbæ, arbores, olera, frustrà egissent pecora campi. *Respondeo*: Frustrà non erat, quod secundùm inditas sibi à Deo & natura vires agebat. Satis erat, quòd sibi similia producerent, seque conservando, ornarent orbem. Quot hodienum pereunt femina, etiam in percultis agris? Quot agri non satis perculti apud feros Barbaros ante seculum erant, & adhuc sunt? Si non omnia erant propter hominem, erant sanè propter Deum, & sic frustrà fuisse, quis dicat? (2.) Verebatur Cainus, ne occideretur ab illis, qui eum invenirent, *Genes.*4.14. Ergò aderant jam tum homines extra familiam Adami nati, à quibus hoc ei periculum imminere poterat. *Respondeo*: Est dictum hominis ob facinus patratum animo anxii, quando noverat plures fratres in domo Adami natos, plures nascituros esse, suos quoque posteros citra dubium esse aliquos. Ab omnibus illis jure timebat sibi. (3.) Cainus profugus habitavit in partibus Arabiæ, non quidem desertis, verùm in consortio hominum aliorum. *Respondeo*: Si qui homines locis iis habitabant ante ipsum, ab Adamo non fuisse ortos, quomodo probabit? (4.) Caini uxor non erat de familia Adami. *Respondeo*: Erat sanè, & non poterat aliter esse sub initio mundi. Sororem duxit conjugem, & retinuit exsilii comitem, quando aliunde uxorem petere haud licebat. (5.) Adamus habuit multarum rerum exactam cognitionem, sed unde, nisi à magistris, & quidem illo prioribus? *Respondeo*: Habuit à Deo & Geniis bonis, quibuscum familiariter conversando, multa occultioris indaginis percepit, ac porrò filios suos docuit (6.) Gentes mundi obiverunt mortem è primi ortus lege, quo ceperunt produci è materia corruptibili. *Respondeo*: Ergò bestiis accenseantur, non verò hominibus, quos ad imaginem suam produxit Deus immortales & incorruptibiles, *Gen.*1.26.27. (7.) Soli Judæi, Palæstinæ incolæ, à diluvio vastati sunt, & superstes mansit Noah, qui per tres filios suos propagavit novos Judæos, Palæstinæ habitatores. *Respondeo*: Si tantùm obruebantur

bantur Palæſtinæ incolæ à diluvio, quomodo verum eſt illud, *finis omnis carnis venit coram me?* Gen. 6.13.17. cap. 7. 4.21.22.23. Certum igitur eſt, maximam partem Aſiæ diluvio inundatam eſſe, nam hæc tunc temporis habitabatur, ut dicemus *infrà diſt.* 3. Nec ſolius Palæſtinæ incolæ oriundi ſunt à Noacho. Verba manifeſta docent aliter: *Ab his diviſæ ſunt poſteà regiones gentium per terras earum*, Gen. 10.5. Gentium dicit, & mox enumerat colonias per Aſiam, Africam, Europam diſperſas, uti accuratè diſſerunt Franciſcus Junius *notis ad h. l.* Paulus Merula *part.* 1. *Geographiæ univerſalis lib.* 3. *cap.* 14. Benedictus Pererius *lib.* 15. *Commentariorum ad Geneſim pag.* 399. *ſeqq.* Samuel Bochartes *lib.* 1. 2. 3. *Gegraphiæ ſacræ*, Hugo Grotius *notatis ad lib.* 1. *de Veritate Religionis Chriſtianæ pag.* 194. *ſeqq.* (8) Adamus accepit veſtes pelliceas, quas indueret, *Gen.* 3.21. Ergò ante eum in gentibus aliis fuerunt coriarii, alutarii, pelliones. *Reſpondeo*: Nullus erat veſtium uſus, antequam laberetur Adamus, *Gen.* 2.25. *cap.* 3.7. Ergò nec veſtium concinnatores in orbe erant. Veſtes, quas induebat Adamus poſt lapſum, confecit ipſe pro notitia ea, quæ animo ejus à Deo indita fuerat, ut impoſterum ſciret quocunque modo reſarcire jacturam horum, quæ perdiderat. Certè quòd congenitam habuerit rerum notitiam, vel in præſenti negocio conſtat, dum confecit amicula è ficuum foliis, *Gen.* 3 7. Quod ruditer primò conſarcinavit, melius deinde efformavit.

III. Pergit Beſoldus: *Ingenium autem & ſtudia hominum à ſitu ſedéq; regionis præcipuè formantur, ac pro locorum diverſitate mutantur.*] l. d. diſt. 2. Non ſuffragamur illis, qui diluvium Noëticum adeò maximum fuiſſe cenſent, cum Samuele Mareſio *diſput.* 7. *adverſus Præ-Adamitas*, Philippo de Prieur *Animadverſionibus in librum de Præ-Adamitis pag.* 70. 71. Chriſt. Scotano *part.* 2. *Commentariorum ad Sulpicium Severum pag.* 168. 169. Georgio Hornio *libro de vera ætate mundi cap.* 13. & *in notis ad Sulpitium Severum pag.* 15. 16. Johanne Pythio *in Reſponſione Exetaſtica adverſus Præ-Adamitas lib.* 1. *cap.* 30. 31. *ſeq.* ut orbem totum inundaverit. Aſiæ partem illam quæ tunc habitabatur, obruiſſe credimus, & verò ſi regiones ad habitandum commodæ fuerunt olim, ubi nunc ſunt maria, id particulares aliorum locorum inundationes fuiſſe aliquando probat, non verò totum orbem aquis demerſum, evincit, uti nobiſcum ſtatuit Iſaacus Voſſius *libro de vera ætate mundi cap.* 12. & *in Epiſtola ad Andream Colvium Dodracenum.* Inſtat *Mareſius*: (1.) Omnis caro viam ſuam corruperat, adeoque nemo viventium evaſit adverſus aquas diluvii, Gen. 6.11.12. *Reſpondeo*: Nemo hominum evaſit quidem, ſed tunc ævi præter maximam Aſiæ partem non erat habitatus orbis, & proinde omnes perierunt aquis diluvii, non tamen orbis totus demerſus fuit. (2.) Si diluvium non erat univerſale, quare Noah fabricavit arcam tanto cum labore, & non potius abiit in vicinas terras, quod minori operâ fieri poterat? Quare aves & quadrupedia ad ſe congregavit, neque hæc potius in vicinas terras abiverunt, ubi contra aquarum impetum defendi potuerunt? *Reſpondeo*: Voluit Deus iſto facto docere impios, quid certo certius accidere poſſet, niſi maturè pœnitentiam agerent. Scilicet, quia verbis fidem non dabant,

ergò facti aliquid addere debuit, idque erat hoc, ut arcam in ipsorum conspectu fabricaret. Quòdque animantia eò colligebat, finis erat idem, ut pertinaces emolliret. De arca Nohæ & dimensione ejus copiosè disserit Johannes Bodinus Delphinas *peculiari libro*, ut animalia omnia in ista collocata ordinatè collocentur. Sed non opus est tantum operæ impendere, quando certum est, quòd è vicinis terris accurrerint quædam animantia, crescentibus subinde aquis, non verò etiam toto orbe. (3.) Moses expressè dicit, periisse quicquid erat hominum & brutorum de terra, exceptis illis, qui cum Noha in arca fluctuabant, ideoque rupti sunt fontes abyssi magnæ, id est, aquæ nubium destillabant, aquæ Oceani effractis repagulis omnibus, incumbebant mundo, ut super altissimos montes eminerent, *Gen. 6.17. cap. 7.11.18.19.20.21.22.* Ad partem orbis obruendam non erat opus, tantam vim aquarum cogere. *Respondeo*: Imò opus erat, ut tanta vis aquarum cogeretur, quando non exigua orbis pars est Asiæ, & illa quidem aquis impleri debuit ad altitudinem istam, ut montes operirentur, quòd uti Dei clementia maxima apparuerat in admonendis improbis, ita non minor iracundia exstitit adversus eosdem, quando nolebant corrigi; perinde uti cum Sodomitis deinceps egit, *Gen. 19.24. Deut. 32.22.* (4.) Promittit Deus, quòd nolit orbem vice alterâ diluvio inundare, vel animantia omnia exstirpare, vel naturæ ordinem turbare, *Gen. 8.21.22.* Fuerat ergò prior clades illa universalis, & totum naturæ ordinem intervertit. Particulares verò eluviones quoque fuerunt alibi gentium. *Respondeo*: Universale diluvium fuit, quatenus animantia omnia exstirpata sunt unà cum homine, neque opus est, ut super orbem totum inducatur. Itaque fuit naturæ ordo mutatus, quando homo naturæ compendium ad pauciores redigebatur, bestiæ verò, quæ obscuris locis apud Antipodas errabant, non curabantur admodum, quia non vivebat ibi homo, propter quem delerentur. Particulares eluviones fuerunt loci ratione, sed non erant tales, quæ omnes homines ubique terrarum peremerunt. (5.) Deus benedicit Nohæ & posteris ejus, verbis usus, quibus homini benedixerat in prima rerum origine, *Gen. 9.1.* quòd eos non minus quàm istos mitteret in sedes vacuas & in incolis prorsus destitutas. Scilicet diluvium hoc universale fuit. *Respondeo*: De hominibus non negatur, periisse omnes: De bestiis constat, quòd paucæ illæ, quæ apud Antipodas inque desertis Europæ, Africæque terris vagabantur, non opus erat, ut colligerentur, quia non erat causa, ob quam exstirparentur. Non habitabant ibi homines, adeoque novi aliquid circa illa fieri haut debuit, *Gen. 10.1.2. seqq.* ostendit, populos omnes toto terrarum orbe distributos, fuisse oriundos è Nohæ posteris. *Respondeo*: Hoc certum est, quòd homines omnes perierint, & quicunque hodiè supersunt, à Noachi familia descenderint, sed quòd orbis totus aquis fuerit obrutus, falsum est. (7.) Testantur novi fœderis loca manifesta, quòd diluvium merserit omnes homines, *Matth. 24.37. seq. Ebr. 11.7. 1. Petr. 3.20. 2. Petr. 3.6.7.* Id verò ad paucos Asiæ incolas restringi non potest. *Respondeo*: Atqui partes Asiæ tunc temporis habitabantur solùm. Quorsum egò eò velle derivare aquas, ubi non erant homines, qui submergerentur? (8.) Nulla ferè gens super-

ſupereſt, quæ non habeat memoriam diluvii hujus. Retulerunt de illo Beroſus, Abydenus, Plutarchus, Lucianus, Damaſcenus, Apollodorus, uti nos docent Euſebius *lib. 9. de Præparat. Evangel. cap.* 12. *&* 19. Joſephus *lib.* 14. *Antiquitatum cap.* 4. *& lib.* 1. *contra Appionem.* Fuit quoque memoria ejus in America, uti Hiſpani teſtantur apud Joſephum Acoſtam *lib.* 1. *Hiſtoriæ Indicæ cap.* 25. Plinius dicit, Joppen urbem Phœnicum, fuiſſe terrarum inundatione antiquiorem, lib. 5. hiſtor. natur. cap. 13. *Reſpondeo:* Diluvium fuiſſe, nemo negat, an de iſto diluvio, quod Nohæ temporibus erat, loquantur omnes, dubium non leve eſt. Fuerunt enim particulares eluviones ſub Ogyge, Phoroneo, Deucalione, Dardano, Prometheo, in partibus Europæ atque Aſiæ. Et verò apud Americanos eſſe poterat de univerſali illo memoria aliqua, quando Phœnices multa noverant de Jano priſco, uti dicemus *lib.* 2. *cap.* 17. *diſt.* 2. Phœnices fuerunt, qui primi orbem novum incoluerunt. Attamen de particulari diluvio, quod Americanos tantùm vaſtavit, exponit Acoſta, & conſentit Georgius Hornius *lib.* 2. *de Origine Americanorum cap.* 6. (9.) Neque filiorum Noæ nomina, qualia referuntur à Moſe, tàm latè per orbem propagata fuiſſent, niſi illi orbem terrarum inter ſe partiti eſſent, hic gentis humanæ reparator eſſet. Itaque Latini multa de Semo dicunt: *An tibi Semo pater, tu mihi Saucus eris*, ait Ovidius. Cham eſt Hammon, & Japhet eſt Japetus. Noah ipſe Janus eſt, *διπρόσωπος*. *Reſpondeo:* Fuiſſe omnes homines ab iſtis ortos, non inficiamur. Quæ de Semo immiſcet Mareſius, non probamus. Semo ille Hercules eſt, uti diximus *lib.* 1. *Antiquit. Roman. cap.* 3. *diſt.* 2. De reliquis erit *infrà diſt.* 5. *& alibi.* Proinde non approbamus eorum ſententiam, q[illegible] totum orbem, Antipodes quoque, ita aqu[illegible] involutum fuiſſe exiſtimant, ut nulla pro[illegible] ſum exſtaret ejus portio. Ad hoc effici[illegible] dum, multa debuiſſent concurrere mirac[illegible] la. Cùm enim univerſæ Oceani aquæ no[illegible] ſufficiant ad obruendam ita altè terram, [illegible] iamſi omnia maria ſiccentur, debuiſſen[illegible] plures aquæ creari, vel dicendum eſt cu[illegible] aliquibus, iſtam aquarum molem ex i[illegible] menſis ultra cœlum ſtelliferum gurgitib[illegible] præcipitem decidiſſe, ac denuò finito dil[illegible] vio, ad ſedes ſuas revolaſſe. Neutrum ve[illegible] tati conſentit. Non prius, quia nullas aqu[illegible] de novo produxit Deus, ſed pluvias & Oc[illegible] anum pro immittendo diluvio adhibui[illegible] *Gen.* 7. 4. 11. 12. 17. 18. 19. 20. *cap.* 8. 1. 2. [illegible] 7. 13. 14. Non poſterius, quia tales aquæ ſu[illegible] pra cœlos ſtellatos evectæ, nuſquam ſun[illegible] niſi in hominum quorundam cerebro, [illegible] contra Bodinum diſſeruimus libro de Cre[illegible] tione *Exercitat.* 13. *diſt.* 2. 1. Regerit *H*[illegible] *nius:* Quis aquas defuiſſe credat ad obru[illegible] dum terræ globum, poſtquam catara[illegible] cœli ſeſe aperuerunt? Et annon in prima r[illegible] rum creatione terra aquis obruta fuit, qu[illegible] aquæ poſteà diviſæ in terreſtres & cœle[illegible] inferiores & ſuperiores, in diluvio iter[illegible] conjunctæ fuerunt, donec montes altiſſi[illegible] mos quindecim cubitis ſuperarent. *Reſpon*[illegible] *deo:* In prima rerum origine, cùm omni[illegible] pondere agebantur, & unumquodque Ele[illegible] mentum obtineret ſitum atque locum na[illegible] turalem, neceſſariò terra uti gravior, it[illegible] quoque depreſſior fuit præ aquis. Quia ve[illegible] rò terra perfectè rotunda erat, hinc manifeſtum eſt, quòd vel minima aquæ portio ſufficiebat ad terram inundandam. Deinde cùm terra hactenus informis cepit habere valles & montes, aliter fuit, namque tertio

die

die factum est ut terra nudaretur, ut montes eminerent, ut valles subsiderent, *Gen.* 1. 9. 10. *Psalm.* 104. 5. 6. 7. 8. 9. Neque tunc aquæ istæ sufficiebant ad obruendam terræ universæ faciem, ut quindecim cubitis suprà montes altissimos eminerent. Frustrà ergò est, cùm pergit *Hornius*: Non est causa quare debuissent plures aquæ creari, quàm productæ fuerant initio, cùm tota terra erat aquis immersa, & quæ posteà in cœlestes & terrestres alveos velut thesauros congestæ sunt, unde iterum pro beneplacito Creatoris vel ad præmium, vel ad pœnam humani generis effunderentur. *Scilicet*, causa est, quòd multum distet terræ globus informis à terra formata. Ad hanc obruendam requirebantur aquæ immensæ, & quantam copiam haud ferat natura, ad illam paucæ ita satis erant, ut facies terræ ad modicam altitudinem operiretur.

IV. Pergit Bodinus: *Qui frigida Septentrionis loca inhabitant, illi quidem animosi existunt.*] dist. 3. Primo hominum à diluvio magno colonia fuit in Armenia & Gordiene, itaque sacræ literæ dicunt, arcam requievisse in montanis Ararath, *Gen.* 8. 4. Montes Cardu vocant Josephus, Chaldæus Onkelos, Arabs Paraphrasta. Gordiæos appellant Curtius, Ptolomæus, Strabo, ubi Armeniam majorem describunt, eisque adde Nicolaum Fullerum *lib.* 1. *Miscellan. cap.* 4. Reliquias arcæ in montis ejus apice deprehensas abstulit demum Omar Califa, & pro tabulato Meskitæ sive delubri à sese exstructi adhibuit, uti refert Benjamin Tudelensis in מסעות ר׳ *pag.* 61. & quæ *in notis ad h. l.* monet Constantinus Lempereur *pag.* 181. Postquam auctum magnâ sobole, & multiplicatum fuisset genus humanum, discesserunt ab invicem, & quicunq; hactenus unà habitaverant, diversas & procul sitas regiones occupaverunt. Secundùm numerum filiorum Noæ, distributio orbis veteris facta est, namque orbis novus cepit serius habitari, uti dicemus *infrà dist.* 17. 18. Semus obtinuit Asiæ partem maximam, id est, quicquid terrarum ab Hellesponto ad Indiam usque situm est. Chamus ab Euphrate porrectam Arabiam totam, Palæstinam, & torridæ Asiæ regiones acquisivit. Omnium amplissimas sedes Japhetus habuit, quicquid supra Assyrios in Septentrionem Asiæ excurrit, atque omnes Europæ agros complexus, uti prosequitur Torniellus *in Annalibus sacris Tom.* 1. *pag.* 130. *seqq.* Nos Josephum *lib.* 1. *Antiquit. cap.* 7. & Rabbinum Abraham Salmanticensem *in* ספר יוחסין *fol.* 136. secuti, ordine enumerabimus populos. Dicit ille à גמר esse γ μαρεῖς Galatas, ubi oppidum Gomara est Plinio, Comari populi Melæ *lib.* 1. Ex מגוג Scythas, à quibus condita est Scythopolis in Syria, & altera urbs Magoga Plinio *lib.* 5. *cap.* 23. aliis dicta Hierapolis, ubi colebatur Dea Atergatis, quam Astarten vocat Scriptura. Scythæ progressi inde ad superiorem Asiam, condiderunt Nomadum gentem latissimam, quos nunc vocamus Tattaros, & Tattarorum pars sunt Chinæ incolæ, Plinio, Solino, Virgilio, Pomponio Melæ appellati Seres. A מדי Medos esse apparet, ab יון Jonas omnesque Græciæ incolas, qui colonias in Asiam traduxerunt, ut diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 1. *cap.* 7. *dist.* 1. Itaque Alexander Magnus & Rex Javan, *Dan.* 8. 21. quia futurus erat dominus Græciæ & omnis tractus littoralis, unde idem venturus esse prædicitur ex Cethim, *Numer.* 24. 24. de quo loco est *suprà cap.* 16. *dist.* 1. Mancipia ex Javan, id est, Græcia & Jonica venalia prostitisse

Tyri, narrat *Ezechiel cap.* 27.13. Erant enim illa toto Oriente in maximo precio, Heliodorus *lib.* 7. & 8. A תבל sunt Iberi Asiæ, in quorum vicinia Thabilacam urbem, vetustæ originis vestigia servantem, collocat Ptolomæus. A משך sunt Cappadoces, quorum præcipua urbs Cæsaria vocabatur Mazaca, Strabo *lib.* 12. Moschinæos in oris illis ponit *Mela lib.* 1. *cap.* 21. Mazaces & Moschynos, Plinius *lib.* 6. *cap.* 3. Moschios montes & populos Ptolomæus. A תירס sunt Thraces, quorum pars ad Hæmum montem sunt Θράυσοι populi, uti commemorat Herodotus *lib.* 5. Eorum traduces sunt Rossi, Finnones, Lappones maximo tractu barbaræ gentes, à Tanai fluvio ad mare Hyperboreum, nunc cultos, nunc incultos agros habitando. Nec non Alani, Bastarni, Peucini, Gepidæ, qui ad Boristhenem & Vistulam sitos agros occupaverunt. Ab אשכנז sunt Ascanii, quos Homerus memorat in Phrygia & Mysia, nec non Strabo *lib.* 12. Plinius *lib.* 5. *cap.* 30. 31. 32. Horum propago sunt omnes nationes Germanicæ, à Ponto Euxino adusque mare glaciale, inque Boreali Oceano, extensæ. A ריפת sunt Paphlagones, quibus locis Riphaces, memorat Pomponius Mela *lib.* 1. atque horum posteri sunt ad Pontum Euxinum gentes prædatrices. A תוגרמה sunt Phryges & vicinæ gentes per Asiam minorem. Ab אלישה sunt Æoles, novis coloniis ex Peloponesi regione Elide aucti, purpuræ negotiationibus celebres, *Ezech.* 27.7. Plinius *lib.* 9. *cap.* 36. Horatius *lib.* 2. *Oda* 18. A תרשיש sunt Cilices & ultramarini populi, Hispani, Celtæ, Britones. A כתים sunt Cypriotæ & Insulani alii, Cretes, horumque propago Macedones, Itali, ut dicemus *infrà dist.* 22. A רודנים sunt Dores, & propago horum Rhodienses. Addit Samuel Bochardus *part.* 1. *Geographiæ sacræ lib.* 3. *cap.* 6. quòd posteri ejus in Gallia appulerint, ubi est fluvius Rhodanus. Verùm, nos Gallos arbitramur esse originis Celticæ, quos progeneravit Tharsis. Neque etiam Rhodanus fluvius dictus est à רודנים, sed à Rhoda oppido, quod à Rhodiis conditum est, in regione Volcarum Tectosagum, unde exivit colonia, & fluvio nomen suúm indidit, Plinius *lib.* 3. *cap.* 4. Strabo *lib.* 14. *Geographiæ*, Livius *lib.* 34. *histor.* Hactenus familia Japheti, *Gen.* 10.2.3 4.5.1. *Paralip.* 1.5.6.7. Sequitur Chami. A כוש Æthiopes Chusæi & sibimet ipsis & vicinis, ut Josephi tempore, ita & nunc vocantur, itaque & fluvius apud Ptolomæum, & apud Geographum Arabem urbes Æthiopiæ duæ nomen retinent. Cæterùm primo tempore habitaverunt Arabiam, indè Arabum nationes illæ, quæ prope mare Rubrum sitæ erant, Chusæi nominantur passim, *Num.* 12. 1. *Job* 28.19. quibus Samuel Bochardus *part.* 1. *Geographiæ sacræ lib.* 4. *cap.* 2. addit loca 2. *Reg.* 19. 9. *Esa* 20.4.5. Verùm non rectè. Agitur enim locis iis de Tearkos Rege, qui è Libia profectus, auxilio veniebat Ægyptiis adversus Regem Assyriorum. Pariter à מצרים Mesori sibi ipsis & accolis ii, qui Græcis sunt Ægyptii. Verè & hoc Josephus, à פוט esse Nigritas, itaque Phut amnis est in Mauritania, Plinius *lib.* 5. *cap.* 1. Est non procul ab urbe Fessa, manente nunc etiam vocabulo. Porrò, qui Mosi est כנען, is contractius Sanchuniathoni, & ex eo Philoni Biblio est Χνᾶ, invenies id apud Eusebium *lib.* 1. *Præparat. Evangel. cap.* 10. Et terra ipsa sic dicta. Stephanus *de urbibus*,

Χνᾶ

χνᾶ ὅτως ἡ φοινίκη καλεῖται, *Chna sic appellatur Phœnicia.* Et tantùm de familia Chami, *Gen.*10.6.7.13.14.15.16.17.18.19.1. *Paral.*1.8.9.11.12.13.14.15.16. Superest familia Semi. Ergò ab עילם sunt Elymæi Medis contermini apud Strabonem *lib.* 16. Plinium *lib.* 5. *histor. natur. cap.* 26.27. Livium *lib.* 36. Itaque passim in literis sacris conjunguntur, *Esa.* 21.2. *Jerem.* 25.25. *Actor.* 2.9. Estque celebre templum Veneris Elymææ, quod Antiochus spoliare volebat, 1. *Macc.* 6.2. Ab אשור Assyrii noti omnibus, eorumque vicini Chaldæi, quos Samuel Bochardus *part.* 1. *Geographiæ sacræ lib.* 2 *cap.* 4. falsò derivat à כשד filio Nachor fratris Abrahami, *Gen.* 22.22. Erant enim Chaldæi, antequam Chased nasceretur, *Gen.* 11.31. A לוד sunt Lydi, omnium in Asia populorum splendidissimi. Ab ארם in hunc diem semet appellant, qui Græcis ab urbe צור Syri, ἀρίμυς nominat Homerus *lib.* 2. *Iliad. vers.* 783. & Syriam ipsam intelligit. Strabo, τὺς γὰρ ὑφ' ὑμῶν σύρυς καλυμένυς ὑπ' αὐτῶν τῶν σύρων ἀραμμαίυς καλεῖσθαι, nam qui à nobis dicuntur Syri, eos ab ipsis Syris dici Arammæos, *lib.* 13. *Geographiæ.* Cùmque latius habitare cepissent in vicinis montibus, Armeniam denominaverunt, quæ est מני *Jerem.* 51.27. ubi Chaldæus vertit חרמיני, itaque Armenos & Syros πολλὴν ὁμοφυλίαν ἐμφαίνειν κατά τε τὴν διάλεκτον, καὶ τὺς βίυς, καὶ τῶν σωμάτων χαρακτῆρας, retulit Strabo *lib.* 1. *Geographiæ.* Ab עוץ est Ausanitis regio, nomine Trachonitidos celebris deinde, pars Comagenes. Ab חול sunt Palmyreni ad Euphratem, ubi Ptolomæus urbem Chollas ponit. A גתר Gindarus urbs apud Ptolomæum, & populus Gindareni in Cœle-Syria, Plinius *lib.* 5. *cap.* 23. A מש est Masius mons, non procul Nisibi, apud Strabonem *lib.* 11. & Ptolomæum *in Mesopotamia.* A יקטן sunt Gedrosiæ, Susianæ, Indiæ, & ultrà sitarum Orientis regionum incolæ, quod docent nomina Seba, Ophir, Chavila, *Gen.* 10.22.23.24.25.26.27.28.29. 1. *Paral.* 1.17.18.19.20.21.22.23.

V. Tres illos generis humani proavos celebrant quoque Scriptores profani. יפת est Japetus, de quo meminerunt Ovidius *lib.* 1. *Metamorph.* Virgilius *lib.* 1. *Georg.* Silius Italicus *lib.* 12. Valerius Flaccus *lib.* 1. *Argonaut.* Semi vestigium est in nomine Sambethæ, quæ una Sibyllarum fuit. Chamus est Hammon, non Libyum tantùm, sed & multarum aliarum gentium pater consecratus ab ipsis in Jovis stellam. Apud Ægyptios No Ammon, urbs populosa & magna ad Nilum condita, quam Sennacheribus (uti rectè docet Jacobus Usserius *Tom.* 1. *Annal. sacror. pag.* 103. evertit, tempore illo, quo Sethon Ægypto præerat, *Jerem.* 46.25. *Ezech.* 13.15. *Nahum.* 3.8. נו אמון est διόσπολις, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 1. *cap.* 3. *dist.* 2. Quæ enim Johannes Tarnovius *Commentariis ad h. l. pag.* 54. sequutus Johannem Drusium & Riberam, annotat *de Alexandria eversa per Nabuchodonosorem*, illa, inquam, procul à vero deviant, quandoquidem Alexandria tunc ævi nondum condita erat. Et verò addit Propheta, Æthiopiam, Phutæos, Libyas auxilio ivisse urbi isti, *Nahum.* 3.9.10. Quæ non pertinent ad Nabuchodonosorem Chaldæum. Evertit enim Sennacheribus, frustraque accurrebat Tearkos Chusæus, ut hostes pelleret, ergò victus prælio, magnam exercitus sui jacturam fecit, quam Esaias *cap.* 18.1.2.3.4.5.6. prædixerat. Idque no-

tetur adversus Bochardum *part.* 1. *Geographiæ sacræ lib.* 1. *cap.* 1. ubi incassum laborat, ut Nahumi verba ad Nabuchodonosarum applicet. Diospolin commemorant Strabo *lib.* 17. *Geograph.* Plinius *lib.* 5. *cap.* 9. Arrianus *in Periplo Maris Rubri.* Cæterùm de Hammone Lucianus lib. 9. *Quamvis Æthiopum populis Arabumq; beatis gentibus, atque Indis unus sit Jupiter Ammon.* Inscriptio *Romana*: Jovi. Hammoni. &. Silvano. P. Stertinius. Quartus. D. D. Gruterus *in Volumine pag.* 21. Petrus Appianus *in Collectaneis pag.* 316. Jovem Arietinum vocat Aulus Gellius *lib.* 3. *cap.* 3. scilicet quia specie arietis cornigeri nonnunquam apparebat. *Lucanus:* Ventum erat ad templum Libycis quod gentibus unum Inculti Garamantes habent, stat corniger illic Jupiter, ut memorant, sed non ut fulmina vibrans, Aut similis nostro, sed tortis cornibus Ammon, *l.d.* Apud Garamantes collocat, quod in Cyrenaica situm erat. Nummos cum imagine Jovis Ammonis excuderunt Cæsares Romani, Domitianus, Nerva, Alexander Severus, uti monstrant Antonius Augustinus *Tab.* 7. *num.* 7. *Tab.* 40. *num.* 24. Johannes Tristanus *Commentariis de Imperio Romano Tom.* 1. *pag.* 344. 365. *Tom.* 2. *pag.* 399. Res ipsa arguit, non exprimi tàm faciem Jovis Ammonis, sed vel Alexandri vel successorum ejus. Namque Jovis forma erat longè alia, ut Batti Cyrenæorum Regis nummus argenteus exhibet apud Isaacum Vossium *notis ad Melam pag.* 34. Exactè Ammonem describit Curtius lib. 4. *Id, quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgò Diis artifices accommodaverunt. Umbilico maximè similis est habitus, smaragdis & gemmis coagmentatus. Hunc, cùm responsum petitur, navigio aurato gestant sacerdotes, multis argenteis pateris ab utroque navigii latere pendentibus.* Ita legunt Aldus, Frobenius, Merula, Basileenses, Colonienses editiones, & sequuntur Nicolaus Blancardus *notis ad Curtium pag.* 304. 305. Johannes Tristanus *Commentariis de Imperio Romano Tom.* 1. *pag.* 420. Confirmant, excogitando rationem. Negaverat in prioribus, quòd effigiem aliquam expressam Deus ille haberet. *Umbilico alicui*, id est, tuberi vel cono, ut hac informi formâ Numen suum indicaverint potius quàm effigiaverint. Veneris Deæ signum apud Cypri Paphum erat continuus orbis, latiore initio, tenuem in ambitum metæ modò exsurgens, ait Tacitus *lib.* 2. *hist. cap.* 3. De Solis figura apud Gebalitas *Herodianus*: Simulachrum nullum Græco aut Romano more manufactum ad ejus Dei similitudinem, sed lapis est maximus ab imo rotundus, & sensim fastigiatus, propemodum ad coni formam, *lib.* 5. *histor. cap.* 5. Hæc omnia Blancardus *l.d.* Martinus Raderus *in Commentariis pag.* 179. 180. ex Andrea Schotto, & Abrahamo Ortelio *in Thesauro Geographico.* Nummus Alagabali, in quo iste lapis rotundus impressus est, cernitur apud Antonium Augustinum *Tab.* 55. *num.* 20. Sed à vero aberrant. Scribe cum Vossio, *umbriculo maximè similis est, habitus smaragdis & gemmis coagmentatus.* Ab umber fit umbriculus, quomodo à venter est ventriculus. Quinam sint *umbri* docet Plinius, nimirum insititium quoddam genus ovium, quæ pro lana habent villum caprinum. Certè non aliter intellexit olim Athanasius, λίβυες πρόβατον, ὃ καλοῦσιν ἄμμωνα, θεὸν ἔχουσι, καὶ τοῦτο πολλοῖς παρ' ἑτέρων εἰς θυσίαν σφάττεται.

VI.

VI. Quæritur: *An Semus fuerit primogenitus inter filios Nohæ?* Affirmant Nicolaus Sanderus *lib.4. de visibili Monarchia cap.3.* Johannes Quisdorpius *notatis ad Vetus Testamentum pag.28.* Wolffgangus Franzius *libro de Sacrificiis, Disputat.8.dist.58.* Alstedius *in Thesauro Chronologico pag.9.10.11.* Josephus Scaliger *in Elenchis Chronologicis pag.52.* Rabbinus Abravaniel & David Kimhi *notis ad Gen.5.22.* Pererius, Tirinus, Bonfrerius, *in Commentariis ibid.* Rectius verò hoc negant, & Japheto primogenituram attribuunt Genebrardus *in Chronologia lib.1.* Jacobus Gordonus *in Quæstionibus Chronologicis pag.24.* Franciscus Junius, Paræus, Mercerus, Cartvvrigtus, Johannes Gerhardi *notis ad Gen.9.* Johannes Tarnovius *in Exercitationibus Biblicis lib.4.pag.401.* Rabbinus Moses Gerundensis, Salomoh Jarchi, Levi Ben-Gerson (*Commentariis ad Gen.5.* Aben-Esdras *notis ibid.* Rabbinus Menasseh Ben-Israël *Conciliatore ad Genesin pag.28.29.* Samuel Bochardus *in Geographia sacra part.1.lib.2.cap.1.* Matthæus Beroaldus *in Chronologia sacra lib.3.cap.2.* Jacobus Usserius *Tom.1. Annalium sacrorum pag.3.4.* Christ.Scotanus *part.3. Commentariorum ad Sulpitium Severum pap.38.seqq.* Argumentamur: Filius Noachi maximus ipso diluvii anno fuit centum annorum. Atqui Semus anno illo non fuit centum annorum. Ergò Semus non fuit filius Noachi maximus. Probatur major: Noachus cepit gignere, postquam annis quingentis natus erat, *Gen.5.32.* & anno ætatis sexcentesimo fuit diluvium, *Gen.7.6.* Minor constat, quia Semus tunc natus fuit annis nonaginta octo, & biennio circiter minor natu præ Japheto, *Gen.11.10.* Chamus enim natu minimus erat, *Gen.9.24.* Excipiunt *Scaliger* & *Alstedius*: (1.) In recensu filiorum Nohæ Semus priori loco semper ponitur, Gen.5.32. cap.10.1. 1.Paralip.1.4. *Respondeo*: Ordo non est unus in literis sacris. *Personalis* ordo est, cùm Semus primo loco ponitur, quandoquidem inter posteros ejus fuerunt Patriarchæ, Judæorum populus Deo imprimis dilectus, Servator ipse. Itaque servatur ordo *dignitatis*. Aliter est, cùm servatur ordo *naturalis*, tunc enim *ætatis* ratio habetur, & Japhetus primo loco ponitur, *Gen.10.2.6.22. 1.Paralip.1.5.8.17.* (2.) Quia postulat hoc prærogativa ejus, ut sit major natu, est enim ortus de familia ejus Servator. *Respondeo*: Non semper de primogenito nasci voluit Servator. Arphaxadus certè è minimis erat, primogenitus non erat, *Gen.10.22.cap.11.10.11.12. 1.Paralip.1.27.28.* & tamen est inter progenitores Servatoris. Abraham fratrum suorum minimus erat, quanquam in recensu semper primo loco referatur, *Gen.11.26.27.* progenitor verò Servatoris erat, *Gen.15.6.* Cæterùm, quòd Abraham loco ultimo inter filios Tarachi patris sui natus fuerit, optimè ostendit Torniellus *in Annalibus sacris Tom.1.pag.55.seqq.* (3.) Dicitur expressè, quòd Semus esset frater Japheti major, Gen.10.21. *Respondeo*: Rectè vertas, *frater Japheti majoris*, cum Tremellio & Ariæ-Montano, ubi in Hebræo est אחי יפת הגדול. Alexandrini expresserunt, *τῶ ἀδελφῶ Ιαφὲδ τοῦ μείζονος*. (4.) Est Semus de numero patrum generationis, *Gen.5.* & *11.* quos inter omnes sunt maximi natu. *Resp.* Falsum est, quòd illi omnes sint primogeniti, estque de Arphazado manifestum, uti

X 2 paulò

paulò ante diximus. (5) Semus est Melchisedechus Rex & Sacerdos in Salem, qui duplex honor primogenitis olim dabatur. *Respondeo:* Commentum est quorūdam Interpretum, nec video, quomodo Alstedius illud defendere velit. Ratio non una est, quare hoc meritò negatur, uti probat Samuel Bochardus *part. 1. Geographiæ sacræ lib. 2. cap. 1.* Nostra hæc est: Author Epistolæ ad Hebræos *cap. 7. 3.* ait, Melchisedechum ignoti patris, ignotæ matris, ignotæque familiæ fuisse, cujus nec initium dierum, nec finis vitæ memorentur. Ista verò in Semum non conveniunt, de cujus patre, familia, origine satis constat ex literis sacris, *Gen. 5. 32. cap. 7. 13. cap. 9. 18. cap. 10. 22. cap. 11. 10.* Ergò Semus non erat Melchisedech. Regerit *Alstedius:* Melchisedech fuit vel filiorum Noachi vel nepotum ejus aliquis. Sed non fuit è nepotibus, l. d pag. 94. *Respondeo:* De nepotibus ejus fuit, & quidem è Chami posteris, Regulus in Jerusalem. *Instat:* Nullus ex iis fuit major quàm Abrahamus. *Respondeo:* Eâ ratione, quòd hic erat pater credentium. Aliàs Melchisedech major erat, quia Rex fuit, Dominus in populum suum, Abraham verò minor, quia peregrinus, & alterius potestati subjectus, *Gen. 23. 4. 7.*

VII. Pergit Besoldus: *Eamque ob causam in Zona polari habitantes, minoris staturæ conspiciuntur.*] dist. 4. Veteres negabant, in Zona frigida homines incolere. *Horatius:* Pone me pigris ubi nulla campis Arbor æstivâ recreatur aurâ, Quod latus mundi nebulæ, malusque Jupiter urgent, *lib. 1. Carm. 22.* Nunc ibi habitant Samojedæ, Finni, Lapponi, Grönlandi. De quibus olim *Tacitus:* Cætera jam fabulosa, Hellusios & Oxionas ora hominum, vultusque, corpora atque artus ferarum gerere, *libro de Germania.* Sunt autem regiones illæ nondum satis cognitæ, & verò species ejusmodi quondam ibi apparuisse, equidem haut dubito, non tamen hominum, sed dæmoniorum, homines navibus appulsos illudentium. Et demùm Islandi, quorum regionem esse illam, quam Thulen vocabant, affirmant Casaubonus *notis ad Strabonem pag. 35.* Georgius Hornius *lib. 3. de Origine Americanorum cap. 6.* Philippus Cluverius *lib. 3. Germaniæ antiquæ cap. 39.* De quò tamen non obscurè dubitat Petrus Bertius *in Tabulis contractis lib. 1. cap. 69.*

VIII. Dicit Besoldus: *Meridionales ut artificiosi & intelligentes, sic quoque parum animosi videntur.*] dist. 6. Non sedibus modò & terrarum spaciis distabant populi Noëticæ originis, verùm insuper corporis habitu, moribus, linguâ. Nigri Æthiopes, adustâ cute, capillitio crispo & lanuginoso, naribus simis, tumentibus labris. Fusci, qui à Semo. At Japhetigenis lacteum corpus, color floridus, cœrulei oculi, coma aurea, validi artus. Major in moribus diversitas. Ingenio pravo & servili Æthiopes, itaque Abassinorum Negasch sive Imperator appellatur נאז פרשתר Prester Cham, id est, Rex mancipiorum, ait Jacobus Golius *in Lexico Arabico.* Sunt enim illi Æthiopes mancipia toto Oriente frequentissima. Itaque dicitur Amos *9. 7.* *Nonne ut filii Chusæorum vos mihi estis filii Israël, dicit Dominus?* id est, vilissimi & abjectissimi. Chusæi sunt illi quos vocamus Æthiopes, *suprà dist. 4.* Asiatici molles, circumspecti, magno animo & artium omnium capace. Europæi simplices, aperti, feroces. Dixerat Noachus: *Dilatet Deus Japhetum.*] Dilatet, nempè locum, ut Psalm.

Psalm.18.20. Locum, in quo habitat, id est, accipiat latissimam terræ hæreditatem à Deo. *Et habitet in tabernaculis Sem.*] Scilicet Deus. Ita Chaldæus Onkelos, quem sequitur Nicolaus Fullerus *lib. 2. Miscellan. cap.* 4. Verus Deus coletur in posteris Semi, quando ab illo orti Judæi leges à Deo acceperunt, *Psalm.* 147. 19.20. atque Servator ipse ab eis carnem assumere voluit, per quem benedictio venire debebat super omnes populos terræ, Gen.12 2.3. *Eritq́, Canaan servus eis.*] Gen. 9.27. cap.15. 18. 19.20. Numer.24 8.9.

IX. Dicit Besoldus: *Græcia, Italia, Germania aliæque temperatæ provinciæ civiles maximè sunt, & magna Imperia artibus politicis gubernaverunt.*] dist. 7. De Græcis verum est, si Alexandri Magni expeditionem consideres, qui hirco volanti assimulatur, *Dan.* 8.5. Namque è Macedonia progressus ad ultimos fines Indorum, quod nemini hactenus inter Reges contigerat, horribili celeritate, fulminis in modum pervasit, Alexandriam in Ægypto condidit felici auspicio, quando urbs illa deinceps caput Imperii Macedonici fuit, donec in Romanorum potestatem concederet, *Num.* 24. 24. De Italis notum est, quid Romani fecerint. Quicquid regionum est à Sarmatis & Danubio ad Euphratem & Æthiopiam usque porrectum, hoc omne in Romanorum potestatem redactum est. Ejus Imperii caput Roma fuit, omnium quæ fuerunt unquam, atque etiam erunt, urbium magnitudine, splendore, cultu, atque incolarum multitudine princeps, uti breviter describitur apud Justum Lipsium *lib. 3. de magnitudine Romæ cap.* 2.3.4. *seqq.* Denique Germanorum potentiam extulit Carolus Magnus, gente Allemannus, dominatu Francus, uti diximus *suprà cap.* 16. *dist.* 20. Scilicet Imperium Occidentis, quod Barbarorum irruptionibus oppressum erat, instauravit ille, atque Italiam, Allemanniam, Saxoniam, Cimbricam, Galliam, Pannoniam, Hispaniæ partem, Imperio suo acquisivit.

X. Pergit Besoldus: *Septentrio apud priscos Philosophos & mysteriorum explanatores cæteris plagis postponitur, ab iisq́, ibi inferi locantur.*] dist. 8. Fabulæ origo fuit inde, quòd montes in Thule vomerent ignes, veluti ibi essent Averni portæ, uti refert Petrus Bertius *in Tabulis contractis lib.* 2. *pag.* 71.

XI. Pergit Besoldus: *Hoc quoque adde, totum mundum habitabilem esse, secus ac antiqui crediderunt, qui zonas torridas hominibus privatas reputaverunt.*] dist. 9. Americæ populos non esse gentem ante secula pauca in terras illas delatam, satis convincunt Imperiorum ordinata distinctio & constans ratio, superba urbium & viarum structura, ædificiorum splendor, legum multitudo, religionis & sacrorum cum antiquissimis Asiæ Africęque incolis maxima convenientia, opificum industria, hominum multitudo non in continente solùm, verùm etiam in vicinis Insulis maxima. Omnia illa non tàm secula, quam millenarios de orbe novo arguunt. Neque fidem merentur illa, quæ disserit Johannes Henricus Ursinus *Tom.* 1. *Analect. sacror. lib.* 6. *cap.* 24. scilicet, post Christum natum cepisse demùm habitari Occidentem. Rationes adfert: (1.) Quia non erant migrationes gentium ante Servatorem natum, quæ demùm post tempora illa fuerunt plurimæ. *Respondeo:* Erant olim migrationes Phœnicum, Græcorum, Cre-

tum, Celtarum, aliorum populorum, de quibus referunt Diodorus Siculus *lib.5.cap.* 81.82.*seq.* Curtius *lib.4.histor.* Pausanias *lib.* 7. Thucydides *lib.1.hist.* Justinus *lib.4.* Strabo *lib.4.Geograph.* Et illæ ipsæ, quæ post Christum natum describuntur factæ esse, expresse additas habent circumstantias in Annalibus, unde venerint, quò contenderint, nemo tamen commemorat Americam. (2.) Quia regiones istæ longius remotæ sunt, itaque olim habitari non potuerunt, quomodo Japonia, Grönlandia, Islandia aliquot seculis demùm post natum Servatorem acceperunt incolas, anteà jacebant incultæ. *Resp.* Quòd remotæ sint, verum est, atqui navibus adiri poterant. Boreas incultior semper fuit, neque eò ceperunt esse migrationes, quòd nihil ibi preciosum aut jucundum esset, sed ingrata omnia. (3.) Quia ante illa tempora non fuit causa exeundi de hoc nostro orbe, in quo terræ multæ jacebant desertæ. *Respondeo:* Causa erat, quòd abundante multitudine loca quærerent spaciosa, eandem ob causam, uti hodiè Europæorum coloniæ abeunt ad Indos, ibidem habitandi gratiâ.

XII. Non tamen ita antiquos colonos diximus, ut ante diluvium Noëticum habitavisse per Americam, statuamus cum Petro Opmeero *lib.1. Chronographiæ pag.* 13. vel cum Marco Lescarboto *lib.1. de nova Francia cap.* 3. fingamus, eò Noachum profectum cum nave sua, importavisse nepotes suos. Quòd si in re obscura divinare liceat, à Tyriis & Pœnis originem petiverim, qui soli Oceanum Eoum & Athlanticum classibus quondam peragraverunt, & colonias in remotissima loca deduxerunt, *quòd magnetis usum benè cognitum haberent*, uti censet doctissimus Fullerus *lib.4. Miscellaneorum cap.* 19. De quo tamen dubitare nos jubet magna ratio, uti indicabimus *infrà lib.2.cap.18.dist.*11. Expressit veterum Annalium fidem Curtius de Tyro: *Diu mare non vicinum modò, sed quocunque classes ejus adiverunt, ditionis suæ fecit.* Et paulò post: *Coloniæ ejus pene toto orbe diffusæ sunt, Carthago in Africa, in Bœotia Thebæ, Gades ad Oceanum. Credo libero commeantes mari, sæpiusq; adeundo cæteris incognitas terras, elegisse sedes juventuti, quæ tunc abundabant*, lib 4. Historiarum. Et credo factum illo tempore, cùm Hebræi pepulerunt Cananæos. Tyrum prædicat, vocatque *civitatem munitam* Josua cap.19 29 & partem aliquam Cananæorum à Josua expulsorum in Africa Tingitana consedisse, omnemque illum tractum ad Herculis columnas obtinuisse, author est Procopius Cæsariensis *lib.4. de bello Vandalico.* Soli Phœnices, & qui ab eis descenderunt populi, Solis ac Lunæ cultum, nullis aliis Idolis permistum, observaverunt. Eadem sacra habebant Americani, addebantque victimas humanas, uti refert Ludovicus Godofredi *in Archontologia Cosmica lib.* 1. *pag.* 315. Hoc quoque arguit primos incolas è Phœnicibus fuisse Molochi famosis cultoribus, *Deut.*18.10. Post Salmanassaris & Nebucadnezaris bella continua in gentibus illis ac vicinia gesta, Phœnicum expeditiones maritimæ diminui admodum, tandem verò etiam prorsus omitti ceperunt Tyro devastatâ; urbe incensâ, civibus inde ad Pœnos abeuntibus, quod narrat Josephus *lib.* 10. *Antiquit. & lib.1. contra Appionem.* Ac post restauratam urbem, nullas ferè quàm propiores in Oceano Athlantico Insulas & divites

divites Indiæ Orientalis regiones supra promontorium Bonæ Spei adiverunt, itaque accidit, ut secutis deinceps annis Athlanticus orbis paucis obscurissimè notus, plurimis ignotus fuerit.

XIII. Obscuræ famæ indicium est, quod Diodorus Siculus *lib. 5. cap. 19. 20.* narrat, Phœnices olim extra columnas Herculis profectos, ventorum procellis in Oceanum abreptos, tandem ad Insulam magnam appulisse, complurium dierum navigatione à Lybia versus occasum remotam, cujus solum frugiferum, amnes navigabiles, sumptuosa ædificia fuerint. De America rectè exponit Adrianus Turnebus *lib. 15. Advers. cap. 6.* ut vocetur Insula, quia talis putabatur, nondum satis exploratis finibus, esse, uti neque hodiè patet. Quòd verò Gerhardus Johannes Vossius *Dissertatione de Scientiis Mathematicis cap. 42. num. 10.* putat Britanniam esse, non approbo: (1.) Quia Britonicæ Insulæ non sunt ad Occidentem sitæ, verùm ad Boream. (2.) quia ille maris interluentis ambitus, quà Britanniam, non est ita spaciosus. (3.) Quia Britonicæ Insulæ fuerant dudum anteà cognitæ, propter commercia in Tartesso vel Gadibus, unde non magnus transitus est in Britanniam. Porrò etiam, quòd plurimis ignotus fuerit, constat duplici argumento. *Primum* est, quòd Aristoteles *lib. 2. de Meteoris cap. 5.* Plinius *lib. 2. histor. natur. cap. 68.* Cicero, Macrobius statuant, duas frigidas & unam torridam Zonam nec habitari, nec posse habitari, ob solis ardores frigorisque sævitiam intolerabilem. Virgilius concinit: Quinque tenent cœlum Zonæ, quarum una corusco Semper sole rubens, & torrida semper ab igni est. Quam circum extremæ dextrâ lævaque trahuntur, cœruleâ glacie concretæ, atque imbribus atris. Has inter mediamque duæ mortalibus agris Munere concessa Divûm, & via secta per amplas, Obliquus quà se signorum verteret ordo, *lib. 1. Georgic.* Cæterùm multò aliter sese rem habere, atque illi existimabant, docuerunt olim Eratosthenes, Marinus, Tyrius, Ptolomæus, Avicennas. Nec tamen hi de America quicquam exposuerunt, sed Ceilanam, Taprobanam, Abassinos incolentes Zonam torridam, descripserunt. *Secundum* est, quòd veteres omnes, qui vel orbem universum, vel regiones propius ad Americam contingentes illustraverunt, de America nihil commemorant, Strabo, Mela, Plinius, Ptolomæus, Solinus, Philostratus, Dionysius, Periegetes, Eustathius, Marcus Paulus Venetus, Benjamin Tudelensis, Nubianus, Antoninus, Vincentius Speculator.

XIV. Frustrà ergò probare contendunt Bartholomæus Keckermannus *lib. 2. System. Geograph. cap. 4.* Isaac Habrecht *Recognitionibus ad Elementale Mathematicum Langii pag. 539. seqq.* Justus Lipsius *lib. 2. Physiologia Stoicæ Dissertat. 19.* Matthias Berneccerus *Commentario ad Germaniam Taciti quæst. 188.* Georgius Hornius *lib. 1. de Origine Americanorum cap. 10.* quòd orbis novus fuerit non solùm antiquissimis Tyriis, verùm etiam populis aliis exactè cognitus, quanquam non frequentatus propter multos in re navicularia defectus. Rationes afferunt: (1.) Quòd Plato *in Timæo & Critia,* necnon Aristoteles *libro de mirabilibus auscultationibus* nominent Insulam Atlantidem, Asiâ & Africâ majorem, in ostio Oceani non procul à columnis Herculis positam. Hæc sanè America erat. *Resp.* Dicit Acosta

(&

(& ante eum observaverat Marsilius Ficinus) omnem Platonis de Atlantide narrationem esse μυθικόν τι, cùm præsertim à Critia puero inter cantilenas mulierum eam narrationem auditam esse fateatur. Contextus totus ejusmodi μυθικὰ plurima continet, ac quamvis fortè videri possit primò τὰ μυθικὰ fundari in re verè gesta, non tamen Atlantides illæ Insulæ fuerint aliæ, quàm quæ in Oceano positæ Atlantico sunt Insulæ Fortunatæ, Plutarcho etiam *in Sertorio* nominatæ, & Plinio, Solino, Ptolomæo. (2.) Quòd Hanno Pœnus à Gadibus ad fines usque Arabiæ circumvectus, novas terras invenerit, teste Plinio *lib. 2. histor. natur. cap. 66. lib. 6. cap. 32.* Respondeo: Pœnorum solertia in peragrando Oceano satis nota est, veruntamen Hanno in Americam eo tempore non pervenit, sed Nigritarum, Guineæ, Indiæ littoralis citra promontorium bonæ spei tractum perlustravit, ut dicemus *infrà lib. 2. cap. 18. dist. 18.* ubi Periplum Hannonis brevibus notis illustrabimus. (3.) Quòd Seneca *in Medea* dicat: *Venient annis Secula seris, quibus Oceanus vincula rerum laxet & ingens pateat tellus, Tiphisq; novos Detegat orbes, nec sit terris ultima Thule.* Si Veteres nihil sciverunt de novo orbe, quomodo Seneca tàm expressè de eo potuit vaticinari? *Respondeo:* Atqui Seneca non de certo aliquo orbe novo, sed de orbibus, id est, terris & insulis novis poëticè aliquid exponit, deque illis ut futuris, non ut tunc cognitis vaticinatur, eo verò etiam vaticinii genere, quod viri sapientes familiare habent. Videbat namque jam illo seculo, navigationibus amplis mare sulcari. *Horatius:* Impiger extremos currit mercator ad Indos, Per mare pauperiem fugiens, *lib. 1. Epist. 1.* Poteratque hominum industriam eò aliquando progressuram existimare, ut magno Oceano enavigato, magnos orbes aperiret. Britanniam nuper inventam, velut orbem novum habebant. *Toto divisos orbe Britannos,* ait Virgilius *Bucolic. 1.* erantque navigationes & naufragia illa, quæ Diodorus Siculus & Plinius *l. d.* ex antiquis Phœnicum, Tyrrhenorum, Pœnorum monumentis narrant, in Oceano magno cognita. Senecæ ergò verba non habent locum in præsenti negocio, ubi demonstrandum erat, non quid futurum esset, vel fieri aliquando posset, sed quid tunc esset. Ac Senecam novisse, quæ diligentissimus Geographus Strabo, & summus Cosmographus Ptolomæus ignorabant, improbabile admodum est, uti quilibet videt.

XV. Addunt: (4.) Quòd Rex Salomon in portu quodam maris rubri naves construxerit, quæ in Ophir profectæ maximas auri opes inde petiverint, *1. Reg. 9. 26. 2. Chron. 8. 17. cap. 20. 36.* Ophir sono convenit cum Peru Americæ, atque indidem est aurum Parvajim, uti statuunt Ariæ-Montanus, Vatablus, Genebrardus, Eugubinus, Postellus, Emanuel Sà, Philippus Mornæus *lib. de Veritate Religionis Christianæ cap. 26.* Paulus Merula *Dissertatione de Maribus cap. 3.* Erasmus Smidius *Dissertatione de America Commentariis Pindaricis inserta pag. 261.* Petrus Bertius *in Tabulis contractis lib. 7. pag. 774.* Verùm quòd Ophir non sit Peru, rectius tuentur ac operosè Probant Josephus Acosta *lib. 1. de Natura Orbis Novi cap. 13. 14.* Johannes Pineda *lib. 4. de rebus Salomonis cap. 3. seqq.* Caspar Ensius *lib. 2. de India Occidentali cap. 2.* Orbis novus, si aurum Peruanum excipias, nihil earum re-

rum

rum habet, quæ ex Ophira ad Salomonem deferebantur, cujusmodi erant gemmæ preciosissimæ, ebur, pavones, simiæ, ligna que rarissima, ex quibus citharæ aliaque instrumenta Musica fabricabantur. Neque auri copia in America tàm celebris est, ut Indiæ Orientali præferatur. Ubi ergò dicemus, fuisse hanc terram, an dextram egredientibus mare rubrum, id est, in Africa, an ad sinistram, id est, in Asia? In Asiam, & quidem partem eam Indiæ, quæ aurea Chersonesus à Ptolomæo vocatur, nos ducunt Josephus *lib.8. Antiquit. cap.6.* Hieronymus *Epistolâ ad Principiam.* Lusitanorum quibus regiones illæ maximè innotuerant, eruditissimi, & inter eos Pineda *lib.4. de rebus Salomonis cap.16.* Johannes Maffejus *lib.1. histor. pag. 35.* Caspar Verrerius *libello de Ophir,* Thomas Campanella *lib. de Monarchia Hispanica cap.31.* ajunt, in eam partem Indiæ, quæ ultra Gangem est, & Sumatræ, Pegusiæ, Sian, Malaccæ Regna complectitur, congruere omnia: Esse ibi auri & argenti copiam magnam, gemmas optimas, elefantos, simias, pavones, ligna pulcherrima, è quibus parentur citharæ. Et fortè Sapphirus nomen habet ab illa terra, in qua reperitur. Sequuntur hoc Tremellius & Grotius *in notis*, ac Consentiunt Conimbricenses *lib.2. de Cœlo cap.14. quæst.1. art.4.* Jacobus Salianus *in Annalibus sacris Tom. 3. pag. 791.* Cornelius à Lapide *Commentariis in libros Regum pag. 153.* Caspar Sanctius *commentariis ibidem pag. 1111.* Samuel Bochartes *lib. 2. Geographia sacra cap. 27.* Franciscus Stypmannus *lib. 2. de navigatione cap. 3. num. 35. seqq.* Petrus Ravanellus *in Bibliotheca sacra pag. 159.* Augustinus Torniellus *in Annalibus sacris Tom. 2. pag. 27. num. 8.* Johannes Stephanus Menochius *lib.7. de Republica Hebræorum cap.10. quæst. 5.* Johannes Gerhardus Vossius *in Lexico Etymologico pag. 350.* Firmaturque manifestò ex sacris literis conferendo loca *Gen. 2. 11. cap. 10. 29.* & vide nos *suprà dist. 4.* In Africa quærunt Gilbertus Anglus *lib. 1. de Magnete cap. 1.* Paulus Merula *part. 1. Cosmographiæ lib. 2. pag. 196.* Matthæus Beroaldus *lib. 3. Chronici pag. 146.* Abrahamus Ortelius *in Thesauro Geographico*, nominantque Sofatam in Oceano Æthiopico sitam Insulam. Verùm, cùm in Sofala nullæ sint gemmæ, argentum nullum, nulli pavones, quæ omnia ex Ophir præter aurum etiam adferebantur, Sofala non potest Ophir esse. Dicunt *Mornæus* & *Habrectus*: Si Ophir in Orientali India erat, quid opus fuit, ut Salomon Hirami naves ejusque nautas ad conficiendum iter tantillum adhiberet? Neque Orientalis India tàm est à Judæa remota, ut triennium in ista navigatione consumendum esset, quantum in Ophiriticis mercimoniis impendebatur, 1. Reg. 10.22. *Respondeo:* Navibus Hirami utebatur Salomon, tanquam amici sui, & cum quo societatem nauticam pactus erat, quod solenne est, & in simili casu vide 2. *Paral.* 20. 35.36. Nautis quoque utebatur ejus quòd illi navigationum periti, & mercimoniis intenti, melius omnia administrare possent, quàm Hebræi, agriculturæ & militiæ adversus vicinas gentes studiosi. Denique iter ad Ophiram non erat trium annorum, ut tot anni impenderentur uni itineri, sed naves sociæ quovis triennio semel commeabant ad Ophiram. Tremellius expressit clarè: *Semel ternis annis veniebat classis ex Oceano adferens aurum & argentum.* Cogitemus tamen,

men, an fortè non in Indiam usque iverint naves Phœnissæ & Judaicæ, sed ad oppidum situm prope Arabicum sinum, quà ille Oceanum spectat, quod Aphar vocat Arrianus *in Periplo*, Saphar appellant Plinius & Ptolomæus, Homeritarum Metropolim, videlicet Indi res suas huc detulerunt, inde autem petiverunt gentes longius ab India remotæ.

XVI. Plura cumulat Georgius Hornius *lib. 2. de Origine Americanorum cap.* 8. ut evincat, Ophiram esse regiones Americæ. Dicit: (1.) Cùm immensa fuerit sapientia Salomonis, necesse omninò est, ut magnæ illius terrarum orbis partis non fuerit ignarus, quæ tot miraculorum ferax est. *Respondeo*: Sciverit, annon, nunc quidem scire haut interest. Scivisse eum, non inficiamur, quia scire potuit ob commercia cum Tyriis & Bœticæ incolis frequentata, quibus notæ erant terræ istæ à popularibus suis habitatæ, aut saltem non poterant esse incognitæ. An verò inde sequitur, Ophiram esse in America? Nequaquam, aliter nos docet Moses, *Gen.* 10. 28. 29. (2.) Sive igitur ex Erythræo, sive Mediterranio mari solverit ejus classis, Americam præsertim trienni navigatione petere potuit. *Respondeo*: Classis ejus solvit à mari Erythræo, quia ibi est Tyrus Insula, colonia veteris Tyri, 1. *Reg.* 9. 26. 2. *Chronic.* 8. 17. 18. Neque tres anni illi debent aliter sumi, quàm dictum fuit *suprà dist.* 15. (3.) Quanquam sententia *Goropii Becani* & *Francisci Bivarii* non omni fundamento careat, statuentium factam illam navigationem per mare Mediterraneum, non verò quod communiter putant, è mari Rubro. *Respondeo*: Ineptissimarum originum Scriptor ineptus Becanus, plurimis commentis dudum omnem decoxit fidem. Disertè nominantur *Esiongaber*, *Eloth*, *mare Suph*, *terra Edom*, quæ omnia commonstrant mare Rubrum, itaq; non potest esse mare Mediterráneum. (4) Quia & Tharsis & Tyrus & Esiongaber sunt ad mare Mediterraneum. *Respondeo*: Tharsis nunc valet appellativè, ut *navis Tharsis* rectè dicatur esse, *navis oceanica*. Tyrus non est illa Phœniciæ urbs, sed est insula in sinu Arabico, ubi Erythræ sepulchrum ostendebatur, palmis undiquaque consitum, uti narrant Strabo *lib.* 16. *Geograph.* Stephanus περὶ πόλεων. Plinius *lib.* 6. *cap.* 28. *lib.* 12. *cap.* 10. 11. Hodiè est Baharem, ut notat Johannes Wilhelmus Stukius *Scholiis in Periplum maris Erythrei*, *pag.* 58. Esiongaber est ad mare Rubrum, civitas quondam opulenta cum portu amplissimo, diruta sub Alexandro Magno, Strabone teste *l.d.* (5.) Nec Tyria classis ex sinu Arabico solvere potuit, cum qua iverunt Salomonis naves. Namque Hiram non classiarios tantùm, sed & classem Salomoni suppeditavit. *Respondeo*: Navigaverunt à Tyro insula, quam colonis suis impleverant, uti anteà dictum est, ac notavit Franciscus Vatablus 1. *Reg.* 9. 27. (6.) Eziongaber, unde classis abivit, non fuit ad mare Rubrum, sed potius ad Mediterraneum. *Respondeo*: Imò expressè dicitur, quòd Esiongaber fuerit *propè Eloth ad littus maris Suph.* Hoc mare non est aliud, quàm mare Rubrum. Ac Eloth fuit urbs ad eundem sinum, quod docent Ptolomæus *lib.* 6. *cap.* 28. *Geograph.* Strabo *lib.* 16. Plinius *lib.* 5. *cap.* 11. atque insuper testantur itinera Ebræorum per desertum, *Numer.*

33. 35. 36. 37. *Deuter.* 2.8. Namque illi dicuntur ab Eloth & Esiongaber venisse ad terras Midianitarum & Moabitarum, qui tunc temporis habitabant ad Rubrum mare, & prælio inferiores, terram suam rapinis exposuerunt, *Numer.* 31.8. (7.) Suph cùm *terminum* quemvis notet, non Erythræo tantùm mari, quanquam huic frequentius, verùm etiam Mortuo & Mediterranio tribuitur. *Respondeo:* Mare Suph, id est, *Juncosum*, in sacris literis perpetuò est mare Rubrum, *Exod.* 23.30. *Numer.* 33. 11. *Deut.* 2.1. *Psalm.* 106.7.9.22. *Jerem.* 49.21. (8.) Tharsis est Hispaniæ urbs Tartessus ad mare Mediterranium, celebris navigationibus ob copiam auri. *Respondeo:* Frequenter valet de urbe ista, uti *Ezech.* 27.11. *Jonæ* 1.3. & confer Johannem Drusium *lib.* 3. *Observationum cap.* 13. *lib.* 6. *cap.* 3. *lib.* 9. *cap.* 12. Nunc verò sumitur appellativè, uti *Psalm.* 48.8. *Esa.* 2.16. *cap.* 23.1. (9.) Falsum est, quòd Idumææ termini unquam fuerint ad mare Rubrum producti. Tempore Mosis Midianitæ littoralem illum tractum accolebant, posteà Troglodytæ. Idumæi fuerunt interiores. *Respondeo:* Antiquissima Idumæorum habitatio fuit ad mare Rubrum, quomodo etiam mare istud ab Esavo progenitore eorum habet nomen suum, inde posteri horum, cùm Idumæi Horræorum agros occupabant, Amalekitæ successerunt, & permisti Midianitis habitaverunt, *Judicum* 6. 7. Deinceps Amalekitæ totis agris ab Havila usque ad Sur clade internecinâ deleti sunt, 1. *Sam.* 15.1.2. *seqq.* Qui evaserunt, Agarenis & Ægyptiis immixti, alii etiam procul in Mesopotamiam abiverunt, 1. *Samuelis* 30. 1. 2. *seq.* 2. *Samuelis* 8.12. 2. *Chronic.* 20.2. *Psalm.* 83.7.8. Ita factum est, ut vacuos agros repeterent veteres seu accolæ seu incolæ, Horræi, Edomitæ, Moabitæ, Themanitæ, unde posteris seculis effecti sunt Nabathæi, Strabo *lib.* 16. *Geograph.* Arrianus *in Periplo maris Euxini.* Namque Midianitæ antè etiam profligati & fugati fuerant à Mose, plurimi eorum in peregrinas terras abiverant, *Numer.* 31. 1. 2. *seqq.* Proinde cùm Rex David præliis multis conterebat Idumæos, Moabitas, omnis illa regio à montanis Seir adusque Rubrum mare, nomine renovato, dicta est Idumæa, quandoquidem olim Edomitæ, & ab eis ratione ortus non multum diversi Amalekitæ terras illas habitaverant, *Gen.* 36.9.10.11.12. Inde Eloth & Esiongaber sunt in regione Idumææ, quæ deinceps fuerunt Nabathæorum, & hodiè sunt Troglodytarum. Cæterùm neque Idumæorum fines unquam fuerunt ad mare Mediterraneum producti. Tempore Mosis & Regum habitabant ibi Philistini, *Exod.* 13.17 *Josue.* 13.3. 1. *Regum* 8 2. 2. *Reg.* 18.8. 2. *Chronic.* 26.6. Quibus per Nebuchadnesarem non leviter afflictis, successerunt Kedareni vicini & Horritæ, turba miscella, uno verbo, Arabes, *Jerem.* 25.20. *cap.* 47.1. *Amos* 1.8. *cap.* 6 2. 1. *Maccab.* 3.24. Edomitæ sensu vero loca montosa in mediterraniis incoluerunt, & ipsi à Chaldæis vastati, *Jerem.* 25.21. *cap.* 27.3. *cap.* 49.7. *Threnor.* 4.21.22. *Ezech.* 25.12. *cap.* 32.29. *cap.* 35.5.6. *Obadiæ* 1. *seqq.* Donec recollecti in patriis terris majori etiam numero habitaverunt,

Malach. 1.4. 1.*Maccab.* 5.3. 2.*Maccab.* 10.15.17. (10.) Josephus manifestò Esiongeber apud Berenicen, id est, mare Mediterraneum ponit. *Respondeo:* Imò Beronice est portus ad mare Rubrum, uti Arrianus *initio Peripli*, Strabo *lib.* 16. Plinius *lib.* 6. *cap.* 23. docent. (11.) Accedit, quòd Tyrium Regnum longè à Rubro mari & ad Mediterraneum situm fuerit. Quomodo ergò Hiramus naves suas per Arabicum sinum emisit? *Respondeo:* Jam dictum est, quòd colonia quædam Tyriorum fuerit in Rubro mari, in qua navigationes illæ commodè fieri poterant. Inde merces terrâ per camelos subvectæ in Syriam & Palæstinam, domi suæ appellebant. (12.) Sed utcunque se res habeat, sive per Arabicum sinum, sive per mare Mediterraneum navigaverint, in Americam venire potuerunt, quod Vatablo & Ariæ-Montano visum est. *Respondeo:* Visum fuit idem Johanni Goropio Becano *lib.* 5. *&* 6. *Hispanicorum*, à quo hæc omnia descripsit Hornius. Atqui si Americam petiverunt, illc in mari Rubro navium apparatus erat molestus futurus ob locorum distantiam magnam, commodus unicè, si versus Orientalem Indiam navigarent.

XVII. Contendit Hugo Grotius *libro de Origine gentium Americanarum*, quòd Americæ Septentrionalis incolæ orti sunt à Norvagis & Germanis. Nam, *ait*, Mexicani & eorum vicini, cùm eò primùm veniebant Hispani, dixerunt, se non esse indigenas, & majores suos à Septentrione venisse. Itaque habent vocabula quædam Norvagica, & mores cum eis congruos, quòd venatus amarent, tempora computarent per noctes, infantes recens natos lavarent in fluviis, animas immortales crederent, captivos Diis mactarent, corpora nuda haberent, nisi ubi hoc vetat pudor. Quæ omnia de Germanis prodit Tacitus, à Germanis verò oriundos esse Norvagos, haut debet negari, *l.d.pag.* 6.7.8. Probat: Thulen seu Islandiam excoluerunt Norvvagi à Germanis oriundi. Ab ea profecti sunt in Gronlandiam, hinc itum est in Frislandiam, ei proxima est Estotilandia, quæ est pars continentis Americæ. Rursum Americam Meridionalem cultam esse à Javæ & Gilolo populis: Peruanos verò ob Imperii ordinem & ingeniorum elegantiam à Sinensibus provenisse: Jucatenenses Æthiopicæ originis esse, quia circumcidantur. Hæc ille. *Respondeo:* Serius habitari cepit Septentrio, & veræ illæ per Thulen vicinasque Insulas hominum commigrationes ad Estotilandiam, Norumbegam, Mexicanos agros, eò minus probabiles sunt, quia non satis est, vocabula pauca sive integra sive corrupta accipere, verùm insuper opus est, ut pronunciandi ratio, constructionis modus, imprimis nomina rerum earum, quæ domesticæ & maximè communes illi genti sunt, observentur, namque aliàs non est difficile in omnibus populis reperire vocabula, quæ cum aliis linguis conveniant. Neque igitur argumentum est, unde populi origo demonstretur. Perinde & alia sunt ejus generis, utpote apud plerasque gentes obvia, & nulli peculiaria, quamobrem certi indicii loco esse non possunt. Adhæc plurima alia obstant, quando: (1.) Terræ illæ ob cœli inclementiam rarius habitatæ sunt. (2.) Propter frigus sævissimum non possit ita migrari, atque iter longinquum perfici. (3.) Distantia per mare nonnisi magnis navigiis tentari queat, glacies verò non facilè multorum millia-

milliarium progressum admittat. (4.) Norvvagi colonias suas, vel Americani progenitores suos in ista, quæ statuitur, vicinia non poterant oblivisci. (5.) Frislandia & Estotilandia nusquam gentium sunt, quicquid Zeni Veneti *in itinerario maritimo* persuadere nobis voluerint. (6.) Gronlandia in littore solùm habitabatur. (7.) Nulla est ratio, quare non Boreales isti viatores secum equos & boves pro labore & pastu deduxerint eò, quibus tamen hactenus carebat America, & primi intulerunt Hispani. (8.) Gilolo, Java, Insulæ aliæ nimis remotæ sint, & incolarum diversi mores ab eis, qui Americam habitant. (9.) Peruani quà omnia differant à Sinarum populis, adeoque isto argumento non possit origo eorum demonstrari. Regerit *Grotius*: Venisse è Sinis, confirmant repertæ ad oram Pacifici maris supra Floridam reliquię navigiorum Sinensium, uti Acosta Hispanus narrat. Solis cultus apud Peruanos fuit ante Hispanorum adventum, idem ab omni ævo præcipuus apud Sinenses. Et quomodo Rex Sinensium se vocat filium Solis, ita etiam Peruanorum Ingæ sese appellabant. Scriptura Peruanis erat per rerum notas, haut per literas, idque à summo chartæ ad imum, uti in Sinis, *l.d. pag.* 12. 13. Respondeo: Difficilior est illa navigatio, quàm ut à Sinarum navibus obiri potuerit, unde fortè fuerint illæ navium reliquiæ! Solis cultus apud gentes multas fuit, non tantùm in populis Sinarum. Etiam Mexicanorum Reges se filios Solis vocabant, quos tamen non venisse à Sina, docet Grotius, manetque quòd Satanas eadem arte in seducendis variis populis usus fuerit. Scribendi ratio talis, qualem Grotius profert, quam fuit in usu apud Peruanos, undecunque falsum relatum acceperit ille. Ingæ magnificum cognomen imposuerunt sibi, quòd è Jucatana profecti cum valido exercitu occupaverant provinciam hanc, atque populos à barbaria repurgaverant, non sine aliquo Dei consilio, itaque se à Deo ortos esse, ajebant. Quòd si venerunt à Sina, uti etiam Georgius Hornius *lib.* 4. *cap.* 10. 11. disserit, edicant illi, an soli venerint, an cum exercitu valido satis? Non prius, quia viri pauci non accepissent Barbaros ita facilè in obsequium. Ergò posterius. Quando verò ante secula quatuor contigit, teste Garcilasso Inga verissimo patriarum rerum Scriptore, *libro de Peruanorum Origine & Moribus*, ut Ingæ in Peruviam commigrarent, quomodo non exstaret rei memoria inter Sinenses? Quomodo non isti pertrexissent ad novos noviterque exploratos vicinos itineribus perpetuis ultrò citròque commeare? Atqui nihil tale est in gentis ejus Annalibus, neque uspiam tradit Garcilasso, quòd à populis ultra mare sitis majores sui provenerant, imò de Sinensibus iste nihil omninò ex sese noverat. (10.) Quòd in Jucatana circumcisio fuit, teste Petro Bertio, *in Tabulis contractis, lib.* 7. *pag.* 787. putaverim à priscis Hebræis esse, qui cum Tiglathphulassar & Salmanassar irruptiones facerent cum damno incolarum, patria egressi navibus Phœnicum ad regiones procul dissitas abiverunt, 2. *Reg.* 17. 3. *seqq.* Pro origine Æthiopica disserit *Grotius* his verbis: Circumcidi mos vetus est Æthiopum, uti Herodotus testatur, & verò gentis hujus imperium, ante quingentos annos, quo tempore colonia eo deducta est, pertingebat ad Oceanum. Et Christianos fuisse qui illuc venerunt Æthiopes, colligimus ex-

Baptismo, quem administrabant Jucatenenses infantibus post annum tertium, ut Græci & Asiatici, vocabantque regenerationem. Trahunt nos eodem celebrata in Jucatana unctio in fronte, peccati confessio in morbis, honesta sepultura, & certa de præmiis pœnisque post hanc vitam persuasio. Neque verò mirum videri debet, si alia ad Christianam Religionem pertinentia lapsu temporum interciderunt, quod & alibi gentium novimus factum esse, *l. d. pag.* 10. 11. Respondeo: Suspecta omninò est origo ista, tùm quòd Abassinorum Imperium nunquam ad Oceanum Atlanticum pervenerit eò usque extensis limitibus, tùm quia in Jucatana omnes sunt albi & capillati, Abasseni verò nigerrimi & lanati. *Regerit:* Solent corpora vi novi cœli degenerare ab origine sua. *Respondeo:* Atqui candor ab æstu infuscatur facilè, nigredo haut ita facilè à cœlo frigido repurgatur. Æthiopas & Cafares, licèt migrent in cœlum aliud, colorem haut mutare, notissimum est. De circumcisione quod dicitur, negat Josephus Acosta, fuisse circumcisionem notam in ullo populo Americæ, *lib.* 1. *Historiæ Indicæ cap.* 23. Cerimoniam aliquam Baptismo nostro haut absimilem fuisse ibi, fatemur, neque tamen eos Nigrorum sobolem esse credimus, ob coloris dissimilitudinem. Uti linguarum inter se, ita & cerimoniarum esse communitatem aliquam, notum est. Magis vero horrenda idololatria & sacrificia hominum ostendunt, eos à Paganis ortos esse, non verò à Christianis. Neque enim intra aliquot secula potuerunt adeò degenerare. Porrò Menasseh Ben-Israël libro, quem vocat, *Spes Israëlis, pag* 22. *seqq.* seductus erronis alicujus Apellæ, Montezini, relatione, contendit, Israëlitas decem tribuum à Salmanassare & Sennacheribo Assyriæ Regibus deportatos in Orientis regiones, consedisse multis seculis quietos, & Imperio suo usos, donec à Scythis vicinis multitudine populorum auctis, coacti excederent de terris istis, & viâ per Tattariæ desertæ agros vastissimos repertâ in Americam concesserint. Hoc prorsus falsum esse, ostendit Theophilus Spizelius *Dissertatione de Israëlitis Americanis.* Paucis sanè locis, aut potius nullis, fuit circumcisio, peculiaris character Judaismi; literarum Ebraicarum nusquam aut vola aut vestigium. Regiones, in quas post deportationem concesserunt, sunt חלח Colchenses & חבור seu Iberi, 2. *Regum* 17. 6. *cap.* 18. 11. 1. *Chronic.* 1. 26. Uterque populus accensetur Ponto. An ibi peculiare imperium habuerint per secula multa, dubium ingens est, quando nullus unquam nuncius, literæ nullæ hoc docuerunt, & Imperium illud nec vidit quisquam, nec videbit unquam, ad hoc tantùm à nugatoribus excogitatum, ne promissa de mansuro semper Regno in semine Davidis, in Jesu Nazareno impleta, & adhuc impleri credantur, *Luc.* 1. 32. 33. Sanè, quòd eorum origo, mores, sacra, & quæcunque memoria in terris supradictis, jam à seculis multis perierint, constat, quia per Caspianam totam, omnesque Scytharum hordas ævo præterito non sunt deprehensi populi, qui circumciderentur. Apud Tattaros verò circumcisio tunc demum adhibita fuit, postquam Muhammedis sacra perceperunt, & Chingis-Cha-

Chanismum, novam inter Musulmannos sectam condiderunt, ut refert Matthias Michovius *in Descriptione Sarmatiæ lib.5. cap.5.* Tantum abest, ut Tattari sint propago decem tribulium, & circumcisionem longis retrò seculis usurpaverint, quod Philippus Mornæus *libro de Veritate Religionis Christianæ cap. 26.* Gilbertus Genebrardus *lib.1. Chronographiæ pag.159.* persuadere conantur. Eos diligenter refellit Nicolaus Fullerus *lib. 2. Miscellaneorum sacrorum cap. 6.* Sparsas in regionibus istis Hebræorum reliquias indicabat ævo suo Benjamin Navarrhenus *in Itinerario, pag. 84. 90. 96.* populos integros non reperiebat, nec commemorabat, cæterùm pronus ad laudes gentis suæ consarcinandas. Instat *Rabbinus Menasseh :* Reperta esse in Azoribus Insulis antiqua sepulchra literis Hebraicis inscripta. *Respondeo :* Magno intervallo distant ab invicem Caspiana, Tattaria, Peru, Azores, ut si in Caspiana fuerunt, & si in Azoribus, fuerint quoque in America! Potest esse Pœni alicujus sepulchrum, quem populum usurpavisse literas Phœnicicas, atque Insulas maris Atlantici navibus suis peterravisse notum est.

XVIII. Porrò, Eduardus Brerevvodus *in Scrutinio Linguarum & Religionum cap. 13.* Philippus Mornæus *libro de Veritate Religionis Christianæ, cap. 8.* Johannes Pythius *in Responsione Exetastica adversus Præ-Adamitas, lib. 1. cap. 49. 50.* Nicolaus Fullerus *lib. 2. Miscellaneorum sacrorum, cap. 4.* Thomas Campanella *libro de Monarchia Hispanica, cap. 31.* originem harum gentium accersunt ex Asia, & quidem ex Scythia Orientali seu Tattaria, quæ si non continua pars Americæ, tamen exiguo solùm freto ab ea separata sit. Probant hoc, tùm quòd America sit obversa ad Asiam populis multis gravidam, tùm ex ignorantia literarum, idolorum cultu, morum incivilitate, quæ omnia cum Tattaris communia habebant. *Respondeo :* Atqui trajectus ille est nimis amplus, neque in populis iis fuit unquam ista rei naviculariæ peritia, quando mediterraneis contenti, & pecuariæ studiosi, non curabant sulcare maria, & verò Tyrii ab antiquo studiosi mercaturæ, naviculariæ, peregrinationum, veluti qui solum non quidem fertile habitabant, sed tamen incolas haberent peregrinitatis amantissimos, magis curabant inquirere in terras procul dissitas, cumque vicinis terris non possent commodè incubare, mari tentaverunt feliciter. Prætereà Tattari & Sinenses, imbelle genus hominum, terrestribus migrationibus celebres fuerunt, quod non fuissent toties ausuri, si maris notitiam habuissent, ita enim leviori ope ob tot inhabitatos per mare agros, exoneravissent multitudinem hominum. Denique à Tattaris vagis & tentoriorum incolis non possunt derivari Americæ incolæ, preciosarum domorum habitatores. Fretum Anian citra dubium fabula est, licèt in Tabulis Geographicis pingatur, quomodo etiam partes aliæ Americæ Borealis nomen equidem habent in Globis & Mappis, figmenta verò sunt, uti satis constat. Nam quò minus tale fretum admitti queat, faciunt Relationes aliorum, qui regiones illas extremæ Tattariæ magnâ curâ perlustraverunt.

Geo-

Geographus Nubiensis, Marcus Paulus Venetus, Vincentius Speculator ultra Sinas & Tartariam Oceanum magnum, inque eo quasdam Insulas nominibus suis appellatas describunt, Americam non referunt. Atqui si fretum ibi, & quidem ita angustum adesset, negari non potest, accolis ejus notam fore oppositam continentem Americæ. Concludimus: Mores, ritus, domus, sacra Americanorum ostendunt, eos originem debere non quidem pauperrimis Lapponibus, non etiam rudissimis Tartaris, sed populo alicui cultissimo, quales olim fuerunt Phœnices, & ab eis traducti Pœni. Hoc literæ sacræ pariter ac profani Scriptores abundè testantur, ut de ista origine haut debeat amplius dubitari. Certè Pœni Africæ regiones plurimas navibus suis adiverunt extrà fretum Herculium profecti, quod nos docet Hannonis Periplus, magnorum per mare conatuum non leve indicium, de quo agemus *infrà lib. 2. cap.* 18. *dist.* 14. Atque inde & ipsi & permisti ipsis Africæ quidam populi indigenæ ad Americam itinere maritimo profecti sunt, facileque fuit superare Oceanum Atlanticum propter crebras ex intervallis Insulas, uti sunt Azores, Fortunatæ, Hesperides. Sanè Azores mediâ quasi viâ inter Hispaniam & Americam jacent. Ab Insulis Hesperidibus quoque ad promontorium Viride sitis, haut adeò longus in Brasiliam est trajectus, conveniunt Getulorum, qui Africam habitant, mores, corporisque habitus ad Brasiliæ incolarum consuetudines. Demùm fuisse bellum magnum inter Phœnicas advenas & incolas Libyæ exortum, in quo Phœnices succubuerint, novisque itineribus novas regiones quæsiverint, referebat olim Eratosthenes, immeritò falsitatis ob id reprehensus à Strabone *lib. 2. Geograph.* Tunc verò Americam petivisse, quò eos rectà versus Occidentem spirando venti provehebant, valdè probabile est. Quòd Diis mactarent homines, Saturno & Molocho consecratos, primum incentivum fuit, ut feritate longius procedente, invalesceret apud populos aliquos immanis mos vescendi etiam carne humana. Aliquos inquam, nec enim omnes dapibus hujusmodi fruebantur. Omnium Americanorum cultissimi Peruani abstinebant victimis ex hominum genere, neque carnes hominum appetebant pro victu, qua in re horum innocentiam adversus falsas Josephi Acostæ relationes vindicat Inga Garcilasso Regiâ familiâ oriundus, *libro de Origine & Moribus Peruanorum.* Atqui in Brasilianis, Canibalibus, Mexicanis, Guajanis, Popajanis fuerunt cùm hominum victimatores, tùm homiedones, in altero imitati veteres Phœnicum mores, quorum res gestæ crudelibus istis victimis plenæ fuerunt, teste Sanchuniatone apud Porphyrium *lib. 2. de abstin. animal.* In altero diversi ab eis, quanquam enim Marcus Lescarbotus *lib.* 1. *de nova Francia cap.* 3. & Johannes Henricus Ursinus *lib.* 2. *Analectorum sacrorum quæst.* 27. probare velint, veteres Phœnices comedere solitos dapes è carnibus hominum adornatas, & adferant locum *Sap.* 12. 4. 5. frustrà tamen illi sunt, & veterum Authorum, qui mores Phœnicum exactè descripserunt, suffragio carent. Verba libri dicti sunt ista: *Et viscerum carniumq; humanarum voratores, epulumq; sanguinarium.* Respondeo: De vivis comestis, ut dixi, nihil occurrit uspiam, de vivis hominibus pro victima exustis, plena sunt omnia. Figuratè ergò interpretari

pretari debent verba illa, & *sanguinarium epulum* vocat convivium post sacra oblata celebratum, humano sanguine deturpatum, adeoque maximè nefarium.

XIX. De bestiis & feris quæritur, unde illæ venerint in Americam, plurimis iis, crudelibus, & quæ nusquam gentium aliàs reperiuntur. Augustinus *lib. 16. de Civitate Dei, cap. 7.* docet, feras illas vel natando pervenisse ad Insulas remotas, vel studio venationis ab hominibus eò deportatas, vel divinâ procuratione è terra noviter progenitas esse; uti olim factum est in primo rerum omnium ortu. Verùm causæ illæ omnes facilè elevantur. Ad creationem frustrà provocatur, quia Deus cessavit ab operibus suis, *Gen. 2. 1.* Perinde est de venatione, quia lupos, pardos, leones, tigrides, ursos, apes, vulpes, nemo ob venationis studium deportaverit eò, imò potius amovissent omnes ob greges & armenta conservanda. Restat natatio. Scilicet ex Asia ulteriori, protinus cùm cepit esse universitas rerum, instinctu naturæ, quæ omnes partes orbis impleri volebat, pellebantur ad terras illas. Et verò ante diluvium facilis omninò trajectus fuit, quando nondum erant intervallo tanto superatæ orbis partes. Namque in diluvio cùm apeririebantur fontes abyssi magnæ, partes orbis invicem disruptæ alibi sunt, alibi Insulæ exstiterunt, ut quod olim natando superabant feræ, istud intervallum ne quidem aves hodiè superent volando, *Gen. 7. 11. 12. 13. 14. 15.* Exempla similia habemus in diluviis aliis. Oceanus quondam Germaniæ agros, & Scandivaniam ita inundavit, ut hanc ab illa dissepararet, freto interluente, quod nunc Codanum vocamus, & in quo plurimæ Insulæ deinceps exstiterunt. Refert de eluvione illa Aristoteles, *lib. 3. Eudemiorum, cap. 1.* Ex profugis erat Cimbrorum multitudo, quæ victricibus armis partem Europæ cismontanæ pervagata, demùm in Italiæ claustris à Cajo Mario prorsus deleta est, Florus *lib. 3. Historiæ Romanæ, cap. 3.* Appianus *in Celticis*, & prolixè Philippus Cluverius *in Germania antiqua, lib. 1. cap. 10. lib. 3. cap. 22.* Multas illas ad Mexicum sitas Insulas olim fuisse partem ejus continentis, ac per aquarum eluvionem maximam divulsas, ajebant ipsi Americani, teste Petro Martyre. Quemadmodum & Malabares referebant, plurimas Maldivas Insulas olim fuisse unam Continentem, uti prodit Georgius Hornius *lib. 2. de Origine Americanorum, cap. 6.* Ergò bestiæ in regiones illas abiverunt, antequam diluvium superfundebatur orbi, neque per diluvium enectæ sunt, quia hoc fuit solùm in illis Asiæ partibus, quas incolebant homines. A Borea non venerunt, secus quàm statuit Josephus Acosta *lib. 1. de Natura Orbis Novi, cap. 20.* Namque leones, pardos, tigrides non habet Boreas, qui tamen copiosi reperiuntur in America.

XX. Pergit Besoldus: *Ad promontorium bonæ spei incolæ nigerrimi sunt, & causam hujus nigredinis, calorem propinquitatemque solis omnes opinantur esse.*] dist. 10. Unde sint Æthiopes nigri, pluribus disquirit Augustinus Torniellus *in Annal. sacr. Tom. 1. pag. 133. seqq.* Concludit demùm, esse ab aspectu nigræ rei, quam Chusi, à quo Æthiopes orti sunt, mater gravida per imaginationem firmam apprehenderit, quomodo oves

positis à Jacobo variegatis baculis contraxerunt pelles maculosas, Gen. 30. 37. *Respondeo:* Quòd magna sit potestas imaginativæ in efformando fœtu, quatenus illa per objectum externum afficitur, negari haut debet, probatque Thomas Fienus *libro integro de Imaginativa.* Cæterùm in præsenti negotio haut valet, quando si unus isto modo productus est, non etiam sequitur, plures ita produci deinde temporum cepisse. Quòd enim occasio hujusmodi pluries sese obtulerit, ac populus universus nigrum colorem acceperit, probabile non est. Ab æstu vera causa non satis verè petitur, uti constabit per argumenta varia: Quia ab utero & cum primo ortu colorem istum habent ex albo quamvis semine: Quia in locis istis, ubi perinde validus, imò validior est æstus, quàm in Congo & Abassina, tamen sunt homines candidi, videlicet in Mombaza, Melinda, & S. Thomæ Insula: Quia inter medios Æthiopas in Regnis Congo, Quiloa, Zofala, aliis progenies Lusitana ab avito colore non degenerat, etsi jam centum annis amplius eosdem æstus toleraverint: Quia America, licèt æstuosissima, nullos alios tamen agnoscit Æthiopas, quàm paucos indigenas in Quaregua exigua ad fluvium S. Marthæ, provincia, & alios ex Africa ab Hispanis & Batavis importatos advenas: Quia in maximis Asiæ ardoribus pauci inveniuntur fusci, nulli verè nigri: Quia non potest dari evidens causa, quare corpus nigrum sit, corporis quædam partes albæ. Proinde à seminum natura jam olim colorem illum derivavit Herodotus, ineptè causatus tamen ipsorum seminum nigredinem similem, quo nomine rectè illum confutavit Aristoteles *lib. 3. de generat. animal. cap. 2.* Haut facilè tamen dixerim, quo authore aut qua de causa primò omnium iste color ceperit, antequam quasi in hæreditatem veniret. Fabulis simillimum est, quod Wilhelmus postellus *libro de Concordia orbis* scribit, à diris Noachi, quibus ille filium suum Chamum oneravit, in nepotem Chusum nigredinem eam derivatam esse. Quare enim non ob similem causam nigredo in Caino & filiis ejus ante diluvium effecta est, & ob similes diras? Imò quare Chusi unius posteritas à diris illis contraxit nigrorem, & non perinde alii posteri Chami? Denique si color iste ab intenso calore est, quamobrem non deteritur sensim eorum nigredo, cùm deportantur extra patriam suam, & sub nostrate cœlo provivunt, ubi non est calor adeò intensus & penetrabilis?

XXI. Magis verò etiam hîc refelli meretur Andreas Cæsalpinus Medicus Romanus, qui dum Aristotelicæ opinioni de æternitate mundi palàm cupit patrocinari, fingit, mortalium vetustissimos, instar murium aut ranarum in locis ob solis calorem æstuosissimis, quanquam ob varia impedimenta inaccessis, ex putredine olim procreatos fuisse, & quoque hodiè procreari, *lib. 5. Quæstionum Peripateticarum sect. 1.* Eo commento vult solvere nodum, qui nectitur contra Aristotelem à progressu in infinitum, (quem aliàs Peripatetici negant esse admittendum) si per continuam ab æterno successionem homines ex hominibus progeniti fuerint. Atqui longè facilius nobis est negare hoc assertum Cæsalpini, quàm ipse probaverit illud, quando istorum hominum è terræ putredine à solis influxu editorum nec vola, nec vestigium uspiam reperitur. Instat *Cæsalpinus:* (1.) Dictum Aristotelis

ſtotelis eſt : *Sol & homo generant hominem*, 2.Phyſ.unde conſtat,quòd animalium calor fœcundus eſt virtute caloris , qui ſoli ineſt. Quod ergò intra animalia operatur ſol, idem ipſum operabitur quoque intra aliam materiam congruam , ut illa fœcunda efficiat. *Reſpondeo:* Negatur,quòd ſeminis fœcunditas præcisè à ſole dependeat , erat enim herbarum fœcundarum progenies à Verbo Domini, antequam ſol erat , *Gen.* 1. 11.12.13.14.*ſeqq.* Deinde: Sol eſt agens univerſale,quicquid autem fit eſt ſingulare, itaque Philoſophus expreſsè addit particularem efficientem, ſol & *homo* , Cæſalpinus non rectè omittit,ut ſoli pares cum Deo vires agendi vindicet, impudenti auſu. (2.) Concedit Ariſtoteles , poſſibilem eſſe hominum generationem ex verme , *lib.* 3. *de generat.animal. cap.*10. Et 7. *Metaph. tit.* 22.31. ait, poſſe in natura eadem fieri, quæ ex ſemine fiunt , uti pateat in artibus. His ratio accedit : Cœli motus omnem perfectionem qualitatum & effectuum producit in ſublunaribus, ut quod poteſtate illâ contineant,actu perficiant, 1.*Meteor.*3. Ergò etiam putrem materiam afficere poteſt , ut animal producat. *Reſpondeo:* Mera teſtimonia à Philoſopho , & tamen illa etiam in ſenſum pravum detorti. Loco primo non concedit, ſed tantùm ὑποθετικῶς ponit: *Si eſt , uti veteres dicunt , initio quoſdam homines de terra procreatos fuiſſe , omninò vel ex verme , vel ex ovo prodiviſſe illos neceſſe eſt.* Loco ſecundo ait de formis accidentalibus, itaque ad omnia Naturæ opera , quòd illa imitari Ars poſſit,imperitè trahitur. Loco ultimo deſcribit influxum Cœli , quem in elementa derivat. Hoc non probat, animalia poſſe naſci è quiſquiliis per influxum Solis. (3.) Experientia teſtatur,plantas multas è putredine oriri, cimices, pulices, pediculos in veſtibus gigni , mures in navibus procreari. Quod natura facit in quibuſdam, idem facere poteſt in omnibus. *Reſpondeo:* Negamus antecedens. Putredo ſola nullam ſpeciem efficere poteſt, verùm ſeminalis vis ad producendam ſpeciem certam requiritur,uti alio loco demonſtrabimus, & multis proſequitur Fortunius Licetus *inſigni Opere de ſpontaneo vivendi ortu.*

XXII. Dicit Beſoldus: *Hominum etiam variæ commiſtiones ex populorum migrationibus ortæ , mirabiles mutationes produxerunt. Ita Celtæ in Liguriam ; Longobardi & Gotti in Italiam ; Gotti, Vandali ac Suevi in Hiſpaniam ; Franci & Burgundiones in Galliam ; Suevi in Allemanniam magnis agminibus profecti ſunt.*] Primi Italiæ habitatores ſunt à כתים Javanis filio , Japheti nepote, Gen.10.2.4.5. & prolixè Samuel Bochardus *part.*1.*Geographiæ ſacræ lib.*3.*cap.*5. Hinc enim propagavit ex ſeſe partem Inſulanorum, & illam continentem, quæ à Macedonia ſeſe porrigit uſque ad Italiæ fines mari ſeparatos à Sicilia , olim verò cum Sicilia uno tractu adhæſerat , uti referunt Juſtinus *lib.* 4.*hiſtor.* Pomponius Mela *lib.* 2.*cap.*7. Strabo *lib.*6.*Geograph.* Antiquitatis ſenſum expreſſit *Virgilius :* Eſt locus, Heſperiam Graii cognomine dicunt , Terra antiqua, potens armis atque ubere glebæ, Oenotrii coluêre viri , nunc fama minores Italiam dixiſſe Ducis de nomine gentem , *lib.* 1. *Æneid.* ubi Servius annotat : Oenotria dicta eſt à vino optimo , quod in Italia naſcitur, *pag.*216.*Commentar.* Prima horum ſedes fuit in Meſopotamia, ubi Oenotrios olim habitaviſſe, ex Hecatæo Abderita do-

cet Stephanus πεδίπλων. Ac verè tradit Dionysius Halycarnassæus *lib.* 1. *Historiarum*, fuisse Pelasgos, id est, advenas è Syria, פלגים. Accesserunt plures, atque turba miscella ista vocabantur Aborigenes, *οἱ αὐτόχθονες*. De quibus iterum *Virgilius*: Tunc Rex Evandrus, Romanæ conditor arcis, Hæc nemora indigenæ Fauni Nymphæque tenebant, Gensque virum truncis & duro robore nata, Queis neque mos neque cultus erat, nec jungere tauros, Aut componere opes norant, aut parcere parto, Sed rami atque asper victu venatus alebat, *lib.* 8. *Æneidos*. De כתים vide plura in sacris literis, *Numer.* 24. 24. *Esa.* 23. 1. *cap.* 11. 10. *Ezech.* 27. 6. *Dan.* 11. 30. 1. *Maccab.* 1. 1. Celtæ verò sunt pars Gallorum, quos commigravisse in Liguriam, refert Strabo *lib.* 2. *Geograph.* & adde prolixè Philippum Cluverium, *lib.* 1. *Italiæ antiquæ*, *cap.* 1. 2. 6. 7.

XXIII. Primi Gotti exterarum nationum in Imperium Romanum invaserunt, eo tempore, quo Decius Cæsar præerat, Vistulæ, Danubii, Balthici maris accolæ, iis locis, ubi nunc sunt Borussi, Cassubii, Tattari, Destenses, Crimæi, Roxalani, Siberi ad paludem Mæotidem. Postquam diripuerant Græciam & vicinas Asiæ provincias, repetiverunt patriam, sed post aliquod tempus ipsi etiam ab Hunnis Scythiæ Caspianæ populis in arctum redacti, adeoque novorum hospitum tædio iterum egressi, ceperunt Romam, Galliam Narbonensem, pulsis Vandalis, Hispaniam totam, Africam Tingitanam. Prisci noverant eos, uti Herodotus author est, qui dicit, Electrum vel succinum provenire ad fluvium Eridanum, *lib.* 3. Verba ejus sunt: De ultimis Europæ quid pro comperto referam, non habeo, neque adsentior, fluvium quendam esse, Eridanum à Barbaris vocatum, qui exit in mare Septentrionale, unde electrum venire narratur. Nam vel ipsum nomen fluviii Eridanus coarguit, esse Græcum, non verò Barbarum, ab aliquo Poëta confictum. Constat tamen, ab extremis Europæ ad nos venire succinum. *Hæc ille.* Insulas Electrides in Oceano Septentrionali ponunt veteres Geographi, Plinius *lib.* 4. *cap.* 16. De quibus vix dubitare licet, quòd sint Danici Regni Insulæ, & verò succinum hodiè colligitur affatim per littora Borussiæ ac Casubiæ. Guthones verò nomine vocabat Pytheas Massiliensis, relatus apud Plinium *lib.* 37. *historiæ naturalis*, *cap.* 2. Eridanus est, quem Vistulam appellamus, à quo profecti Gothi, versum regiones Danubio proximas, agros suos permiserunt ab Henetis Sarmatiæ populis inhabitandos. Tacitus libro de Moribus Germanorum: *Trans Lygios Gothones regnantur, paulò jam addictius quàm cæteræ Germanorum gentes, nondum tamen supra libertatem.* Horum traduces fuerunt Gutæ, qui Chersonesum Cimbricam, Daniam & Scandinaviam incoluerunt, atque in continentem regionis ejus secum adduxerunt Suiones, qui Suediam hodiè obtinent, Sitones, qui in Norvvagia habitant, Plinius *lib.* 4. *cap.* 13. De iisdem Tacitus: *Suionum hinc civitates, ipso in Oceano.* Et paulò post: *Suionibus Sitonum gentes continuantur.* Prolixius ista docent Philippus Cluverius *lib.* 3. *Germaniæ antiquæ*, *cap.* 3. 4. Johannes Loccenius *in Antiquitatibus Suedo-Gothicis*, *lib.* 1. *cap.* 1. Gotthi perinde & Gutæ adhibuerant olim Runicas lite-

ras,

ras, de quibus agit Olaus Wormius *libro de literatura Danica*, *cap.*4. Fallitur verò Wormius, cùm negat, verè tradidisse Socratem *lib.*4. *Historiæ Ecclesiasticæ*, *cap.*33. Sozomenum *lib.* 2. *Historiæ Ecclesiasticæ*, *cap.*37. Albertum Cranzium *lib.*2. *Suediæ cap.* 26. quòd ab Episcopo Ulfila sint inventæ litteræ Gotticæ: Nam, *inquit*, si regiones Aquilonares peragrati fuissent, invenissent cautes atque cippos his elementis ante tempora Ulfilæ exaratos, *l. d. pag.* 23. Respondeo: Literæ veteres Gotticæ, quas in Borealibus cippis reperias, non sunt eædem cum novis Gotticis ab Episcopo Ulfila repertis. Hæ sanè parum discrepant à Græcarum literarum forma, præter paucas aut aliunde acceptas, aut quas ipsi artifices pro arbitrio excogitabant ad exprimendos sonos unicuique sermoni peculiares. Testatur hoc quatuor Evangeliorum literis verbisque Gotticis edita versio, ex Codice argenteo in Bibliotheca Abbatiæ Werdinensis reperto, per Franciscum Junium è Typographeo Dodraceno. Runicæ sunt prorsus aliæ, uti collatio docet. Porrò Franci ad Albim & Rhenum accolæ in Belgicam & Galliam expediverunt, nunquam reversuri, novumque Regnum condiderunt, uti latè exponit Johannes Isaacus Pontanus *in Originibus Francicis.* Longobardi sunt Germani ad mare Balthicum, iique primo in Pannonia consederunt, inde Italiam aggressi, multis annis dominium obtinuerunt. Vandali quoque expilaverunt, inde Narbonensem Galliam, & Andalusiam Hispaniæ partem acceperunt, demùm verò Numidiam petiverunt, urbe Regiâ Carthagine electâ. Diximus in Recensu historiæ universalis *lib.*8. *cap.*1. *dist.*1.2.3. *cap.*3. *dist.*1. *lib.*13. *cap.*1. *dist.*1. *lib.*14 *cap.*1. *dist.*1. *lib.*22. *cap.*1. *dist.*1. ubi porrò legantur.

XXIV. Dicit Besoldus: *Non amplius ea fertilitas est in Palæstina, quæ Mosis & Josuæ tempore erat.*] dist.14. De Palæstinæ sterilitate suo jam tempore narrat Strabo *lib.* 16. *Geograph.* Scilicet vastaverant eam incolis asportatis, perpetuis bellis, Chaldæi, Syri, Macedones, ut deinceps non esset terra lacte & melle fluens, quam laudis prærogativam ferebat Mosis ævo, *Exod.*3.8. Moses erat, qui profugos ex Ægypto Hebræos per deserta Arabiæ deduxit in Palæstinam. *Justinus:* Dux igitur exsulum factus, sacra Ægyptiorum furto abstulit, quæ repetentes armis Ægyptii, domum redire tempestatibus compulsi sunt, *lib.*16. *histor.* De transitu per mare Rubrum ista sonant, & quidem corruptè. Transiebant Hebræi per mare, aquis restagnantibus ad partem alteram, ut per modum semicirculi, ducto intra mare longo ordine, promontorium circumirent, & ad littus idem, à quo progressi fuerant redirent. *Constat:* (1.) Quia mare Rubrum non omninò separat Ægyptum à Palæstina, sed tantùm partes Ægypti superiores disterminat ab Arabia, itaque poterant Hebræi transire de Ægypto in Palæstinam, ut non opus esset ire per mare itinere facto secundùm latitudinem. (2.) Quia certum est, quòd tàm ante quàm post ingressum exitumque de mari Rubro Ebræi ambulaverint per desertum Etham, uti manifestè dicitur, *Exodi* 13. 20. *Numer.* 33. 8. Itaque ad littus idem reversi fuerunt, quando notum satis est, maris unum latus solùm à deserto compre-

hendi. (3.) Quia profundius est mare illud per latitudinem eundo, quàm ut possit solum ejus pedibus contingi, aut inde ad littora aliquis enitatur. Hanc sententiam rectè defendunt Aben-Esdras & Tostadus *Commentariis ad Exod. 14. quæst. 9.* adversus quos frustrà disputant Torniellus *Tom. 1. Annalium sacrorum, pag. 290. 291.* Jacobus Bonfrerius *Commentariis ad Exodum, pag. 417.* Andreas Rivetus *Commentariis ad Exodum, pag. 937.* Cornelius à Lapide *Commentario ibidem.*

XXV. Pergit Besoldus: *In Chaldæa, ubi imperium nulli simile, ubi hominum incredibilis erât multitudo, nunc tristis est solitudo.*] l. d. Neque Asia vicissitudinibus suis caruit. Imperium Chaldæorum erat potentissimum, tunc quando Nebucadnezar præerat, everso illo, Persæ dominium corripuerunt, hos Græci destruxerunt, *Dan. 2. 37. 38. 39. 40. 41. cap. 8. 4. 5. cap. 10. 20. 21. cap. 11. 12. 3. 4.* Deinceps instauraverunt Parthi, & contra Romanos acriter defenderunt, mox Arabes, Saraceni, Turci, Tattari Imperium Orientis per vices invaserunt. Arabum Cedarenorum obscuram hactenus gentem ad summum potentiæ & gloriæ fastigium evexit Muhammedes Patricius Meccanus, sed vates impostor, qui armis rem gerere ausus, Regnum Higiazæ condidit, inque septem מרכזות Præfecturas divisit, uti sunt Mecca, Bahra, Taifa, Sana, Gineda, Jemen, Ginsrea. Ejus memoriam sanctè colunt Arabes in Meccæ templo uno, nec non in altero Medinæ, ubi sepultus est Orientis audacissimus seductor. Porrò successores in Bagdad & Kairovana Califæ felicissimo progressu Asiam majorem, Persiam, Parthiam, Mediam, Insulas Mediterranei & Ægei maris, Africam maritimam, Nigritarum populos, Hispaniam, Galliam Narbonensem occupaverunt, Italiam multis cladibus affecerunt. Deinceps Turci à Corasena & Hircania profecti eis eripuerunt Persiam, Syriam, Ægyptum, usi Duce Togrul-Beko: Hos pariter atque istos oppresserunt Tattari, ex remotissimo orbis supra Mangi, alio nomine China dicta, angulo egressi, ductu Changis-Chani, qui Mogolis provinciæ in Turquestana dominus correptis armis subigebat vicinas provincias, Argon, Tenduc, Tangut, Tebet, Chincital, Cathai, ubi hactenus imperaverat Juhanna Chan, dictus à subditis suis cognomine Persis familiari פרסתא גאז Preste Chan, id est, Rex Orthodoxus, quia profitebatur Religionem Christianam Nestorianæ sectæ, quam eis olim obtruserat Cosdroës Parthiæ Rex incitus odio erga Heraclium Cæsarem. Occiso Johanne, & terris ejus ad tributa danda coactis, Chingis Mogoles desertâ Turkestanâ emigravit in vicinæ Scythiç hordas, potitusquè omnibus illis vocavit Tattariam, ab avita familia sua, quæ sibi cognomen Tatar imposuerat. Ejus posteri Sinam, Persiam, & maximam Indiæ partem corripuerunt, inque Europam effusi, Gottos sive Polaccos in Taurica vicerunt, Rossos, Moscos, Nisovios, Lithuanos, Livonos, Alanos domuerunt, omnemque Sarmatiam ad mare glaciale usque, & in Germania Silesiam, Moraviam, Bohemiam, Austriam, Ungariam vastaverunt, ita ut à Nova Zembla ad mare Caspium, & à finibus Cathajæ ad Germaniæ fines vastissimum imperium obtinerent. Nec tamen ad tempus benè longum, Namque Parthi libertatem recuperabant, deinde etiam Ottomanni in Asia minori, Ciracassi Mama-

Mamaluki in Syria, oppugnaverunt Tattaros. Donec è Tattaria Sagathai prodiret magnus ille Timur-Leng, novaque expeditione obrueret Parthos in Asia majori, Turcos in Asia minori, Circassios pelleret Syriâ, Tattarorum Hordas omnes uno imperio conjungeret, innumeras provincias debellando, ut à Sinarum finibus ad mare Mediterraneum populos omnes imperio suo complecteretur. Sed posteri ejus amiserunt. Plura dixi in Recensu historiæ universalis *lib.*20. *cap.*1.2. *lib.*21. *cap.*1.2. *lib.*22. *cap.*1.2.

XXVI. Dicit Besoldus: *Et ubi olim orbis miraculum Babilon fuit, ibi nunc nullum est vestigium humanum.*] I.d. Babilonis conditor fuit Nimrodus, de quo Moses: *Erat principium Regni ejus Babel, Erek, Acad, Calne in terra Sinear,* Gen.10.10. Babilonis auspicium refert idem divinus Scriptor, *Gen.*11.2.3.*seq.* ad quem contextum luculenter commentatur Samuel Bochardus *in Geographia sacra, part.*1. *lib.*1. *cap.*8.9.10. 11.12.13. & *lib.*4. *cap.*12.13.14.15.16.17. 18.19. Ab Erek fuerunt olim campi Arectei, quos memorat Tibullus: *Ardet Arecteis aut unda perhospita campis,* lib.4. Eleg. 1. De campis igne flagrantibus ob copiam Naphtæ ebullientis, loquitur, uti annotant Josephus Scaliger *in Commentariis, pag.* 150. & Claudius Salmasius *in Exercitationibus Plinianis pag.*1194. Unda perhospita, id est, nimis frequens liquor, τὸ ἄγαν ξενίζον ὕδωρ. Estque ἀράκκα apud Ptolomæum *in Descriptione Susianæ.* Pergit Moses: De terra hac processit in Assyriam, ubi ædificavit Niniven, & Rehobotas urbem & Calachum, *Gen.*10.11. Sic enim debent verba illa transferri cum Paraphrasta Chaldæo, uti rectè monent Tremellius *notis ad h.l.* Janus Drusius *Observationibus ad Genesim, cap.* 27. David Paræus *Commentariis ad Genesin, pag.*870. Johannes Gerhardi *Commentariis ibidem, pag.*257. Samuel Bochartes *in Geographia sacra part.*1. *lib.*4. *cap.*12. Christ. Scotanus *part.* 3. *Commentariorum ad Sulpitium Severum, pag.*120. Andreas Rivetus *Exercitat.* 65. *in Genesin.* Alium omninò sensum inferunt Romanus Interpres, Castalion, Munsterus, Pagninus, quando reddunt, *de terra illa* (Babilonis) *egressus est Assur, & ædificavit Niniven.* Unde quidam cum Hieronymo in locis Ebraicis excogitarunt Assures duos, unum Semi filium, *Gen.* 10.22. alterum de posteris Chami. Verùm impingunt illi, nec enim loquitur Moses de posteris Semi, ad quos demum *infrà vers.* 22. pervenit, sed agit de posteris Chami, inter quos excelluit Nimrodus Imperii Babylonici conditor. In Hebræo est ellipsis præfixi ב, & *Assur* ponitur loco regionis, quam incoluerunt Assyrii, *Num.*24.22.24. Egredi, est suscipere expeditionem in terras peregrinas, uti *Judic.*2.15. *cap.*11.3. 2.*Sam.*11. 1. *Psalm.*60.12. *Psalm.*68.8. *Esa.*42.3. Notæ Vatabli: Assur fuisse unum è posteris Semi, credibile est. Vulgò autem obtinuit opinio, per occasionem verba de eo fieri, quòd cùm habitaret in vicinia Nimrod, violenter inde expulsus fuerit. Hoc modo barbaram ferocitatem Nimrodi notaret Moses. Alii volunt, non violenter fuisse expulsum, sed cùm esset Assur vir pius, ne cum homine impio habitaret, discessisse ab eo, & ædificavisse Niniven, Rehoboth, Calnen urbes. *Sic ille.* Quæ omnia perinde, uti illa quæ suprà retulimus, oriuntur à prava interpretatione verborum Mosis.

XXVII.

XXVII. Dicit Besoldus: *Hebrææ seu lingua sancta produxit Chaldæam, Syriacam, Arabicam, eâfere ratione, quâ Latina cum Germanicis dialectis confusa Italicam, Hispanicam, & Gallicam modernas generavit.*] l. d. dist.16. Vulgò statuitur, Ebræam esse inter omnes linguas antiquitate nobilissimam, quandoquidem illa seculis antediluvianis obtinuerit, itaque in familia Nohæ adusque constructam turrim Babilonicam duraverit, cùm porrò aliæ gentes orbis peculiares quasque linguas acceperunt, Hebræam domi suæ conservaverit Eber, qui turrim structam nullo consilio vel opere adjuverat, inde ad posteros suos, quos inter celeberrimus erat Abrahamus, commendaverit invariatam. Ita docent Rabbinus Simeon Ben-Jochai *in libro* זהאך, Author *libri* כוזרי *Orat.2.sect.*68. Rabbi Ben-Gerson, Aben Esdras, Abravaniel, Salomoh Ben-Jarchi *Commentariis ad Genesin* 11. 1. 2. & sequuntur Augustinus *lib.* 16. *de Civitate Dei,cap.*11.*lib.*18.*cap.*39. Eucherius *lib.* 2. *Commentariorum in Genesin,cap.*7. Daniel Chamierus *Tom.* 1. *Panstratiæ Catholicæ, lib.* 12.*cap.*1.*num.*2. Matthæus Beroaldus *in Chronologiâ sacrâ lib.*3.*cap.*3. Jacobus Usserius *Tom.* 1. *Annalium sacrorum, pag.* 11. Christianus Scotanus *part.*3.*Commentariorum ad Sulpitium, pag.*83.*seqq.* Abraham Calovius *in Critico sacro,pag.*307.*seqq.* Nicolaus Fullerus *lib.*4.*Miscellaneorum sacrorum, cap.* 4. Franciscus Junius *Oratione de lingua Hebræa*, Andreas Rivetus *Commentariis ad Genesin, Exercitat.* 66. Johannes Stephanus Menochius *lib.* 1. *de Republica Hebræorum, cap.*2. *quæst.*14. Samuel Bochardus *in Geographia sacra, part.*1.*lib.*1. *cap.* 15. & defendit prolixè Johannes Buxdorffius *in Dissertationibus Philologico-Theologicis, sect.*12.3. Claudius Duretus *in Historia linguarum, cap.*2.3.4. Johannes Seldenus *Prolegomenis ad libros de Diis Syrorum, cap.*2. Verùm lingua Hebræa nec ab Ebero denominatur, nec est primitiva illa ante diluvium usitata: Sed est Chaldaica origine, quam Abrahamus è patria sua Dei auspicio evocatus, in Phœniciam secum deportavit, ubi ejus posteri incolatus jure usi commorabantur, & Phœniciciam sermonem permiscebant Chaldaico, quæ dialectus cepit vocari Ebraica. Cumque novo genere dicendi efferebatur, cepit esse Arabica ab Ismaële, qui erat Abrahami filius, & porro ab Esavo, qui erat ejusdem nepos ex Isaaco, *Gen.* 15. 16.*seq. cap.* 32. 3.*seq.* 1 *Chronic.* 1. 29.*seq.* Nam horum duorum posteri Chusitis immisti habitaverunt Arabiam. Posteri Ismaëlis referuntur ordine, *Gen.*25. 13. 14. 15. 16. & sunt in eis Nabathæi, Kedareni, Ithuræi, de quibus agit Plinius *lib.*5.*cap.*11.*&* 23. De Esavo cumprimis sciri debet, quòd ille fuerit Edom, id est, Ruber, eodemque significatu meruerit appellari ὁ φοίνιξ, nec non ὁ ἐρυθρὸς. *Plinius* scribit: Nave primus in Græciam ex Ægypto Danaus advenit, ante ratibus navigabatur inventis inter Insulas maris Rubri ab Erythra Rege, *lib.*7.*cap.*56. Erythras Rex est ille, cujus sepulchrum narrat Curtius, repertum esse in quadam Oceani Insula palmetis consita, *lib.*10.*cap.*2. Et Scriptor idem: Mare certè quo alluitur, ne colore quidem abhorret à ceteris. Ab Ærythra Rege inditum est, propter quod ignari rubere aquas credunt, *lib.*8.*cap.*17. Eodem modo Strabo *lib.* 15. *Geograph.* Solinus *in Polyhistore, cap.*46. Arrianus *lib.*8. Philostratus

stratus *lib. 3. de vita Apollonii*. Erythram literæ sacræ insigniunt cognomento Edomi, qui in has regiones profectus cum imperio amplissimo longè latèque gentibus illis dominatus Oceano nomen indidit ים אדום, ut ad posteritatis memoriam duraret. Latius hoc monstrant Nicolaus Fullerus *lib. 4. Miscellaneorum sacrorum, cap. 20*. Ludovicus Capellus *Spicilegio ad Novum Testamentum, pag. 108 109*. Janus Drusius *Observationibus ad loca difficiliora Exodi, pag. 187*. Gerhardus Johannes Vossius *lib. 1. Theologiæ Gentilium cap. 34*. Quòd enim Joachimus Vadianus *Notis ad Melam, pag. 205*. dicit, rubram arenam esse aquis subjectam, unde nomen illud mare adsciverit, hoc, *inquam*, oppidò falsum est, quando bolidis jactu exploraverunt illi, qui totum hunc sinum diligenti navigatione perlustraverunt, arenas maris ejus esse aliis consimiles, Ludovicus Vartomannus *lib. 1. Itinerarii Orientalis, cap. 21*. Christophorus Furerus *in Itinerario, pag. 34*. De Phœnice notum est illud *Silii Italici*: Et qui longa dedit terris cognomina Phœnix, *lib. 1. de bello Punico*. E Syria Palæstina, quam à cognomento suo Phœniciam denominavit, appellatione inter Græcos familiari, profectus ad mare Rubrum, colonias suas ibi deposuit, quomodo etiam aliis populis contigisse, notum est, ut emigrando mutaverint loca veteris habitationis.

XXVIII. Jacob & posteri ejus in Ægyptum detulerunt, unde egressi iterum, Mose duce, Phœniciam majoribus suis promissam, & quasi possessam, armis occupaverunt, pulsis Chananæis. Inde est *Esaiæ 19. 18*. שפת כנען *lingua Chanaan* sive Phœnicia, id est, Ebræa, ubi *Nicolaus Lyranus* equidem notat, dici linguam Canaan, non quòd eâ Chananæi uterentur, sed quòd eorum, qui terram Chanaan multis jam seculis possederant, nempe Judæorum propria esset. Quæ ratio non sufficit. Non solùm enim quia Judæi terras illas habitabant, sed imprimis, quia terræ ejus sermonem vernaculum, advenæ ipsi assumpserant, lingua Hebræa vocatur lingua Cananæa. Ita literas Phœnicicas vel Punicas nominat Plutarchus *lib. 9. Sympos. quæst. 3*. quæ sunt Hebraicæ. Et quantum Punica lingua non differat ab Hebræa, constare potest è Plauti Comici *Pœnulo*, ubi sunt multa Punica malè descripta, quæ emendaturus aliquando fuisset Josephus Scaliger, uti promittebat, *Appendice ad lib. 7. de Emendatione Temporum*, sed tamen negociis aliis impeditus haut fecit, itaque loco ejus præstitit Samuel Petitus *lib. 2. Miscellaneorum, cap. 1. 2. 3*. post quem novo labore Samuel Bochardus *part. 2. Geographiæ sacræ lib. 2. cap*. & Philippus Paræus *Animadversionibus in Plauti Comœdias, pag. 61. seqq*. idem egerunt. Qui Punica legit, is Cananæa legit, Hebræa legit, quatenus omnes istæ dialecti sunt ejusdem originis. Pœnorum Metropolis Carthago, vocatur Chadre-anach, id est, civitas Anakæorum, postquam scilicet Chananæi bello sacro devicti concesserunt in agros illos, atque inter illos præcipui Enacei ענקים. Nova colonia deinceps accessit cum Didonis Reginæ adventu, mansitque nomen vetus, non invidentibus advenis hanc, quantulacunque esset, appellationis gloriam, priscis conterraneis suis, quibus acceptum referre debebant, patere sibi in Africam aditum.

XXIX. Quòd veteres ibi conterraneos

Aa habue-

habuerint, negari haut debet. constatque satis de Hercule Tyrio מלך קרתא, quòd Phœnicum ritu coleretur in Gadium templo, uti testantur Pausanias *in Phocicis*, Pomponius Mela *lib. 3.* Appianus *in Ibericis.* Tantùm hîc notetur, quod Salustius *in Jugurthina* dixit, *postquam in Hispania Hercules, sicut Afri putant, interiit, exercitus ejus compositus ex variis gentibus, amisso duce, brevi dilabitur, ex eo numero Medi, Persæ & Armenii navibus in Asiam transvecti, proximos nostro mari locos occupaverunt*, pag. 95. Decepit eum nominum similitudo, adeoque Medos & Armenios notissimas sibi gentes perscripsit, ubi in Punicis Annalibus erant Midianitæ & Aramæi cives Herculis, ejusque comites, sed profugi, cùm Syriæ partes illas occupabant, duce Josuâ, aut saltem quando in vicinis Arabiæ locis habebant stativa latissima, duce Mose, & internecionem gentis facere volebant gladio, postquam Bileami fraudibus seducti, cladem à Deo acceperant, *Num.* 25. 17. 18. *cap.* 31. 1. 2. *seq.* Populi hi Romanis ignoti erant, id quod aliovorsum convertit optimum Scriptorem. Ita etiam Persas appellavit, qui in iisdem Annalibus erant פרזי Pheresæi, magna itidem Phœnicum pars. Quòd porro ait, *nomen eorum paulatim Libyes corruperunt barbarâ linguâ Mauros pro Medis appellantes*, nimium etiam recedit à vero. Mauri sunt ab Amorrhæis de trita litera prima, solita proximè ἀφαιρέσει, & verò Amorrhæi, celebres fuerunt in Cananæis, fugati inter primos, *Num.* 21. 21. *seqq.*

XXX. Indidem est, quod Abraham vocatur Hebræus העברי, *Gen.* 13. 14. Cui nomen illud minimè ab Hebero accessit, secus ac contendunt Janus Drusius *Observationibus ad loca difficiliora Geneseos, cap.* 29. Vatablus & Tremellius *Notis ad Genes.* 10. 21. Carolus Sigonius *lib.* 1. *de Republica Hebræorum, cap.* 1. Samuel Bochardus *in Geographia sacra, part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 14. quia neque ille ita nobilis erat præ majoribus aliis in eadem serie, & quia tot alii parentes intercedebant: Sed ita vocabant eum Cananitæ, quòd è Chaldæa & locis trans Euphratem sitis advenerat, ut rectè contendunt Chrysostomus *serm.* 35. *in Genesin*, Theodoretus *quæst.* 60. *in Genesin*, Augustinus *quæst.* 29. *in Genesin*, Moses Gerundensis *Commentariis ad Genes.* 14. 13. Christianus Scotanus *part.* 3. *Commentariorum ad Sulpitium Severum, pag.* 87. *seqq.* ac confirmatur loco manifesto, *Josue* 24. 3. Ergò *περάτην*, id est, *transitorem* vertit Aquila Ponticus. Deinceps nomen illud in cognomen gentilitium venit, *Gen.* 39. 14. 17. *Exod.* 3. 18. 1. *Sam.* 13. 3. *Jonæ* 1. 19. Instat *Bochardus:* (1.) Certum est, quòd Trans Ephratenses in literis sacris dicantur אחשי מעבר נגהך 2. *Sam.* 10. 16. *Esdræ* 4. 10. 11. quod non est עברים. *Respondeo:* Neutrum repugnat alteri, itaque utroque nomine vocantur. (2.) Prætereà Ebræi nomen fuisset Abrahæ, non etiam commune cum posteris, quia solus fuit Trans-Euphratensis. *Respondeo:* Sæpius usu venit, ut agnomen proprium vertatur in cognomen gentilitium. Edom erat viri agnomen, quia cum rubra cæsarie in lucem prodiverat, *Gen.* 25. 25. ab illo dicti sunt posteri ejus, quanquam non ita pilosi nascerentur. (3.) Denique Ebræorum gens etiam vocatur Eber, *Numer.* 24. 24. & filii Eber, *Genes.* 10. 21. ut ab Ebero tàm deduci scias Ebræorum nomen, quàm Judæorum à Juda. *Respondeo:* Negatur, quòd locis illis

Judæi

Judæi intelligantur. Sermo enim est de populis ultra Euphratem degentibus, uti dictum est *supra cap.* 16. *dist.* 1. quos bello vastavit Alexander Macedo. Semus dicitur *esse pater omnium* (qui habitant) *ultra* (flumen.) Tales sunt, qui vel Euphratem accolebant, ut Syri, Chaldæi, Armeni, vel mare magnum, ut Indi. Omnium horum progenitor Semus est. Denique lingua Hebræa non tàm posterorum Semi atque Heberi propria erat, quàm Chami & plurimarum ab eo derivatarum gentium communis, itaque Hebræi & Phœnices invicem colloquebantur, nullo interprete usi, *Gen.* 12. 5. *cap.* 23. 3. 4. *Judic.* 1. 14. *Josuæ* 2. 2. *seqq.*

XXXI. Nostra sententia est. quòd primæva lingua non exstet hodiè apud gentem aliquam, sed cum dispersione gentium desiverit prorsus esse, quanquam in omnibus linguis reliquiæ ejus superesse, non immeritò credantur. Ita nobiscum docent Josephus Scaliger *Animadversionibus ad Eusebii Chronicon, num.* 167. Johannes Gerhardus Vossius *lib.* 1. *de Arte Grammatica, cap.* 10. Ludovicus Cappellus *in Phalego*, Hugo Grotius *Notatis ad Genesin* 11. 1. Philippus Cluverius *lib.* 1. *Germaniæ antiquæ, pag.* 74. Georgius Hornius *Notis ad lib.* 1. *Sulpitii Severi, pag.* 22. Porrò expendamus ea, quæ Fullerus *l. d.* in contrarium adfert. *Dicit:* (1.) Qui linguas comparat, videbit Hebræam esse matricem omnium, itaque viri docti Græcarum & vocum Latinarum derivationes in illa scrutantur. *Respondeo:* Multa in illis conatibus sunt coacta nimis, quæque fortuna & conjectura valent, non etiam studio & secundùm rei veritatem. Si quædam congruunt, tàm illa ex Chaldæo, imò Syro, quàm ex Hebræo sermone derivari potuerunt. (2.) Quemadmodum in re quavis Deus voluit esse primum aliquod, secundùm quod alia mensurantur, ita quoque in linguarum varietate esse voluit primam aliquam liguam secundùm quam aliæ mensurentur. Hæc verò quænam est, nisi Hebræa est? *Respondeo:* Si olim una lingua exstitit, quæ mensura cæterarum esse poterat, & verò deinde per confusionem omnium non exstitit pura, quid inde perfectioni linguarum vel accedit, vel detrahitur, quæ non tàm in derivatione ociosa quàm in notione pervulgata consistit. (3) Lingua illa divinitus conservata est, ut nobis in memoriam revocet confusionem Babeliticam, quomodo in Iridis aspectu discimus, fuisse diluvium. *Respondeo:* Non valet consequentia, quando hoc de Iride scriptum est, & meritò creditur, *Gen.* 9. 13. 14. 15. 16. illud de linguæ Ebrææ primæva vetustate scriptum non est, itaque nec creditur, *Gen.* 11. 6 7. 8. 9. (4.) Tanti precii linguam fuisse in maledicta Chami posteritate, non est credibile. *Respondeo:* Imò quia rationem illis voluit largiri Deus, quomodo orationis commercium denegaret? (5.) Potius verum est, quòd penes domesticos Ecclesiæ Nam, Semum, Heberum, qui non fuerunt participes conspirationis in turri condenda, remanserit, ut docet Augustinus lib. 16. de Civitate Dei, cap. 11. *Respondeo:* Habuerunt Chaldaicam linguam eamque Abrahami posteritas cum Phœnicica miscendo effecit, ut Hebræa dialectus existeret. (6) Ab Hebero dicti sunt Hebræi, quòd ejus posteri essent, & ab eo primævā linguam accepissent. *Resp.* Falsum hoc est, uti diximus *suprà dist.* 30. (7.) Oportebat Hebræam esse linguam principem, quam Patriarchæ & Prophetæ non solùm in sermonibus suis, verùm etiam in literis sacris describendis adhibuerunt. *Resp.* Principem

esse linguam, id est, præstabilem, non negamus, ob causas illas, quas profert Fullerus, verùm negamus, primogeniam esse. Græca lingua non est primæva, & tamen Scriptores divini adhibuerunt illam in Novo Testamento. (8.) Viri pii abstinuerunt semper à consortio pravorum, quomodo igitur Abrahamus accepisset à Chananæis linguam Hebræam? *Respondeo:* Non abstinuit à consortio Phœnicum, quia inter illos vixit obiitque, *Gen.* 11. 31. *cap.* 12. 1. 2. *seq. cap.* 23. 1. 2. *seq. cap.* 25. 7. 8. *seqq.* Et ab hac consuetudine, quam ipse & posteri ejus apud gentes istas habuerunt, est illa perceptio linguæ peregrinæ, cumque vernacula permistio, quomodo fieri solet. (9.) Abraham nolebat sepulturæ consortium habere cum gentibus pravis, *Gen.* 23. 1. 2. *seqq.* multò minus eorum linguam addisceret, quò plus hoc quàm illud pietati nocere poterat. *Respondeo:* Imò cùm veniebat è Chaldæa, docebat verum Deum cœli terræque potentem, *Gen.* 12. 8. Tantum proderat habere commercium sermonis, non verò oberat, *Gen.* 23. 5. 6. Denique falsum est, quòd inter Chananæos sepeliri noluerit. Quos enim vivus coluerat, uti amicos & patronos suos, illis defunctus adesse velit semper, & apud eos cum posteris suis voluit sepeliri, *Gen.* 25. 4. *cap.* 25. 9. 10. *cap.* 35. 29. *cap.* 49. 30. 31. *cap.* 50. 13. *Exod.* 13. 19. (10.) Hebræi nolebant secum pati Moabiticam linguam, *Nehem.* 13. 23. *seqq.* multò minus progenitores eorum addiscerent Phœnicicam, quando Phœnices religione profani, origine extranei essent. *Respondeo:* Hebræi terrarum suarum domini, respuebant illa commercia & connubia, quia erant periculosa: Abraham in terris peregrinis hospes, non poterat sine terræ ejus incolarum commercio esse, quando linguæ consortium nihil mali in se habebat.

XXXII. Dicit Besoldus: *Celtica pariter, Cantabrica, vetus Hetrusca, Ægyptia, aliæque multæ linguæ abolitæ omninò sunt, & planè hodiè ignorantur.*] l. d. De his videantur Gesnerus *libro de Linguarum Differentiis*, Waserus *in Annotatis*, Paulus Merula, *part.* 2. *Cosmographiæ, lib.* 2. *cap.* 8. *lib.* 3. *cap.* 15. *lib.* 4. *cap.* 18. Athanasius Kircherus *in Prodromo Coptico*, Samuel Bochardus *part.* 2. *Geographiæ sacræ, lib.* 1. *cap.* 42. Philippus Cluverius *lib.* 1. *Germaniæ Antiquæ, cap.* 5. 6. 7. 8. Nos hîc finimus.

COROLLARIUM.

Relectio de origine gentium.

SUMMARIA.

1. *Noah agricola.*
2. *Ejus tres filii.*
3. *Posteri Japheti.*
4. *Gomer & Magog.*
5. *Madai.*
6. *Javan, Thubal, Mesech, Thiras.*
7. *Ascenas, Riphat, Togarma.*
8. *Elisa, Tharsus, Kitthim.*
9. *Chus, Misraim, Phut.*
10. *Patros, Caphtor.*
11. *Posteri Chanaanis.*
12. *Semus, Assur, Elam.*
13. *Eber, Phaleg. Jectan.*

I. DE gentibus, quas à sese filii Nohæ propagaverunt, ita docet Rabbinus Abrham Zacuthi *in* ספר יוחסין *fol.* 134. *seqq.*

Postea

Postea fuit vir justus & integer, de quo scriptum est, iste consolabitur nos, *Noah nomine. Hujus aetatis anno sexcentesimo diluvium fuit supra terram, & servavit eum Deus benedictus in arca, quae requievit in monte Ararath, id est, Armeniae, ubi hodieque supersunt arcae reliquiae, quibus superiori seculo utebantur pro medicamento.*] Quare de Noacho scriptum sit, *iste consolabitur nos ab opere nostro, & à dolore manuum nostrarum de terra, cui maledixit Dominus*, Gen. 5.22. causa est, quòd aratra & plura instrumenta inveniendo, ruris operas deinde multò faciliores præstiturus erat, postquam terra maledicto divino percussa, molestum cultum peteret sibi, *Gen. 3.17.18. cap. 9. 20.21.* De reliquiis arcæ dictum est *suprà cap. 20. dist. 4.*

II. Pergit Rabbinus: *Porrò in Lege quidem habetur, Noam cum tribus filiis ex arca abivisse, sed in Annalibus refertur, illi natum esse deinceps quartum filium*, Jonichum *nomine, Astrologiae inventorem, quiq; Nimrodum docuit rationem belli gerendi.*] Commenta sunt, quæ de Jonico dicuntur. Noam enim post diluvium nullos procreavisse liberos, docet Scriptura, cùm ait, à tribus filiis illis, quos generaverat ante diluvium, propagatum esse genus humanum in universa terra, *Gen. 10.1.2.6.21.32. 1. Chronic. 1.5. seqq.*

III. Pergit: *Filii Japhet septem fuerunt in Europae regione, & habitaverunt ab initio Moscoviae usque ad Portugalliam, quae vocatur finis terrae.*] Non rectè Japheti posteris eosdem, quos Europæ, limites ponit, cùm ex iis non pauci in Asia habitaverint, ut dictum est *suprà cap. 20. dist. 4.*

IV. Pergit: *Gomer & Magog sunt Gothi, qui venerunt è locis Moscoviae vicinis, & Moscovia & Haliz.*] Neque ista verò consentanea sunt. Gotti sunt populus è Germania Balthica, uti diximus *supra cap. 20. dist. 23.* & Moscovitæ sunt propago Thracum, à Ponto Euxino remotius profecti in Scythiam vicinam, quæ Sarmatia alio nomine vocata est. In cujus extremis finibus posuerunt veteres Geographi montes Riphæos & populos Hyperboreos, *gentem felicem, quae annoso degat aevo, fabulosis celebratam miraculis*, ait Plinius *lib. 4. cap. 12.* & adde Pomponium Melam *lib. 3. cap. 4.* Ac montes quidem sunt, quos hodiè appellamus Obii, à faucibus Albi sinus ad ostium usque Obii fluminis, & promontoriorum ejusdem nominis, Russiæ littori & Septentrionali Oceano obtenta juga. *Lucanus*: Populos utrâque vagantes Armeniâ, Pontique feras per littora gentes, Riphæasque manus, & quas tenet æquore denso, Pigra palus, Scythici patiens Mæotica plaustri, *lib. 2.* Hyperborei sunt, quos hodiè vocamus Tingoësios. Haliz quid sit, nescio, ait Bochardus *part. 1. Geographiae sacrae, lib. 4. cap. 3.* Nos scimus, esse maximam urbem Roxalaniæ, apud Petrum Bertium *in Tabulis contractis, lib. 6. pag. 685.*

V. Pergit: *A Madai sunt Medi, atque hi ab una parte contingunt Regnum Moscoviae, & magnum fluvium Adel nomine, qui è deserto Moscoviae fertur ad mare Chozar. Ad illud, inquam, mare à parte est versus Occidentem Media, quae hodiè Sirvan dicitur cum vicinis omnibus Regnis.* Fluvius Adel est, quem alio nomine appellamus Volgam, & mare Chozar, in quod fertur ille, est Caspium, Petrus Bertius *in Tabulis contractis, lib. 6. pag. 688.* Scribit *Beroaldus*: *Madai*

tertius Japheti filius nomen dedit Medis, populis à se prognatis, quorum fuit, quemadmodum & Assyriorum, amplum in Asia majore Imperium. Ii enim everterunt aureum Imperium Babyloniorum, non autem Persæ, qui tunc temporis aut fœderati, aut subditi Medorum fuerunt. Quod quidem ex Jeremiæ Prophetæ scriptis potest intelligi, qui Medos ad evertendam Babilonem, advocatis auxiliis parentium sibi populorum, hortatur, *cap.* 51.11. Daniel quoque *cap.* 5.18. idem docet: Phares, divisum est Regnum tuum, & datum est Medis ac Persis. Persæ autem Medis in Imperio successerunt. Mortuo enim Dario Medo, qui potentiam Babilonicam ad se, cæso Balthasare, & captâ Babilone, traduxerat, successit Cyrus Persa, sicut Danielis Historia monstrat, *cap.* 5.30. *cap.* 6.1.2.29. Quæ vanitatis & mendacii redarguit profanas historias, quæ tradunt, cæsum esse à Cyro Balthasarem, & occupatum ab eodem continuò fuisse Imperium Babilonicum, *lib.* 4 *Chronologiæ sacræ, pag.* 288. Respondeo: (1.) Babiloniorum Imperium afflixerunt quidem Medi, tunc cùm Arbacis voce excitati, in prælium adversus Regem Sardanapalum exiverunt, & Niniven urbem expugnaverunt: Sed respiravit illud auspicio Nabonassaris, & evectum est ad summam potentiam sub Nebucadnesare, ut tunc verè aureum esset, id est, validissimum multò & toti Asiæ formidabile, quod diximus in Recensu historiæ universalis, *lib.* 1. *cap.* 1. *dist.* 8. *cap* 4. *dist.* 1.2.3. (2.) Posteri Nebucadnesaris florentissimum Imperium amiserunt, victi à Persis & Cyro Rege horum, qui anteà Medos bello victos, fregerat, subditosque Imperii Persici effecerat, uti diximus *loco prolato, lib.* 1. *cap.* 2. *dist.* 3. *cap.* 4. *dist.* 3. Et de hoc bello vaticinatur Jeremias *cap.* 51.11. Verùm, quod Daniel refert *cap.* 5.28. non pertinet ad hoc negotium, aut saltem obscurè. Nabonidus enim, qui Baldassarum excepit, Medus erat, Nabonidum ejecit Cyrus, atque ita Regnum Babilonicum accessit Persis Medisque in solidum, *Dan.* 5.30. *cap.* 6.1.2.39. & nos in Recensu historiæ universalis *lib.* 1. *cap.* 4. *dist.* 3.

VI. Pergit: *Terræ autem Javan nostri aditus & exitus. Thubal est Hispania, & Mesech vocatur Regnum Russiæ, quod Regnum magnum est, situm ultra mare Nigrum, unde est, quòd hodieque in terra illa est fluvius nomine Meschinus. Thiras est Thracia, inde à Venetia usque ad Hungaros.*] Javan est progenitor Jonum, qui olim habitaverunt in Asia, & porrò egressi occupaverunt Græciæ partem illam, quæ vocatur Attica. His verò quoque locis permanserunt, donec multitudine aucti, exonerarent colonias novas, inque patriam antiquam remitterent. Quòd Jones ex Asia in Græciam venerint, docet Hecatæus Abderita apud Strabonem *lib.* 9. *Geographiæ.* Quòd alio tempore vicissim Græcia incolis abundantior, Joniam Asiaticam bellis afflictam, novis colonis recreaverit, docent Eusebius *in Chronicis*, Vellejus Paterculus *lib.* 1. *histor. cap.* 4. Pausanias *lib.* 7. Strabo *lib.* 8. *Geograph.* Non ergò αὐτοχθόνες fuerunt Atticæ incolæ, neque ipsi primam originem dederunt Asiæ habitatoribus, verùm ab Asiaticis populis originem suam acceperunt. Thubal Josepho sunt Iberi ad mare Caspium, adeoque omnes populi in Caspiana latrociniis dediti, non verò

vero ספרד, quomodo Hiſpaniam vocant Rabbini, & proferunt locum *Obadiæ* 20. Qui à Thubale derivant Hiſpanos, errant, fuiſſe enim populum in Aſia, conſtat ſatis ex verbis Prophetæ: Fili hominis, converte faciem tuam verſus Gogum, terram Magogi, Principem primarium in Meſech & Thubal, & pronuncia contra eum, *Ezech.* 32.2.3. Prædicit, quid olim Syro-Macedones adverſus Hebræos acturi eſſent, quorum Rex Antiochus Epiphanes ſæviit admodum, uti annotant Franciſcus Junius, Grotius, Polenus, Lavaterus *Commentariis ad h.l. fol.* 66. Matthæus Beroaldus *in Chronologia lib.* 4. *cap.* 6. Scilicet multis ante Ezechielem annis Lydiam & vicinas Aſiæ regiones imperio ſuo rexerat Gyges, à quo nomen habet lacus Gygæus, γυγαίη λίμνη apud Homerum & Propertium, *lib.* 3. *Eleg.* 10. Tum quoque prope Libanum montem Geographi ponunt urbem Gygartam, hoc eſt, Syrorum vocabulo גוג קרתא, namque in his Aſiæ minoris locis, Gyges & poſteri ejus latiſſimè imperaverunt. Cholem Ebræum ſolet pro Ypſilon Græcorum poni, ut in Cyri nomine videre eſt, *Eſa.* 44.23. *cap.* 45.1. *Dan.* 6.29. nec non in Tyrus & צר, *Pſalm.* 45.13. *Eſa.* 23.1.5.8. Lydia cum vicinis populis fuit in parte Seleucidarum, itaque Appianus in Syriacis, quæ ab Antiocho Magno poſſeſſa fuerunt, refert Pergamum, Sardes, Phrygiam, Æoliam, Joniam, Pamphyliam, Myſiam, Ciliciam, Galatiam. Et quia in iiſdem regionibus conſedit Ottomannus, Turcorum Rex, atque Muhammedis doctrinam, Satanæ inventum, inde propagavit in omnibus Aſiæ minoris partibus, factum eſt, ut Gogi & Magogi nomine depingatur ille apud Johannem Theologum, *Apoc.* 20. 7.8. ubi ἡ παρεμβολὴ τῶν ἁγίων, ſunt ſeptem illæ Eccleſiæ, quibus præcipuè dedicata eſt Apocalypſis, & ἡ πόλις ἠγαπημένη, eſt Conſtantinopolis, quam Sionem novam vocabant Græci non immerito. Cæterùm notetur, quòd vaticinia Prophetarum omnium in Veteri Teſtamento ſortiantur finem cum excidio Hieroſolymorum, neque terminum illlum egrediuntur, *Dan.* 9.24.25.26.27. *Malach.* 4 6. *Johan.* 19.30. Quod cùm non obſervent Caſpar Sanctius, Hector de Pinto, Cornelius à Lapide *in Commentariis h. l.* Samuel Bochardus *part.* 1. *Geographiæ ſacræ*, *lib.* 3. 13. Philippus Cluverus *in Germania antiqua*, *lib.* 1. *cap.* 4. atque horum ſimiles Interpretes plurimi, non eſt mirum, ſi ἐκτὸς ὁδοῦ τρέχουσι. Indidem patet, quòd משך fuerint in Aſiæ partibus, neque poſſint Moſcovitæ intelligi, progenies veriſſima Thracum, quorum progenitor תירם fuit, uti dictum eſt *ſuprà cap.* 20. *diſt.* 4. Breviter: Meſech & Thubal populi conjunctiſſimi, uti è multis Scripturæ locis patet, haut debent in terras ab invicem procul diſſitas collocari. Moſſini in Aſia fuerunt, pars Cappadociæ ad fluvium Thermodonta, ubi Veteres collocaverunt Amazonas, gentem fœmininam & bellatricem, fide ambiguâ, præſertim cùm nulla poſt Alexandrum Magnum, ut neque diu ante, earum memoria extiterit, ſive quia vicinorum conſpiratione penitus deletæ, ſive quod potius crediderim, quia nullæ unquam fuerunt, uti diſſerit Johannes Goropius Becanus *lib.* 8. *Originum*, & ante illum monuerat Strabo *lib.* 12. *Geographic.*

Dicit

Dicit Beroaldus: Bonâ ratione dicimus, vicinas sibi & Palæstinæ circumfusas gentes fuisse, Mesech, Thubal, Kedar, Magog, *l.d. pag.* 290. Et provocat ad verba Davidis, plorantis conditionem suam, *quòd inter gentes barbaras, Mesech & Kedar versari cogatur.* Atqui Mesech Asiæ superioris populi multum distant à Cedarenis Arabiæ incolis, neque in verbis Davidis gentium istarum vicinia fundamentum habet, quanquam eandem ex iisdem verbis inferre velit Paulus Merula *in Cosmographia universali part.* 1. *pag.* 194. Locus est Psalm. 120. 7. *Hei mihi quòd peregrinatus sum in Mesech, habitavi in tabernaculis Kedar.* Ita enim reddunt Castalion, Pagninus, Lutherus, verùm non satis rectè. Quandoquidem ibi משך non est loci nomen, sed temporis. Aquila vertit, προσηλύθευσα ἐν μακρισμῷ *advena fui longo tempore.* Neque aliter Alexandrini, Tremellius, Romanus, Syrus, Arabs. Loca similia habes *Psalm.* 36. 11. *Psalm.* 85. 6. *Psalm.* 109. 12. *Proverb.* 13. 12. *Nehem.* 9. 30. *Esa.* 13. 22. *Ezech.* 12. 25. 28. & dudum monuit Rabbinus Kimhi *Commentario ad h.l.*

VII. Pergit: *Et filii Gomer, Ascenaz Regni caput est Bohemia. A Riphat sunt Aquileienses & Tarvisiani, qui fuerunt olim in Illyrico, unde profecti condiderunt urbem Venetias. Thogarma est Turcia, quæ alio nomine vocatur Turquestan, estq; Regnum magnum, quod ab una parte attingit Persiam.*] Ascenas primitus habitavit Asiam, quod constat satis. Nam, ut alia taceam, populos Regni אשכנז evocat Deus, ut sub Cyri auspiciis invadant Babylonem, *Jerem.* 51. 27. An illi erant Germani? Non, sed erant Phrygiæ populi, à quorum abitu vacuas sedes occupaverunt Pamphyliæ & Pisidiæ gentes è posteris הגרמא, ceperuntque in literis sacris alia nomina sortiri. *Gen.* 14. 1. est Thideal *Rex gentium*, ubi גוים exponit Græcorum Scholiorum author, quòd sit παμφύλια. Rursum *Ezech.* 27. 11. in præsidiario milite, quem Tyrus civitas secum habebat, sunt גמדים, & notantur habitatores Phrygiæ *Anconitanæ*. Verùm tamen est, ab Ascaniis Phrygiæ veteris incolis originem trahere Germanos, uti diximus *suprà cap.* 20. *dist.* 4. Quod enim Johannes Bodinus *in Methodo Historica, cap.* 9. disserit, Germanos provenisse à Celtis sive Gallis, & Gallos originem suam debere Græcis, hoc, inquam, falsum est, ac operosè refellitur à Philippo Cluverio, *lib.* 1. *Germaniæ antiquæ, cap.* 3. Qui tamen non minorem errorem errat, dum tuetur communem originem Hispanorum, Gallorum, Britannorum, Illyriorum, atque omnes illos ab Ascenaze ortos esse, pronunciat, *l.d. cap.* 4. Denique Turci pars Scytharum sunt, descenduntque à מגוג progenitore Tattarorum omnium. Olim propius habitaverunt, in parte aliqua Syriæ, itaque mulos atque equos dicuntur vendidisse in nundinis Tyriorum, *Ezech.* 27. 14.

VIII. Pergit: *E filiis Javan: Elisa sunt Insulæ Archipelagi circumquaque, itaque mare illud, quod à Calliopoli procurrit adusque Constantinopolim, vocatur Hellespontus,* אליש פונט. *Tharsis est Metropolis Regni ingentis ad oram maris prope Antiochiam, quod Ciliciam vocant. Citthim sunt incolæ Cypri Insulæ, & Dodanim est Insula Rhodus.*] Sunt aliqua in iis vero consentanea, quanquam de appellatione Hellesponti repugnare cogamur. Quæ de Citthim profert,

vera

vera sunt, adeoque κίτιον erat urbs Cypri, patria Zenonis Cittiæi, quem propterea Phœnicem alio cognomine appellabant, uti docet Cicero *lib. 3. de Finibus*, & Suidas *in Lexico*. Sanè Phœnices multis post annis venisse eò, constat ex Menandri Ephesii relatione apud Josephum *lib. 9. Antiquit. cap. 9.* ubi narratur, Kitthæos, id est, Cyprios defecisse à Tyriis, & horum Regem Elulæum cum navibus profectum domuisse rebelles. Equidem Jacobus Usserius *Tom. 1. Annalium sacrorum; pag.* 100. vult emendare *Gitthæos*, ut notetur urbs Phœniciæ Gitta, quàm vocat Polybius, estque Gath urbs Philistæorum, 2. *Sam.* 15. 18. *cap.* 21. 19. Verùm civitas illa non erat subjecta Tyriis, ad Philistæos omninò spectabat, quos hoc tempore adhuc superfuisse, patet ex 2. *Reg.* 18. 8. Hæc non approbat *Bochardus*: Si Citthim est Cyprus, quando impletum est illud quod prædicitur, *Num.* 24. 24. fore, ut Citthæi affligant Assur & Eber? Et quænam erant illæ Cittim, *Dan.* 11. 30. quarum adventu Antiochus, qui cogitabat Ægyptum invadere, cogitur regredi re infectâ? *part. 1. Geographiæ sacræ, pag.* 356. Eadem habet Matthæus Beroaldus *in Chronologia sacra, lib. 4. pag.* 294. 295. Respondeo: Prædictum Bileami tunc impletum est, cùm Macedoniæ Rex Alexander bello superavit Persas Asiæ potentes, uti dictum est *suprà cap. 16. dist.* 1. Danielis vaticinium pertinet ad Romanorum gesta, qui Antiocho grave bellum comminabantur mari & terrâ, nisi pacem faceret cum Rege Ægypti, habebantque in maris Ægei portubus naves militibus instructas, uti docet Livius *lib.* 45. *histor.* Porrò negat *Bochardus*, quòd Rhodanim fuerit progenitor Rhodiorum, mavultque ab illo derivare Gallos, apud quos est fluvius Rhodanus in Gallia Braccata. Rationes, quas profert *part. 1. Geographiæ sacræ, lib. 3. cap. 6.* sunt istæ: (1) Nomen Rhodi est multò recentius, quàm ut Mosis ævo notum esset. *Respondeo*: Græculi sæpius vocabula prisca obliterare voluerunt, postquam eorum derivationes in lingua sua quæsiverunt. Veruntamen conatus ille non est bonæ fidei. (2.) Affirmat Pindarus *Olymp.* 7. veterum sermonibus jactari, quo tempore Dii, id est, filii & nepotes Nohæ, terram inter se diviserunt, Rhodum nondum apparuisse, sed in fundo maris latuisse. *Respondeo*: Est Poëticum dicterium, in quo veritatem rei frustrà rimeris. (3.) Rhodus Insula est angustior, quàm ut uni è quatuor filiis Javanis suffecerit, quibus Europæ magna pars in sortem obtigit. *Respondeo*: Multi quidem in Europa populi originem habent à Javanis filiis, non verò omnes, & ne quidem plurimæ numero, uti satis patet ex illis, quæ diximus *suprà cap. 20. dist.* 4. ubi videantur. (4.) Præterea videtur, quòd Rhodus cum vicinis Insulis ceciderit in Elisæ sortem. *Respondeo*: Non videtur ita factum esse, quando Æoles nimis remoti sunt ab Insula Rhodo, propiores multò sunt Dores, qui vicinam Asiæ continentem occupaverunt.

XI. Pergit: *Et filii Cham sunt Chus, Mizraim, Phut, Canaan. Et filiorum Chus loca non certò novimus, tantum in genere scimus, eos in Æthiopiæ Regno & in Mauritania degere, quæ sunt Regna Nigrorum & Abassinorum. Porrò Seba, qui in hac sectione memoratur, non est Regnum Arabiæ felicis, sed ille Seba, cujus mentio est inter filios Keturæ, Gen.* 25. 3. *Phutæi autem habitant in montibus*

Lub, vocantq́, Libyam, unde est quod hodieque vocatur Phuts terra eorum, & magnus fluvius illam ambiens. Libya autem vocatur de nomine Lehabim filii Misraim.] De Chusæis & Phutæis verissima dicit, non tamen à Chusæis debent excludi Arabiæ populi. Diximus *suprà cap.* 20. *dist.* 4. atque inde satis constat, errare Beroaldum, qui ita Arabas derivat à Chuso, ut neget, ab eodem Chuso descendere Æthiopas, *lib.* 4. *Chronologiæ sacræ, pag.* 296. *seqq.* uterque populus uni progenitori originem suam debet, Æthiopes verò Chusæi appellantur expressis Scripturæ locis, 2. *Reg.* 19. 9. *Esa.* 20. 4. 5. *Zephan.* 2. 12. Regerit *Beroaldus*, omnia loca ista intelligenda esse de Arabiæ populis in vicinia Palæstinæ, quandoquidem Ægyptus navium ac mercimoniorum ferax statuatur esse ultra fluvios Æthiopiæ, *Esa.* 18. 1. 2. ubi rectè quidem interpretabimur, sitam esse ultra Arabiam, non etiam rectè dicemus, sitam esse ultra Æthiopiam, quæ est in Zona torrida. Et *Zephan.* 2. 12. prædicitur, Chusæos debere perimi gladio, nimirum Arabes Palæstinæ finitimi sunt, quibus extrema comminatur Deus, utpotè qui molesti fuerant populo suo. *Hæc ille*, & cum illo Paulus Merula *in Cosmographia universali, part.* 1. *pag.* 197. Respondeo: Similis locus est Esa. 43. 3. *Ego Dominus Servator tuus dedi propitiationem tuam Ægyptum, & Chus & Saba pro te.* Hîc ordine ponuntur gentes vicinæ, ait *Beroaldus*, nempè Ægyptus, Chus est Arabia propè ostium Pelusiacum, Saba est interior Arabia prope mare Rubrum, *l. d. pag.* 303. Nos ordine alia omnia monstrabimus. Locus 2. Reg. 19. 9 ita sonat: *Audiens autem de Thirhaka Rege Cuschi, ecce procedit, ut pugnet contra te.* Erat ille Rex Libyæ & partium Æthyopiæ, cujus terras proximas Ægypto carpserant Assyrii compotes Ægypti per armorum successum triennio integro, adeoque vicinis suis auxilio futurus, atque injurias proprias ulturus, Tearkos expedivit contra terrarum populatores Assyrios, nec vicit prælio hostes, tantùm attrivit vires uti poterat, domumque reversus est. Narrat Herodotus *lib.* 2. & nos diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 1. *cap.* 2. *dist.* 2. Ad negotium idem pertinent verba *Esaiæ* 20. 4. 5. ubi prædicitur infelix progressus Thirhakæ, qui victus prælio, captivos multos in potestate Assyriorum relinquit, ipse fugâ evasit ad Regni interiora, quò non poterant sequi hostes. Frustrà obtenditur, quòd Ægyptus *ultra fluvios Æthiopiæ sita non sit*, Esa. 18. 1. 2. Verba Prophetæ sunt: *O terra umbra alarum, quæ est* (sita) *secundùm flumina,* (nempè ô tu) *Æthiopia!* Constat perpetuis montibus obductas esse partes Nubiæ, quà vergunt istæ ad mare Rubrum. Flumen intellige Nilum, qui de Lunæ montibus progressus, emetitur regiones Æthiopum, antequam perveniat ad Ægyptios. Nihil de Ægypto commemorat Propheta, id solùm notetur, quòd describatur apparatus bellicus Æthiopum adversus Assyrios, eventu cariturus, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 1. *cap.* 5. *dist.* 2. Sequitur locus Zephan. 2. 12. *Sed & vos Æthiopes gladio meo interfecti eritis, sicut illi.* Nempè Philistæi, Moabitæ, Ammonitæ, de quibus antè egerat. Impletum est, cùm Nebucadnesar Assyrius auxilia Getulorum & Nubiensium, qui veteres Ægyptiorum socii & à Necaone Rege adducti erant, prælio fundebat ad Euphratem, de quo est *Jerem.* 46. 2. Denique illud

Esa. 43.3. *Dedi propitiationem tuam Ægyptum, & Chus & Saba*, non obstat sententiæ nostræ. Sensus est: Cùm Sennaheribus cogitaret tibi inferre malorum ultima, objeci ei hostem alium, qui præcipitem Regis potentissimi cursum averteret aliò. Nempè Thirhakam Libyæ partium & Nubiæ Regem, quem Ægyptii rerum suarum protectorem contra Assyrios evocaverant. Dum ille pugnabat & vincebatur, Judæis respirandi spacium concessum fuit. Tantum de Nigritis à Chuso oriundis. Hoc verò etiam notetur, quòd gentes Arabum ceperunt valdè augeri, postquam Hagaræ & Keturæ posteri unà cum eis habitare volebant, *Gen.* 21.21. *cap.* 25.12. *seqq.* 1. *Paralip.* 1.29.30. 31.32.33.

X. Pergit: *Filii Misraim Pathros & Caphtor, id est, Damiata & Philistæi à Gaza usque ad Ægyptum. Dereliquis ignotum est, ubi habitaverint.*] Pathros sunt incolæ in Phaturite Nomo & proxima regione, quà sese extendit ad ostium Pelusiacum, eratque ibi condita urbs, quæ vocatur Daphnæ Pelusiæ, *Jerem.* 43.7. *cap.* 44.1. *cap.* 46.14. *Esa.* 11. 11. *Ezech.* 29.14. Herodotus *lib.* 2. Cæterùm Moses exprimit Ludæos, Hanamæos, Lahabæos, Naphtuchæos, Casluchæos, à quibus egressi sunt Philistæi, & Caphtoræos, *Gen.* 10.13.14. Eos scimus esse incolas Maræotidos, Cyrenæos, Libyas, Marmaricenses, Cassiotides, Sethroitides. Ita Junius *in notis ad h. l.* secutus plurimùm Chaldæum Paraphrastam. Quod enim Vatablus *in notis* exponit Ludæos de *Lydis Asiæ populis*, oppidò falsum est, quoniam Lydi isti sunt è posteris Semi, *Gen.* 10 22. A Cassiotidos incolis originem habuerunt Philistini, itaque dicitur *Amos* 9.5. Annon filios Israëlis adscendere feci de terra Ægypti, & Philistinos de Caphtor, & Syros è Kiro? Similis locus est *Jerem.* 47.4.

XI. Pergit: *Et filii Chanaan. Sidon primogenitus ejus, cujus sedes hodieque vocatur Sidon: Et Chittæus: Et Amorrhæus propè Jerusalem: Et Jebusæus in ipsa urbe Jerusalem: Et Girgosæus, qui relictâ Israëli terrâ suâ, se contulit in regionem, quæ ad hunc usque diem appellatur Georgestan: Hevæi autem habitaverunt in monte, qui est ante Libanum: Et Arkei, in urbe Arka, quæ à Tripoli distat unius diei itinere: At Sinæi sunt Tripolitani: Et Arvadæorum est hodieque Insula Aradus Antarado opposita in finibus Tripolitanorum: Et Semaræi tenent Emesam: Et Emathei Hamam.* Omnes populi isti habitabant regionem unam, quæ vocabatur Phœnicia. Hanc Bochardus compositam vocem ex בני ענק arbitratur, cujus quidem, neque in hoc, neque in multis aliis probare opiniones possumus. Quis enim sibi persuadeat, Britanniæ nomen Phœnicium esse, & quia plumbi ferax regio, ideò dictam ברתאנך id est, *agrum plumbi*? Hoc verò omnem fidem superat, quòd ipsius Thules nomen Phœnicium esse vult à טלל sive *tenebris* deductum, quia nimirum ibi sint longissimæ noctes. Quasi non etiam dies longissimi, imò per æstatem ferè perpetui illic terrarum essent. Jam illud quàm aptum, quòd Hiberniæ nomen Phœnicium esse contendit, & cum ultima terrarum veteris orbis in Occidentem fuerit, dictam עבר בארה id est, ultima habitatio, *part.* 2. *Geographiæ sacræ, lib.* 1. *cap.* 1. 39.40. Et ex hujusmodi conjecturis tota ferè Canaanis moles composita est, laboriosè quidem, sed parum probabiliter. Græcorum vocabulum est Phœnicia, uti dictum

est suprà *cap*.20.*dist*.27. Cæterùm Amorrhæos propè Jerusalem habitavisse, Scriptura non dicit uspiam. Plerique trans Jordanem sedes fixerant inter torrentes Jabok & Arnon, ubi sunt Basan & Hesbon, depulsis inde Moabitis, qui nimium graves accolæ potentiam suam augere volebant, in cujus victoriæ memoriam Poëta Chananæus scripsit carmen ἐπινίκιον, quod Moses vocat ספר מלחמת יהוה *librum bellorum Domini*, & libris suis inseruit, *Num*.13.30. *cap*. 21.27. Sidon primogenitus condidit urbem Sidonem, celebrem perinde in sacris & profanis literis, *Gen*.49.& 13. *Josuæ* 13.4. *Judicum* 18.7.1.*Reg*.5.6. Homerus *Iliad*.6.& 23.*Odysseæ* 4.& 13. Celebre est illud testimonium *Justini*: Phœnices terræ motu vexati, relicto patriæ solo, Assyrium stagnum primò, mox mari proximum littus incoluerunt, conditâ ibi urbe, quam à piscium ubertate, Sidona appellaverunt, nam piscem Phœnices sidon vocant. Post multos deinde annos à Rege Ascaloniorum expugnati, navibus appulsi, Tyrum urbem ante annum Trojanæ cladis condiderunt: Ibi Persarum bellis diu variè que fatigati, victores quidem fuerunt, sed attritis viribus, *lib*. 18.*histor*. Assyrium stagnum est lacus Genesareth, de quo refert Strabo *lib*.16. *Geograph*. Bella Persarum sunt expeditiones Salmanassaris & Nebucadnesaris Regum, qui armis suis florentissimas res Tyrorum valdè afflixerunt, de quibus prædicta continentur in literis sacris, *Esa*.23.1.*seqq*. *Jerem*. 25.22.*cap*.27.4. *Ezech*.26.2.*seqq*. *cap*.27. 1.*seq*. & meminit Josephus *lib*.9.& 10. *Antiquitatum*. Ergò Tyrii provenerunt à Sidoniis, & ab utrisque Pœni. Ad Euphratem habitabant Chittæi è septem populis clarissimi, *Josuæ* 1.4. hi reliquis aut excisis aut accisis peculiare Regnum in Syria constituerunt, 2.*Reg*.7.6. Jebusæos habitavisse in agro Hierosolymorum, constat ex *Judic*.1. 21.*cap*.19.10. 2.*Sam*.5.8. 1.*Chronic*.11.6. Girgosæos hæsisse circa Gerasa vel Gadara, tempore Christi, docetur *Matth*. 8.28. *Marc*.5.1. *Luc*.8.26. Quòd venerint emigrando in Gurgestanam, falsum est, namque Gurgestana est ad mare Ponticum, ubi nunc sunt Iberiæ & Albaniæ incolæ, e posteris Japheti, ut dictum est *suprà cap*.20. *dist*.4. Mons ante Libanum, in quo Hevæi consederunt, vocatur Hermon, *Josuæ* 11.3. *Judic*.3.3. *Psalm*.89.13. Eorum coloni Gibeonitæ & Sichemitæ fuerunt, quorum illi Jerosolymis, hi Samariæ magis finitimi erant ad Occidentem, *Josuæ* 9.19. *cap*.11. 19. *Gen*.34.2. Arcitæ pars Phœnicum ad Libanum, à quibus est Juno Architis, in templo splendido culta, Macrobius *lib*. 1. *Saturnal*.*cap*.7. Omnium non modò Phœniciæ, verùm etiam totius orbis pulcherrimus mons Libanus censetur, cedri quondam adeò ferax, ut materiam Salomoni struendo templo & palatio, Tyriis etiam ad classes suppeditaverit. Hodiè vix quatuor & viginti numerantur. Sinæos negamus esse authores Tripolis urbis, namque hæc potius est Arvadæorum colonia: Et verò Bochardi error est, qui Sinæos exponit de Pelusiotis in Ægypto, *part*.1.*Geographiæ sacræ*, *lib*.4.*cap*.36. Et addit: Sunt qui Sinæos montis Sinæ accolas fuisse putent, quod vix patitur illius eremi vastitas, in quo Sina mons est. *Hæc ille*. Atqui vastitas non impedit, quò minus locis quibusdam habitari poterat, estque sententia illa Matthæi Beroaldi *lib*.4.*Chronologiæ sacræ*, *pag*.310. Locus

cus

cus est Esa.49.16. *Ecce isti à longinquo venient; ecce quoque illi ab Aquilone & ab Occasu, denique illi à terra Sinæorum.* Putant Osorius, Ariæ Montanus, Sanctius, Cornelius à Lapide, Franciscus Junius (*Commentariis ad h.l.* Patricius Armacanus *lib.1.de Justitia armorum Regis Christianissimi, cap.26.* quòd sit manifestum vaticinium de conversione Sinensium ad Ecclesiam, neque dissentit Georgius Hornius *lib.1.de Origine Americanorum, cap.4.* Atqui sonat litera de recollectione Judæorum per Asiæ loca exsulum, & reditu eorum in patriam. Hoc certum est, quòd Sinarum populi sint צינים, non verò sint סינים. Post Ortum, Septentrionem, Occidemtem restabat Auster. Ad Austrum Judææ sunt deserta Sin, & in eis mons Sinai, *Exod.16.1.cap.17.1.* Cæterùm, à Sinæis illis ortos esse populos Sinarum, audaciter divinat Hornius *l.d.* Nimirum ex Arabiæ deserto profectos esse ad ultimos Indos, haut verosimile est. Scythis originem suam debent, atque regionem eorum Sericam appellant Veteres, uti diximus *suprà cap.20. dist.4.* & adde Theodorum Spizelium *libro de re literaria Sinensium, cap.1.* Isaacum Vossium *notatis ad Pomponium Melam, lib.3.cap.* & 8. Arvadæi occupaverunt Aradum Insulam prope Eleutherum fluvium, & partem vicinæ continentis, ubi sunt Antaradus, Marathus, Laodicea, Tripolis, Gabala, ut prodit Strabo *lib.16. Geograph.* Arvadi & Gebal junctim memorantur, *Ezech.27.8.9.* Gebal verò habebat templum Solis cultu eximium, quem Alagabalus Cæsar in populis illis educatus, Romam deinceps transtulit, ut dixi *lib.1. Antiquitatum Romanarum, cap.6.dist.4.* Inscriptio Romana: Soli. Alagabalo. Julius. Balbillus. Aquila. Gruterus *in Volumine, pag.32.3.13.* Semaræi condiderunt Emissenos. Quod enim Tostadus eos cum Samaritanis confundit, magnus error est, quando constat שומרונים esse Cuthæos, origine Medos, ut prolixius docui libro de Scriptura sacra *Exercitat.37.* Hemathæi erant prope Libanum montem, *Numer.13.21.cap.34.8. Josue 13.5.2.Reg.23.22.cap.25.21.Jer.39.5.cap.52.9.27.*

XII. Pergit: *Dixerunt patres nostri, Semum esse Melchisedekum, qui condidit Jerosolymas. Porrò Semus habuit quinque filios, qui omnes habitaverunt in Asia, ab Euphrate fluvio usque ad mare Indicum. Elam, à quo descendunt Persæ: Assur, à quo sunt Assyrii: Arphaxad, à quo sunt Chaldæi: Lud, à quo sunt Lydi: Aram, à quo sunt Aramæi, qui Græcè Syri vocantur, & Damascum habent pro Metropoli.*] Quòd Semus non fuerit Melchisedechus, dictum est *suprà cap.20. dist.7.* Scribit *Beroaldus:* Assur nomen dedit Assyriis, quorum florentes opes & diuturnum Imperium profanâ memoratur historiâ, sed verendum est, ne Herodotus & alii plus sibi licentiæ in eo describendo sumpserint, quàm par fuerat. Scriptura enim cùm maximè florentes opes proponit, quod potissimùm sub Rege Sennacheribo contigit, eas tantùm gentes narrat, quæ Taurum montem vix contingunt, & Syriâ comprehenduntur, Esa.37.11. Hæc ille *lib.4.Chronologiæ sacræ, pag.312.313.* Respondeo: Antiquissimum illud Imperium, quod Nimrodus in Babylonia & Assyria condidit, amplissimum omninò fuit, uti constat ex *Gen.10.8 9.10.11.12.* Novum illud, in quo floruerunt Salmanassar & Sennacheribus, plurimas etiam gentes complectebatur neque

que Herodotus plura eis attribuit, ac veritas patitur. Diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 1.*cap.* 3.*dist.* 1. & 2.

XIII. Concludit: *E filiis Arphaxadi unus nomine Selah genuit Eberum, à quo Judæi Ebræorum nomen sumpserunt. Eber autem filios habuit Phalegum & Jectanem. Hujus filii tredecim fuerunt, qui omnes habitaverunt à Mesa. Ea vocatur Arabum lingua Meccha, estq; locus peregrinationis eorum. Regnum extenditur usque ad Aiman, quod vocatur Regnum Seba.*] Quòd Ebræi non acceperint cognomen suum ab Ebero, dictum est *suprà cap.* 20. *dist.* 30. Mesa nequaquam est Mecka Arabum civitas, & Semi posteri non venerunt in Arabiam, sed tota illa penes Chusum remansit, quem longo post tempore exceperunt Ismaëlis & Keturæ filii, uti dictum est *suprà cap.* 20. *dist.* 27. Mosis verba sunt: Omnes illi habitaverunt à Messa, quà itur Sepharam, ad montes Orientis usque, *Gen.* 10.20. De Arabia non debet quicquam cogitari. Messa est tractus montanus in Mesopotamia, & Sephara est oppidum ad Euphratem. Utrumque commemorat Ptolomæus *lib.* 5. *Tab.* 4. *cap.* 18.

INSTITUTIONUM POLITICARUM LIBRI I.

FINIS.

INSTITUTIONUM POLITICARUM

LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

De naturâ Majestatis.

SUMMARIA.

1. *Definitio majestatis.*
2. *Legibus soluta potestas.*
3. *Majestas personalis, realis.*
4. *Majestas Regum propria.*
5. *An Dictator majestatem habuerit?*
6. *Jura majestatis.*
7. *Jus circà sacra.*
8. *Venetorum libertates.*
9. 10. *Clericorum Privilegia.*
11. 12. *Rex caput Ecclesiæ.*
13. *Papa caput Ecclesiæ.*
14. *Ecclesiæ unitas.*
15. *Religiosa pax.*
16. *Præses Conciliorum.*
17. *Papa superior Concilio.*
18. *Bona Ecclesiastica.*
19. *Defensio Ecclesiæ.*

I.

P*Ars propria est, quæ jura majestatis exponit.* [*Majestas est potestas soluta legibus.*] Dicitur ab antiquo positivo *majus*, id est, excelsus, eminens, quomodò Jupiter à Tusculanis dicebatur *Majus*, velut Deorum maximus, & Terra Dea vocabatur *Maja*, uti magna mater nostra. Docent Macrobius *lib.* 1. *Saturnalium cap.* 25. & ex illo Gerhardus Joh. Vossius *lib.* 2. *de arte Grammatica pag.* 361. Eam Gentiles uti Deam coluerunt, honoris & reverentiæ filiam. Pulcherrimè *Ovidius*: Pulcher honor, placidoque decens Reverentia vultu, Corpora legitimis imposuêre thoris. Hinc sata Majestas quæ mundum temperat omnem, quaque die partu est edita, magna fuit. Nec mora, consedit medio sublimis Olympo, Aurea, purpureo conspicienda sinu. Consedere simul Pudor & Metus, omne videres Numen ad hanc vultus composuisse suos. *Et paulò post*: Assidet inde Jovi, Jovis est fidissima custos, Et præstat sine vi sceptra tenenda Jovi. Venit & in terras, coluerunt Romulus illam, Et Numa, mox alii tempore quisque suo. illa patres in honore suo matresque tuetur, Illa comes pueris virginibusque venit. Illa datos fasces commendat, eburque curule,

Illa coronatis alta triumphat equis, *lib. 5 fastorum.* Inscriptio Romana: D. Cæsari, Gordiano. felici. invicto. Augusto. Numesius. Quintilianus. Urbis. Præf. ab. Epistolis. Latinis. devotus. numini. Majestatique ejus. Gruterus *in Volumine pag.* 272. *num.* 1.

II. *Legibus soluta.*] Negant Henonius *disputat. Polit.* 9. *dist.* 5. 6. Althujus *Institut. Politic. cap.* 9. *num.* 20. Timplerus *lib.* 5. *System. Polit. cap.* 1. *quæst.* 1. verè dici, quod Majestas sit legibus soluta. Rationes addunt: (1.) Quia omnis Princeps inferior est populo universo, à quo potestatem accepit, & coram quo rationem reddere tenetur. *Respondeo*: Falsum est, quod Princeps inferior sit populo, uti diximus *supra lib.* 1. *cap.* 7. *dist.* 1. *seqq.* (2.) Quia nullus unquam fuit Princeps à legum vinculo exemptus. *Respondeo*: Imo nullus unquam fuit Princeps, qui cum vellet à legum vinculo exemptus esse, illis obnoxium præbere sese coactus fuerit, uti porrò dicemus *infrà cap.* 5. *dist.* 6.

III. Dividunt vulgo Majestatem, quod alia sit realis, alia personalis. Illam vocant, quæ Reipublicæ inhæret, unde populus jura singularia acquirat, & de quâ intelligi debeat, quod habetur 2. *Samuel.* 5. 3. fecisse Reges fœdus cum subditis suis. Hanc, *ajunt*, spectare ad constitutionem Reipublicæ, ut nec summus Princeps eam mutare possit: esse Reipublicæ coævam, & durare quamdiu Respublica vel non vi majore, vel omnium quorum interest, consensu mutatur: comprehendere leges fundamentales à populo toto promulgatas. Personalem vocant, quæ penes Magistratum reposita est, & concernit. Reipublicæ administrationem. Ità Besoldus *lib.* 1. *doctrinæ Politicæ cap.* 1. *dist.* 4. 5. 7. 8. 9. 10. Martinus Schokius *libro de Majestate dist.* 61. Benedictus Carpzovius *Commentario ad Legem Regiam Germanorum pag.* 68. *seqq.* Arumæus *Volum.* 1. *juris publici Dissertat.* 30. Theodorus Grafswinkelius *libro de jure majestatis cap.* 10. 11. Martinus Rumelinus *commentariis ad Auream Bullam part.* 3. *dissertat.* 2. *dist.* 13. Arnisæus *lib.* 1. *doctrinæ civilis cap.* 11. Barthol. Keckermannus *lib.* 1. *System. Polit. cap.* 6. Herman. Kirchnerus *Disputat.* 2. *de Republicâ thesi* 3. Johannes Paulus Felwingerus *in Dissertationibus Politicis pag.* 428. *seqq.* Respondeo: Una solum majestas est, videlicet rectoria seu personalis, & illa altera, quam vocant realem, tantum modaliter differt à Legibus fundamentalibus, quæ sunt effecta eorum, qui vel majestatem habet, uti Rex, vel libertatem, uti Populus. Falsum est, *quod populus jura singularia acquirat.* Namque privilegia omnia, libertates, jura, quæ habet populus, Regum beneficia sunt, quandò notum satis est, Reges fuisse ante populum, & Regum gratiæ omnia sua debere populum, Reges à populo vel parum vel nihil lucrati. Falsum est, *quod Reges in populo Dei subditis suis potestatem aliquam dederint.* Servi Regum suorum erant, & Reges absolutè agebant omnia, ut ne quidem, cum res suas crudeliter gererent, populi judicium subire cogerentur, uti dictum est *suprà lib.* 1. *cap.* 12. *dist.* 1. *seqq.* Falsum est, *quod majestas realis sit coæva Reipublicæ.* Sanè hoc majestati personali competit, quæ perpetuò durat in Imperiis illis, ubi Reges succedunt: cessat tantisper, non prorsus tollitur, ubi Reges eligun-

eliguntur. Falsum denique est, *quod populus totus promulgat leges.* Regum id semper & ubique munus fuit, populi nunquam fuit, qui leges accipit, non verò dat.

IV. Et verò Majestas personalis unicè ibi est, ubi Princeps est, secus quàm statuunt Besoldus *lib. 1. doctrinæ Politicæ cap. 1. dist. 11.* Martinus Schogkius *libro de Majestate dist. 14. & 37.* Vernulejus *lib. 1. Institut. Politicarum Tit. 19. cap. 1.* Martinus Rumelinus *l. d. dist. 14.* Carpzovius *l. d. pag. 69.* Henricus Bocerus *libro de crimine læsæ majestatis cap. 1. num 25.* Certè ipsum nomen docet, quod tantum esse in personâ, id est, individuo possit: Atqui in Aristocratiâ & Democratiâ sunt personæ multæ. Accedit ratio manifesta: Regi datur potestas agendi quomodò vult, adeòque populus ei perfectè obnoxius est, neque reservat sibi ullam partem imperii, ut Regem velit cogere ad reddendam rationem. Hæc est majestas personalis, videlicet uni permittere summam potestatem in omnes & super omnia. Verum in Aristocratiâ & Democratiâ concurrit populus quà imperium, ut Magistratui quidem tribuant potestatem agendi secundum Leges, attamen reservent sibi partem Imperii, quatenus unà cum illo deliberant, decidunt, exsequuntur, & adversus corruptores boni publici jure suo ità procedunt, ut supplicio afficiant illos, vel saltem officio deturbant. *Argumentamur*: Illi habent majestatem qui agunt cum potestate translatâ. Atqui Reges soli agunt cum potestate translatâ. Ergò Reges soli habent majestatem. Minor constat, quia Proceres agunt cum potestate delegatâ. Regerit Besoldus, *populum simul sumptum esse personam quandam fictam.* Contrà: Nullum adjunctum reale potest subjecto ficto inesse. Atqui majestas est adjunctum reale. Ergò non potest subjecto ficto inesse. Dicimus, quod in Aristocratiâ & Democratiâ est Libertas, quæ hoc sensu non opponitur quidem servituti, verum dominio superiori unius Viri. *Tacitus*: Urbem Romam à principio Reges habuerunt, Libertatem & Consulatum Lucius Brutus instituito *Rursum*: Drusi magna apud populum Romanum memoria, credebaturque si rerum potitus fuisset, Libertatem redditurus, *lib. 1. Annal.* Hæc ille.

V. Quæritur: *An Dictator Romanorum habuerit majestatem?* Respondeo: Affirmant Hugo Grotius *lib. 1. de Iure pacis & belli cap. 3. dist. 11.* Arnisæus *lib. 2. Relectionum Polit. cap. 2. sect. 15. num. 17. seqq.* Martinus Schogkius *libro de majestate dist. 16.* Johan. Felwingerus *in Dissertat. Politicis pag. 91. seqq.* Wilhelmus Barclajus *lib. 3. de potestate Regali cap. 5.* Nos verò negamus cum Besoldo *lib. 1. doctrinæ Politicæ cap. 1. dist. 25.* Joh. Bodino *lib. 1. de Republicâ cap. 8.* Vernulejo *lib. 1. doctrinæ civilis Tit. 19. cap. 1.* Jacobo Martini *lib. 2. doctrinæ Politicæ pag. 659.* Martino Rumelino *part. 3. dissertationum ad Auream Bullam pag. 619. 620.* Rationes sunt istæ (1.) Quicunque non habebat exercitium perfectum ad omnia jura majestatis, ille caruit majestate. Atqui Dictator non habebat exercitium perfectum ad omnia majestatis jura. Ergò Dictator caruit majestate. Minor constat: *Perfectum* non erat, quia populus non abdicabat prorsus à se libertatem, verum de illius arbitratu remittebat pro tempore *Omnium* non erat, quia tantum creabatur pro

 bello

bello gerendo, seditionibus componendis, magistratibus constituendis, clavo figendo, comitiis habendis. (2.) Nullus magistratus extraordinarius, habet jura majestatis. Atqui Dictator erat magistratus extraordinarius. Ergò Dictator non habet jura majestatis. Minor constat: Opposita sunt libertas & majestas, ubi ergò libertas obtinet viâ ordinariâ ibi majestas est nulla. (3.) Ubi est potestas delegata, ibi non est majestas. Atqui penes Dictatorem erat potestas delegata. Ergò penes Dictatorem non est majestas. Major probatur: Delegata potestas est à beneficio alterius majestas verò est juris proprii. Minor: delegata erat, quia cum aliquâ temporis rerumque circumstantiâ descripta erat, majestas verò nec majore potestate, nec legibus ullis, nec tempore definitur. Excipiunt *Arnisæus* & *Grotius*: (1.) Dictator erat cum potestate irrefragabili, neque actus ejus ab alio poterat reddi irritus. *Respondeo*: Erat quidem irrefragabilis, sed nonnisi ex commisso, adeoque non jure proprio & quoque in casibus quibusdam, non verò in omnibus. Verbo: Populi vices, in quantum ille de jure suo remittebat, Dictator præstabat. Itaque non debet hîc tàm spectari quid commissum erat Dictatori, sed quis commiserat, & quousque (2.) Temporis circumstantia externa est, neque igitur immutat naturam rei. *Respondeo*: Non semper est circumstantia externa, & cumprimis tunc non est, quandò cum effectu aliquo necessariò concurrit secundum pacta. Nam si pactis non comprehenditur, extrinsecum est. Erat verò expresè definitum, ut eòusque duraret, neque longius. (3.) Intercedere poterant adversùs mandata ejus, sed precibus, non etiam vetando uti jure suo. *Respondeo*: Intercessionem per oportunas preces in rebus gestis Papirii Dictatoris, narrat Livius *lib.* 8. *histor.* Atqui utrumque poterant Tribuni, alterum fecerunt, ut dignitatem suam magistratui conservarent ex officio, alterum, si preces negligerentur, conati sæpius, ut libertatis excellentiam nullam à se abdicarent, jura sua defendendo. Vices suas Dictatori committebat populus, majestatem non dabat, quam nec ipse habebat. Tunc verò saltem habebat alius, quandò illi in sese potestatem lege irrevocabili & ad posteros duraturâ tradebat, atque libertatem abdicabat, uti sub Augusto Cæsare evenit. Quin potius mutabilia fuerunt, quæcunque populus in Dictatorem conferebat. Initio valuit Dictator sine provocatione, deinceps provocari ab illo poterat, uti docent Livius *lib.* 8. *cap.* 33. *lib.* 22. *cap.* 11. 25. Plutarchus *in quæstionibus Romanis*. Namque rogationem populus tulit, ut secundum formulam mandati ab ipso descriptam ageret Dictator, secus agendo mulctam incurreret: utque Dictatoris & Magistri equitum imperium esset cum pari potestate. Quæ rogatio, quamvis novi exempli erat, tamen de jure populi testabatur, & potestatem Tribunorum exemptam demonstrabat.

VI. Cæterum Jura majestatis sunt plurima (1.) *Religionem curare*. (2.) *Leges ferre*. (3.) *Judicia exercere*. (4.) *Bella gerere*. (5.) *Fœdera pangere*. (6.) *Societates ordinare*. (7.) *Ærarium disponere* (8.) *Legatos mittere*.] De his omnibus dicemus ordine. Fallitur verò Reinerus Sixtinus *lib.* 1. *de Regalibus cap.* 4. *num.* 1. ubi scribit, *regalium*

ma-

materiam esse tantum de civilibus. Rectius censebant Veteres, qui curam sacrorum imponebant Regibus, ut diximus *suprà lib. 2. cap. 5. dist.* 4. Et negat *Albericus Gentilis.*, Reges istos qui in causâ Religionis constituenda superiorem agnoscunt Papam, supremos Principes vocandos esse, *Disputat. Regia* 1. *fol.* 8. Verba ejus sunt ista: De Rege Galliæ & Hispaniæ dubito, an supremi Principes sint, qui in re divinâ & in causâ Religionis constituendâ superiorem sibi Pontificem tenent, Pontificique subjecti vivunt. Quod est procul dubio cōtra jus supremitatis, quę custos sub uno tantùm Deo & assertrix primæ etiam est tabulæ. Felices Principes, verè Principes, qui nullâ vel tantillâ in re agnoscunt jurisdictionem peregrinam. Nullos suos cives habent, qui tantillâ in re venerentur, jurisdictionem peregrinam, sive temporalem sive spiritualem. Alii non sunt Principes supremi, imò nec Principes, ante quos alii capiunt locum primum. Supremi sunt, quibus est nullus suprà, sed ipsi sunt suprà omnes in omnibus. *Hæc ille.* Non tamen propter rationes à Gentili prolatas volent Reges Galliæ & Hispaniæ, ut sibi derogetur jus supremitatis in Regnis suis, quandò Reges illi dictū jus metiuntur secundùm externum dominium, quod perinde uti Reges alii, habent in Clericos suos, atq; horum bona. Itaque Archiepiscopos, Episcos, Abbates, Equites, Clericos omnes instituunt ipsi, confirmationem Papę demandant honoris gratiâ, jurisdictionem in Clericos minorum ordinum per Episcopos à se constitutos exercent, judiciis à se institutis vitam moresq; eorum subjiciunt Innocentius Gentillettus *in Examine Concilii Tridentini pag.* 12 2. *seqq. pag.* 194. *seq.* Renatus Choppinus *lib.* 1. *de Politia Ecclesiast. Tit.* 7. Salgado *de protectione Regiâ part.* 2. *cap.* 4. Joh. Mariana *lib.* 26. *de rebus Hispaniæ cap.* 5. Quod Religionis negocium idem cum Papâ Romano tueri velint, ad superioritatem eis abrogandam nihil refert, quandò illi sese putant Religionis Decreta sacris literis & primitivæ Ecclesiæ consentanea obtinere.

VII. Reprehendit Besoldus: [*Jura majestatis Ecclesiastica imprimis eo fine introducta sunt, ut Imperantes divinarum simul atque humanarum rerum, animarum æquè ac corporum domini existere possint.*] lib. 1. doctrinæ Politicæ cap. 2. dist. 4. *Respondeo:* Imò eum ob finem Principi imponitur sacrorum cura suprema, ut ex officio inquirat de veritate doctrinæ, quam subditi ejus amplectuntur, adeoque ita ipse literarum sacrarum studio impendat aliquid operæ, uti Deus præcepit, *Deuter.* 17. 18. Hoc non est, animarum dominum esse, qui solus Deus est, sed Religionis procuratorem esse. Et quis quæso Papam Romanum ferat, animarum dominum esse? Is enim arrogat sibi potestatem describendi regulam agendorum & credendorum, adversus quam nemo excipere quicquam possit.

VIII. Pergit Besoldus: *Verum quatenus Ecclesiasticæ res pertineant ad majestatem civilem, anceps & periculosa quæstio est, cum ea de re non solum Catholici à Protestantibus dissentiant inprimis, sed nec ipsi Catholici inter se conveniant planè, aliudque Sorbonici & Veneti Theologi, aliud alii hac de re tradant.*] l. d. dist. 5. Theologos istos è Venetis & pro Venetis adversus

ſus Curiam Romanam editis libris celebres, in unum faſciculum collegit, evulgavitque Melchior Goldaſtus. Scilicet Venetorum civitas proceſſum Juris inſtituebat adverſus Patres Societatis Jeſu, quod avidi vultures in viventium & defunctorum bona involarent, Reipublicæ vires & vectigalia diminuerent, clandeſtinas factiones ſererent, arcana Curiæ perquirerent & in Pontificis aures enunciarent, Ordines religioſos alios opprimerent, edicta magiſtratuum contemnerent. Mittebantur in carcerem Patres quidam flagitiis infames, Scipio Canonicus Vicentinus & Brandelinus Waldemarus Abbas monaſterii de Nervosâ, Sodomitæ, ob veneficia, parricidia, falſimonias & vim publicam accuſati, renovabantur leges majorum, quibus cavebatur, ne liceret abſque Senatus ſuffragio templa nova ſtruere, vel Clericorum mendicabulis donare fundos, agros, paſcua, domos, prædia. Verum Papa Paulus V. defendebat Jeſuitas, cumque Veneti nollent Baronii & Bellarmini ſcriptis emendari, ſacris interdicebat eos. Sed illi non intermiſerunt ſacra, armisque ſumptis pro libertate Reipublicæ conſtabiliendâ, Jeſuitas in perpetuum relegabant, Papæ diem dicebant, & Clericorum ſuorum, Antonii Quirini, Johannis Marſilii, Pauli Servitæ, Fulgentii Brixiani, Hieronimi Vendrameni, Nicolai Craſſi, aliorum, eruditâ operâ uſi, Regibus evidenter demonſtrabant per libros editos, quod Statuum omnium intereſſet, Clericos eſſe magiſtratui civili ſubjectos. Galliæ Rex intervenit, ac pacem reſtituit Venetis utilem, Hiſpanis valdè contranitentibus. Paulus Piaſecius *in Chronico Europæ pag.* 233. 243. 244. Thuanus *lib.* 137. *hiſtor.* Julius Cæſar Bulengerus *lib.* 12. *hiſtor.* Caſpar Lundorpius *lib.* 12. *Continuat. hiſtor.* Hugo Grotius *lib.* 15. *hiſtor. Belgicæ.* Emanuel Meteranus *lib.* 28. *hiſtoriæ Batavicæ.*

IX. Pergit Beſoldus: *Huc pertinent illæ quæſtiones: An magiſtratus punire poſſit Clericos & Religioſos graviorum criminum reos? An requiratur conſenſus Magiſtratus, ubi Eccleſiæ novæ ſunt ædificandæ, novique Ordines introducendi? An Magiſtratus prohibere poſſint, ne ad Eccleſias perveniant immobilia bona? Quarum omnium affirmativam Veneti, & quoque prætenſæ libertatis Eccleſiæ Gallicanæ defenſores tuentur.*] l. d. diſt. 8. Quod Princeps jure poſſit Clericos magnorum criminum reos punire, conſtat exemplo Regis Salomonis, qui Abiatharem Pontificem in populo Judaico damnavit velut læſæ majeſtatis reum, & officio dejecit, 1. *Regum* 2. 26 29. Quod etiam Princeps conſentire debeat, cum novi Religioſorum conventus exſtruuntur in territorio ejus, conſtat quia ſcire debet, quos habeat cives, quos ſubditos, & undè veniant illi, quid agere velint, & quoniam jurisdictio ſoli atque uni Principi competit. Demum, quod jure prohibeat immenſas largitiones, conſtat, quoniam Eccleſia juſtitiæ cultrix non debet aliena concupiſcere, & cum damno alterius res ſuas augere præter modum. Quia enim Religioſi & ſe & bona ſua ab oneribus eximunt, inde non poteſt non Reſpublica debilitari admodum, cui tantum decedere neceſſè eſt, quantum Eccleſiæ accedit. Prolixè hoc demonſtrant Hieronymus Vendramenus Theologus Venetus *in Antiparæneſi ad Baronium de libertate Clericorum ſect.* 5. & 6. Ventura Vicentinus Theologus *Conſideratione rerum controverſarum ſect.* 5. & 6.

X. Pergit Beſoldus: *Sed magis eſt ut dicamus*

mus, exemptiones Clericorum, Ecclesiasticorumque bonorum, juris divini esse. Unde & Ecclesiam ejusque personas in territorio, non verò de territorio esse, atque Clericos à magistratu civili puniri non posse, dicunt.] dist. 9. *Respondeo*: Nec personæ, nec bona Clericorum sunt exempta jure divino. Ubi enim lex scripta est? quod bona sunt exempta, est omninò magistratus beneficium, qui bona illa donat, cum retinere posset. De personis hoc idem constat, uti dicemus *infrà cap. 4. dist. 1. seqq.*

XI. Pergit Besoldus: *Porrò autem, quod ipsa Religio cultusque religiosus, minimè sit in magistratus administratione, cùm peculiaris sit Ecclesiasticus ordo, à Politico & Oeconomico distinctus, Catholici ac quoque ex hæreticis nonnulli asserunt.*] dist. 12. *Respondeo*: Nemo dicit, quod Princeps debeat ipse functiones religiosas obire, id est, concionari, baptisare, cœnam sacram administrare, pauperes visitare, hæc enim & his similia ministeria peragant Sacerdotes, quorum interest, Ecclesiæ ministros nomine ac re esse. Interim sententia vera est, quod Princeps debeat esse Religionis Curator summus, quatenus Deum religionis promulgatorem ex animo veneratur, & custos legis divinæ est, uti prolixius dicemus infrà cap.

XII. Pergit Besoldus: *Corruit ergò dogma Anglicanum, quod Regem & Principem quemlibet, caput Ecclesiæ suæ esse urget. Hujus autem, antea inauditi dogmatis autor fuit, Henricus Angliæ Rex, qui cum divortium à Pontifice Maximo impetrare non posset, ab eodem secessionem fecit.*] dist. 13. *Respondeo*: Et tamen Sorbona Parisiensis divortium approbavit, uti dixi in Recensu historiæ universalis *lib 15. cap. 1. dist. 12.* Cæterum Henricus Rex proclamatur *mortalium pessimus & Tyrannorum maximus* à P. Jovio *lib. 6. Elogiorum num. 24.* Atqui ille quamvis in uxoribus abdicandis nimium facilis erat, & libidini suæ magis quàm dignitati consulebat, quamvis etiam præter modum in eos, qui libidini ejus adversabantur & potestati detrahere volebant, cædibus & tormentis grassaretur, non tamen ob id Jovius cum tantis conviciis insectari & Tyrannum vocare debebat, quandò aliàs Reipublicæ optimè præfuit, pace bonus, felix bello, arbiter fortunæ ejus quam Carolus. V. Imperator & Franciscus I. Galliæ Rex, uterque pro se deposcebat, ut Europæ dominium ad se pertraheret, qui posset. Neque enim de Religionis veritate quæstio tunc erat, sed de Jure Regio, quod Rex à Papis detentoribus vindicabat. Miror sanè quod Johannes *Wurmserus* scribit, eos qui Principem constituunt Ecclesiæ caput, magnum errorem errare, *Exircitat. 5. Juris publici dist. 1.* Imò error non est. Regem esse caput in populo suo, expresse dicunt literæ sacræ 1. *Samuel. 15. 17. Psalm. 18. 44.* Scilicet in Reipublicæ corpore Rex capitis vice fungitur, & verò in Republicâ sunt tam Clerici quam Laici. Regem quemlibet caput Ecclesiæ suæ esse, non malè dicitur, si rectè intelligatur. Est caput Ecclesiæ, id est, membrum principale quatenus præ subditis omnibus excellit: non etiam, quod pro arbitrio jubeat vetetque in Religionis negotio, hactenus enim ad Scripturæ normam obstrictus est, *Deut. 17. 18. 19. 20.* Quo jure verò alii Papam faciunt Ecclesiæ caput? Non enim ille vel Rex Regem æqualis est, sed Regum servus, uti constat per exempla similia, 1. *Samuel. 22. 13. 15. 1. Regum 1. 33.*

XIII. Pergit Besoldus: *Præterea multi ex prætensis Reformatis concedere nolunt, Ecclesiam constare ex Clericis solis, nec eam habere monarchicum caput, scilicet Pontificem Romanum. Et cum omnia ordinatè in Ecclesia fieri deceat, magistratum ideò civilem, nutricium, defensorem ac protectorem Ecclesiæ esse, tradunt. Inde quoque jus vocandi ministros, haut magistratui soli, neque etiam populo soli, verum Ecclesiæ toti competere, ajunt.*] dist. 14. *Respondeo*: Falsum omninò est, quod Ecclesia tantùm constet ex Clericis sive Religiosis. Sanè in Veteri Testamento populus omnis dicitur esse κλῆρ☉, *Deut.* 4. 20. *cap.* 9. 29. 2. *Samuel.* 21. 3. *Psalm.* 33. 12. *Psalm.* 78. 71. *Esai.* 19. 25. Falsum est, quod Papa Romanus sit caput Ecclesiæ, hoc enim prædicatum soli Christo tribuunt literæ sacræ, *Ephes.* 1. 22. 23. *Coloss.* 1. 18. *cap.* 2. 10. 19. Aut igitur Papa Romanus Ecclesiæ caput non est, aut si penes Servatorem est caput, Ecclesia biceps fuerit, quod monstrosum est. *Excipiunt*: Servator est caput visibile & primarium, à quo Ecclesia donis gratiæ vegetatur, Papa est caput visibile & secundarium, à quo Ecclesia regitur externè. Sic Regnum Siciliæ est biceps, habet enim Regem absentem & Pro-Regem præsentem, utrumque uti caput in externo regimine, sed alterum subordinatum. Sic vir est caput mulieris, *Ephes.* 1. 23. At præter virum illa habet quoque caput naturale, Becanus *lib.* 1. *Manualis Controvers. cap.* 4. *dist.* 26. 27. 28. Antonius Petilius *lib.* 2. *Exarchiæ cap.* 9. Wilhelmus ab Effern *in Manuali Politico pag.* 309. *seqq.* Respondeo: Negamus, quod externum regimen Ecclesiæ non competat Servatori, *Matth.* 18. 19. *cap.* 28. 20. *Marci* 16. 20. *Actor.* 1. 24. 25. 26. *cap.* 4. 33. 34. *seqq. Ephes.* 4. 11. 12. 13. *cap.* 5. 23. 24. Reliqua sunt nugis similia. Fingit Becanus, Papam suum divisum imperium cum Servatore habere, quomodò verò non diviserunt Siciliarum Pro-Rex & Hispaniarum Rex. Nova hæc Politica est, vicarium esse caput Regni. Et cum *vir* appellatur *caput mulieris* genus dicendi figuratū est. Non est mulier illa biceps, quæ habet caput unum naturale, & unum maritale, sed quæ habet vel duo capita naturalia, vel duo maritalia, unum primarium, alterum secundarium, id est, quę duos habet maritos uno eodemque tempore. Edicant porrò etiam Adversarii, quando in Gallorũ, Hispanorum, Italorum concertationibus, sedebant duo vel tres Papæ, ubi tunc fuerit unicum Ecclesiæ caput pro externo Regimine occupatum? Addimus hoc: Paulus accuratè & prolixè describendo Regimen Ecclesiæ externum, *Ephes.* 4. 11. Apostolos, Prophetas Doctores, Curatores honorum, Censores vitæ & morum commemorat, de primate aliquo & Rectore Catholico prorsus tacet, non prætermissurus eum, quod si talem aliquem ordinavisset Servator. *Excipiunt*: Apostoli sunt caput Ecclesiæ, horum successores usque fuerunt Papæ & Episcopi, Cornelius à Lapide *commentariis ad h. l. num.* 38. Respondeo: Si Apostoli erant caput Ecclesiæ, non sanè unus Petrus fuit caput quod aliàs semper declamant adversarii? Et si Apostoli duodecim erant caput, monstrosum animal Ecclesia primitiva fuit, capitibus duodecim oneratum. Longè verius atque ornatius sacræ literæ describunt Ecclesiam quod unum habeat caput, Christum, *Ephes.* 4. 10 *seqq. cap.* 5. 23. 24. Et si Episcopi omnes sunt Apostolorum successores, quo jure solus Papa corripit atque exercet pri-

matum in Ecclesia? Regerit *Bellarminus*: Apostoli reliqui habuerunt privilegium extrà ordinem, ut caput Ecclesiæ essent, unus Petrus ordinario privilegio summam potestatem accepit, & successoribus suis tradidit in urbe Româ, *lib.1.de Pontifice Romano cap.* 5. Respondeo: Commenta sunt, quæ de privilegio ordinario Petri dicuntur. Parem sese illis aliis profitetur, non verò ut superiorem effert sese, 1. *Petri.* 5. 1. & Apostoli alii pares ei sese prædicant, nequaquam verò inferiores, *Galat.* 2. 7. 8. 9. Non ergò habuit privilegium ordinarium, quod reliqui non habebant, & successores ejus in urbe Româ Episcopi non poterunt universalis Ecclesiæ dominatum arrogare sibi præ aliis Episcopis Apostolorum successoribus, quos idem Petrus Antiochiæ, Jacobus Hierosolymis, Marcus Alexandriæ, Johannes Ephesi ordinaverunt. Itaque veteris Ecclesiæ Doctores increpabant seriò eos, qui universalis Episcopi nomen in Ecclesiâ ambiebant, & hos tales Antichristi præcursores esse, palàm docebant, Gregorius Magnus *lib.6. Epistola XXX.* Denique jus vocandi ministros, Ecclesiæ toti meritò arrogatur secundùm leges atque exempla primitivæ Ecclesiæ, *Actor.*1. 22.23.*cap.*6.5.6.*cap.*14.23.

XIV. Pergit Besoldus: *Ex hoc fundamento Practici fori Germanici, pro maxima habent: Religionis immutationem, sequelam esse territorialis jurisdictionis. Certè hoc pacis gratia toleratur, non quod hoc ipso jure fieri debuisset, aliàs namque Pax religiosa non ad duas tantum confessiones restricta fuisset, sed status & Dominiterritoriorũ, quamcunque libet, fovere possent Religionem. At nunc autonomiam, quæ est aperta via ad Atheismum, urgent liberéque Calvinismum, & nescio quas alias fanaticas sectas vel introducunt vel fovent.*] dist.18. *Respondeo*: Pax Religiosa habet jus radicatum, postquam conscientiæ libertatem promulgabat adversus maculata Religionis præcones. Frustrà sunt Besoldus *verbis allatus*, Fridericus Lindenspuhr *in Analysi pacis Religiosæ*, qui dicunt, *pacem istam esse per aliquam tolerantiam.* Atqui est per conventionem, itaq; obligat, Legisque & Juris nomine venit, cò magis quod voluntas ejus qui Legem istam tulit, rectè sese habuisse, negari haut possit, quodque Religio sit juris Gentium & inaudituna sit, velle Reges sibi arrogare dominium in animos, tantum ut Papis animarum vexatoribus placeant. Cæsar per *potentiam* suam toleret fortè, sed ob *justitiam* suam servare tenetur, quatenus promissum nullâ vi, nullo metu extortum cadit in debitum, & Princeps bonus non tantum fortis, verum etiam justus est. Falsum verò est, *quod status fovere possint Religionem, quam velint.* Unam enim illam, sacris literis & primitivæ Ecclesiæ testimoniis roboratam, à sordibus Monachorum repurgatam, novis Papistis ingratam, Religionem in Augustanâ Confessione verbis planissimis descriptam, votis liberis expetivimus, defendimus voce, scriptis, armis quoq; postquam illa nobis obtrudere voluit adversariorum importunitas. Quantillum ab illâ evagantur Prædestinatiani, parum est, neque hac de re novas lites capessere opus fuerat, cum veteres etiamnum fervebant.

XV. Pergit Besoldus: *Planè hæc contradicunt Ecclesiæ unitati quam etiam Symbolum Nicenum agnoscit.*] dist. 19. *Respondeo*: Ecclesia est una, quatenus subest uni capiti, Christo, *Ephes.*4.5.15. Hoc tamen non ob-

ſtat quò minus in verâ Eccleſiâ quædam opinionum & rituum exſtet diverſitas, Unitas enim fidei habet pro fundamento Deum creatorem mundi, & Chriſtum ſervatorem hominum omnium. Quæcunque aliàs opiniones fuerint, non evertunt doctrinam veram, & ad ſalutem ſcitu neceſſariam. In rituum diverſitate mutua debet eſſe tolerantia, neque enim illi vel dant vel adimunt ſalutem, præmium fidei & benè actorum.

XVI. Pergit Beſoldus: *Quod autem Sectarii ſcribunt, Conciliorum generalium præſidem eſſe debere Imperatorem, falſum eſt.*] diſt. 21. *Reſpondeo*: Et tamen in Veteri Teſtamento Reges pietatis ſtudioſi convocabant, Synodos inque illis præſidebant, David, 1. *Chronic.* 13. 1. 2. *cap.* 23. 1. 2. Salomon, 1. *Regum* 8. 1. 2. Ezechias, 2. *Chronic.* 29. 4. Joſias, 2. *Regum* 23. 1. 2. Exempla horum Imperatores Chriſtiani ſequuti & jure ſuo uſi convocaverunt Orbis univerſi Concilia, inque illis præſederunt, quod contrà Baronii infelices conatus demonſtrat Philippus Mornæus *in Myſterio iniquitatis pag.* 42. 95. 128. 164. 273.

XVII. Pergit Beſoldus: *Firma eſt concluſio verè Catholicorum, Papam Romanum non præſidem ſolum Conciliorum, verum etiam illis ſuperiorem eſſe.*] l. d. *Reſpondeo*: Attamen in Veteri Teſtamento Pontifices erant infrà Concilia, infrà Reges. Prius verum eſt, quia in rebus dubiis adire jubentur Ebræi ad Sacerdotes unà congregatos, *Deuter.* 17. 9. Idemque Doctores Sorbonici hodienum defendunt adverſus graviter impudentes Canoniſtas, poſtquam in Conciliis Conſtantienſi, Baſileenſi, Piſano ità definitum fuit, ut pluribus docent Antonius de Roſellis *libro de poteſtate Imperatoris & Papæ part.* 4. *cap.* 1. *ſeqq.* Guilielmus wittakerus *libro de Conciliis cap.* 5. Johannes Gerſon Pariſienſis *libro de auferibilitate Papæ*. Martinus Papa ſupremo vitæ ſuæ anno ad corrigendos deformes Clericorum mores indixerat Concilium Baſileæ, eodemque Julium Cæſarinum Legatum ſuum deſtinaverat. Defuncto illo ſuccedebat Eugenius Venetus, corruptiſſimi animi, qui Baſileam recuſabat, & Italiæ urbem Bononiam eligebat, decretis Romanæ curiæ propiorem. Atqui ob hanc ipſam cauſam Sigiſmundus Cæſar negabat, concilium è Germaniæ urbe clariſſima deducendum ad Italos, Papæ dominantis nutui obnoxios nimium, itaque Theologis, qui Baſileæ convenerant, imperabat ut Papæ denunciarent ſupremo conſulto denunciarent, Papam eſſe infrà Concilium, ac niſi ille Baſileam mitteret Legatum, unanimi præſentium voto alium eſſe eligendum. Territus Papa, Cæſarinum loco reſtituebat, ut Baſileæ præſens eſſet, veruntamen decreto illi, quod Concilium ſuprà Papam eſſet, adeò non acquievit, ut contrarium edictum evulgaret in Concilio Italorum Ferrariæ collectorum. Peſte ingruente abibant Florentiam, & pergebant cudere ſanctiones Papæ decreto conformes. Patres Baſileæ congregati abrogabant factioſo Eugenio primatum, & ſubrogabant Felicem Amadæum è Sabaudis Ducem. Proinde Eugenius implorabat arma Galliæ Regis, patrisque Caroli VII. juſſu adventabat Ludovicus Delfinus cum exercitu trigintà mille virorum in Rauracos, contrà progreſſi tres legiones Helvetiorum ità exceperunt Gallos, ut pulſi laceras copias in Lotharingiam reducerent, neque Concilium locò moverent. Diximus in Recenſu hiſtoriæ univerſalis *lib.* 13. *cap.* 4. *diſt.* 7. Poſterius verum eſt, quia Pon-

Pontifices erant serviRegum,& horum jussis, quanquam pravis, ultrò morem gerebant,1. *Samuel.* 22. 13. 15. 1. *Regum* 1. 33. 2. *Regum* 16. 10. 11.

XVIII. Pergit Besoldus: *Detestandum est quod hæretici Ecclesiastica & monasteriorum bona, etiam quæ ipsis non omninò subjecta sunt, sibi arrogare & quasi illa ad superstitiosum cultum sint destinata, aliis magis piis usibus, ut præ se ferunt, attribuere velint. Sunt enim res illæ Deo semel datæ atque ità alienæ.*] dist. 24. *Respondeo:* Quod bona Ecclesiis donata possint repeti inque usum civilem adhiberi, Papistæ ipsi facto celebri ostenderunt. Ità Carolus V. Episcopatum Ultrajectinum mutavit in dominium seculare atque tittulo isto hodienum à Regibus Hispaniæ possidetur. *De Canonicis Ultrajectinis* librum scripsit Martinus Schokius, qui legatur. Non ergò accusent inEvangelicis, quod ipsi exemplo commendaverunt velut bonum factum. Obtentendunt, *esse res Deo liberaliter datas.* Atqui personas Deo consecramus, non res. Largitiones, quæ in sacros usus erogantur, temporales sunt, & jure humano à Clericis possidentur, quod accuratè demonstrant Ferd Vasques *lib.* 2. *Controvers. illustrium cap.* 89. Covarruvias *lib.* 1. *variarum resolut. cap.* 17. adversus quos frustrà litigat P. Laimannus *lib.* 4. *Theolog. moralis tract.* 6. *cap.* 12. Proindè, cùm legitimæ causæ occurrunt, possunt ab eis auferri, videlicet cum Reipublicæ damnum procurant, aut causa propter quam donatæ sunt, defecerit; aut earum perceptores ad luxum & libidinem abutuntur, uti nobiscum docet Johannes Gerson *libro de vitâ spiritualis animæ Lectione* 3. Affirmabat olim Hieronymus, *quod bona Ecclesiæ ad pauperes pertinerent.* Atqui hodienum non convertuntur in usus pauperum, sed impenduntur in usum divitum Sacerdotum, ut magis etiam per ea saginentur. Notum est quàm urgeant eos aviditas opum & ambitio. Hæc neque eos unquam quiescere sinunt, nec patiuntur, ut alios optatæ quieti permittant, in furiis perpetuò agitati, otium & pacem, quibus volunt alii homines frui, in gravissima dissidia, & lites cruentas perversi convertunt. Hoc prorsus aliud Evangelium est, quàm ipsi ab Apostolis acceperunt, non quidem Angeli pacis, sed turbarum incentores, *Ephes.* 5. 14. 15. 16.

XIX. Concludit Besoldus: *Qui autem libertatem conscientiarum prohibent, concedunt tamen, si quis vicinus, intuitu religionis, Imperio vicino moveret bellum, eo quoque in casu armis defendere licere Religionem.*] dist. 25. *Respondeo:* Quod armis defendi possit Religio, patet exemplo Maccabæorum, de quorum gestis rebus testantur libri sacri. Et eodem proposito ceptum est bellum fœdusque Smalcaldicum adversus Carolum V. Imperatorem, Sleidanus *lib.* 16. 17. 18. 19. *histor.* Primi equidem Christiani versabantur in patientiæ ludo, quod viderent, si Religionis, jura acrius vindicarent, in ipsos Cæsares peccarent, qui sese Religionis dominos eo titulo, quod Pontifices maximi erant, profitebantur, uti dictum est *supra lib.* 1. *cap.* 5. *dist.* 4. Deinde cum ipsi ad sacra meliora transiverunt, armis defenderunt Religionem uti Heraclius Cæsar adversus Cosroem Parthiæ Sultanum, de quo egimus in Recensu historiæ universalis *lib.* 7. *cap.* 2. *dist.* 4. Nostro tempore bellum Smalcaldicum gestum est pro Religione, quod describit Hortlederus

libro prolixo *de causis belli Germanici*. Idq; fieri poterat rectè, postquam Cęsares voluerunt Jus circà sacra Papæ committere, Orbis expilatori sub pietatis specie & sacrorum deturpatori. Quæ adversus hunc pro Religionis libertate armis scriptisque egerunt Protestantes, nullam Cæsari faciunt injuriam, à cujus obedientiâ nunquam recedere voluimus, arma ab eo nobis illata deprecati sumus, à superstitionum onere liberari cupivimus in istâ veritatis luce, à Papæ jugo & ipsum & nos exsolvi optavimus, controversias de fidei veritate non misceri cum illis, quæ Deus ad conservandum ordinem in societate humanâ instituit, oravimus, & cum exorare non possemus, Jure Gentium usi arma contrariis armis feliciter depulimus.

CAPUT SECUNDUM.

Diatriba singularis de suprematu Papæ Romani.

SUMMARIA.

1. *Suprematus Papæ.*
2. *Regis prærogativa.*
3. *Sacerdos à Deo.*
4. *Sacerdos prior tempore.*
5. *Sacerdotis inauguratio.*
6. *Sacerdotis unctio.*
7. *Sacerdotis ornamenta.*
8. *Sacerdotis officium.*
9. *Sacerdotis arbitrium.*
10. *Sacerdotis negotia.*
11. *Sacerdotis exemptio.*
12. *Sacerdotis authoritas.*

1\. MArtinus Becanus cum primum animum ad scribendum (vel potius Bellarminum describendum) appulit, id sibi negotii credidit solum dari, *Papæ ut placerent quas fecisset fabulas.* Quas inter haut postrema est, ubi Papæ dignitatem super Regum potestatem longè evehit. Argumentatur: Pontifex veteris Testamenti præcelluit Regi ejusdem secundum varios titulos. Ergò potestas ejus dignior & super regiam fuit. Antecedens probatur: Pontifex præcelluit Regi titulo originis, antiquitatis, familiæ, inaugurationis, unctionis, ornatus, officii, exemptionis, authoritatis apud populum. Hoc constat: Pontificatus originem habuit à Deo, regnum cepit importunitate populi, *Hebr* 5.8.1. *Samuel.* 8. 4.11.18. *cap.* 12. 16. Primus Pontifex Aharon fuit, quem demum annis quadringentis post secutus est Primus Rex Saulis. Pontifex sumebatur tantùm è familiâ Levi, omnium honoratissimâ, Rex poterat eligi de qualibet tribu, Saulus erat Beniaminita, David ex Judâ, Jeroboam Ephratæus, Pontificis inauguratio ex solenni lege fiebat, peculiari cum pompâ, toto populo inspectante, *Exodi* 29. *Levitic.* 8. De Regis consecratione Deus nihil expressit unquam, quin constat, omnes solo titulo successionis, aut electionis jure citrà solennitatem aliquam Regium thronum occupavisse. Pontifex quilibet ungebatur oleo sancto, *Exodi* 30.30. Reges oleo communi, neque ipsi omnes, sed quidam tantum, etenim præter Saulum, Davidem, Salomonem, Joam, Iehu nemo Regum unctus esse legitur. Ornamenta Pontificum erant varia & precii multi, *Exodi* 28. Reges nihil tale habuerunt, tantum diadema & monilia gestabant, exemplo Saulis, 2. *Sam.* 1.10 & Davidis, qui coronam idoli Moloch conflabat in diadema aliquod, 1. *Chronic.* 21. 2. Officium Pontificis erat excellentius

tius quàm Regis. Ille curabat spiritualia, intrabat sanctuarium, offerebat sacrificia, expiabat populum, consecrabat verbi ministros, legem interpretabatur. Hic curabat civilia, justitiam conservabat, bella gerebat. Ille negotia sua gerebat non requisito prius Rege, hic non auspicabatur bella nisi consulto Pontifice, *Numer.* 27.21 1. *Samuel.* 23. 9. *cap.* 30. 6. Ille officio Regis titulo Vicarii defungi poterat, exemplo Ioiadæ, 2. *Regum* 11. Hic nihil eorum, quæ ad Pontificem spectabant, ausus est tractare, 2. *Samuel* 13.15 2. *Chron.* 26.18. Pontifex erât exemptus à potestate Regis, neque Rex eum poterat quicquam jubere, non poterat eum ad suum tribunal vocare non poterat eum punire, si deliquisset. Quin & Levitæ omnes fuerunt exempti à potestate Regis, *Numer.* 3. 12. *cap.* 8. 13. 18. non dederunt vectigal, aut tributa, quæ solet magistratus à subditis exigere. Deniq; Pontificis major erat authoritas quàm Regis. Ille enim solenniter consecrabatur, oleo sacro tingebatur, ornatu pulcherrimo splendebat, cum Deo colloquia miscebat, miracula patrabat: Rex nihil horum ostentabat, itaque orto dissidio inter Pontificem & Regem, semper favit populus Pontifici, adeoq; Saulis mandata noluerunt exsequi satellites ejus, cum jubebat Abimelechum occidere. Hactenus Becanus *libro de potestate Pontificis & Regis adversus Lancellottum Anglum pag.* 27. *seq.* Similia ferè habent Adamus Conzenus *lib. 6. Politicorum cap.* 3. Sanderus *lib* 2 *de visibili Monarchia cap.* 1. & furiosus Protestantium hostis Caspar Scioppius *in Ecclesiastico cap.* 140. *seqq.*

II. Nos verò excellentias illas negamus. Et quod Rex Veteris Testamenti præ ejusdem Pontifice multum eminuerit, ostenditur (1.) Quia Deus velut eminens benificium promittit Abrahamo, fore ut ex illo nascerentur Reges *Genes.* 17.16. *cap.* 35.11. Majus promittere non poterat Deus, cum maximum dare vellet. (2.) Quia Deus multis locis sese vocat Regem Regum, quod majus aut excellentius aliquid non occurrat. (3.) Quia Reges vocantur *Dii* in sacris literis, velut Deo unicè proximi. At tale nihil Papis competit. (4) Quia Saulo dicitur, cujus erunt optima in Israële? 1. *Samuel.* 9. 20. Nimirum de regno loquitur Samuel, atque illud optimum esse verbis expressis testatur. (5.) Quia hoc patet in Messiâ tres coronas gerente, Regni, Legis, Sacertotii. Et regni quidem clarissimam præ cæteris, atque exaltationis jure multùm excellentiorem, *Dan.* 7.27. *Philip.* 2. 9. 10. 11. Becani prærogativas ordine examinabimus.

III *Prima* est: Pontificatus originem habuit a Deo, regnum cepit importunitate populi *Respondeo*: Omnis potestas à Deo est, *Roman.* 13.1. *seq.* itaque portio Legis Regiæ promulgabatur, antequam Reges ordinariâ successione in populo essent, authore Mose, *Deut.* 17.14. *seq.* Neq; vetabat Deus habere Principem secundum jus gentium, tantum improbabat, quod suo veluti arbitrio deposcerent, ac prudentiæ Regis innixi vellent res magnas gerere non requisito Deo qui hactenus eos Regis instar defenderat consilio & judices miserat armorum successu felices, de quâ re accurata censura est *Syrachidis, cap.* 17. 14. 15.

IV. *Secunda* est: Pontifex erat annis multis, antequam Rex esset. *Respondeo:* Imò Rex erat Moses, antequam Pontifex Aharon esset, *Deuter.* 33. 5. Potestate summâ & prorsum regiâ populum Israëlis eduxit, re-

xitque porrò in deserto, uti fatetur Bonfrerius *commentariis ad Deuteronomium pag.* 1050. Proinde secuti eum Judices quanquam cum multò minori potestate, vocantur Reges, *Iudicum* 17.6. *cap.* 21. 25. Namque regalia aliqua jure veluti suo usurpabant.

V. *Quarta* est: Pontificis inauguratio solennis admodum erat, Reges absque ullâ solennitate promovebantur ad solium, *Respondeo*: Ceremoniæ illæ operosæ omnes aliquid dignitatis conciliabant muneri, attamen nihil potestatis addebant Pontifici. Rex certè excellebat, quoniam habebat optima in Israële, & operosæ inaugurationis ejus circumstantiæ prorsus mysticæ erant, ad Messiam relatæ, ut interpretes Christiani ad Legem uberius docent.

VI. *Quinta* est: Pontifex quilibet ungebatur, & quidem oleo sancto, *Exodi* 30. 30. Reges non omnes ungebantur, neque enim præter Saulum, Davidem, Salomonem, Joas, Jehu, Regum aliquis unctus esse legitur, & fiebat unctio illa oleo communi. *Respondeo*: An quilibet Pontifex ungeretur olim, & verò, an Reges non omnes uncti fuerint, nondum pro certo asserunt Interpretes Tostadus *commentariis ad lib.* 1. *Samuelis cap.* 10. *quæst.* 2. Isidorus *lib.* 2. *de officiis Ecclesiast. cap.* 25. statuunt, Reges omnes fuisse unctos. Rursum Tremellius Grotius, Vinarienses Scholiastæ *notis ad Exodi* 40. 15. negant, quod Pontificum filii fuerint uncti, quandò ad minorum ordinum sacerdotes redigebantur. Sufficiebat illis, esse de unctorum sacerdotum familiâ, 2. *Maccab.* 1. 10. De Sacerdotibus summis aliter erat, *Exodi* 29. *cap.* 30. 30. *Levit.* 4. 3. *cap.* 21. 10. adeoq; ungebatur ille quoties sacro muneri admovebatur successor novus. Quicquid sit, nihil indè sequitur ad conculcandam Regis excellentiam, quæ secundum effecta propria judicari debet. Usus sacræ unctionis post Mosis tempora obtinuit in populo Hebræo cæterùm non imposuit necessitatem absolutam. Non enim fuit adhibita, cum Regnum hæredes legitimi adibant, & quandò adhibebatur, liberum factum erat, cum primis propter excitatam Competitorum, quos inter de jure prærogativæ lis mota erat, factionem, quomodò Salomon propter Adoniæ tumultus, Joas propter Athaliæ, & ob Joramo abdicatum imperium ungebatur Jehu. Hoc nos docent Gemara Hierosolymitana *ad Titulum* הוריות & confirmant Levi Ben-Gerson *commentariis ad lib.* 1. *Regum* 1 David Kimhi *ad Esaia* 10. 17. Quod oleo sacro Reges perinde ac pontifices uncti fuerint, constat per dicta & facta manifesta, 1. *Samuel.* 10. 1. 1. *Regum* 1. 39. *Psalm.* 89. 21. adeoque consentiunt nobiscum Tostadus *l. d. quæst.* 1. Pineda *lib.* 2. *de rebus gestis Salomonis cap.* 6. Barradius *Tomo* 2. *Concordiæ Evangelicæ lib.* 3. *cap.* 41. Genebrardus *commentariis ad Psalm.* 89. 21. Salianus *Tomo* 3. *Annalium Veteris, Testam. pag.* 104. 105. Sanctius *commentariis ad lib.* 1. *Samuelis pag.* 194. Wilhelmus Scickardus *libro de Iure Regio Hebræorum pag.* 22. *seqq.* Janus Seldenus *lib.* 2. *de successione Pontificum Hebræorum cap.* 9. Cum Becano dissentiunt Simon Episcopius *lib.* 3. *Institutionum Theolog. sect.* 2. *cap.* 2. *theorem* 16. Joh. Stephanus Menochius *lib.* 1. *de Republica Hebræorum cap* 9. *quæst.* 4. Rationes adferunt: (1.) Quia Deus præcepit, ut oleo sacro ungeretur nemo præter sacerdotes & Pontificem. *Exodi* 30. 30. (2.) Quia oleum ad sacerdotes ungen-

gendos præparatum semper vocatur oleum sacrum, *Exodi* 29.7. *cap.* 30. 25.31. *Levit.* 8. 10. *cap.* 21. 12. non etiam alterum illud, quo Reges ungebantur, 1. *Samuel.* 10. 1. *cap.* 16. 1.13. *cap.* 26.9. 2. *Regum* 9.1. (3.) Quia Pontifices non debebant, velut oleo sacro uncti, adesse apud funera, *Levit.* 21.10. *seqq.* At Reges poterant lugere & prosequi funera, ut David Sauli, Jonathæ Abneris. Ergò oleum sacrum non erat fusum super caput eorum. (4.) Quia oleum sacrum tractabant Pontifices & Sacerdotes. Atqui Saulus, David, Salomoh ungebantur à Prophetis, non etiam à Sacerdotibus. (5.) Quia Elias jubetur ungere Asahelem Syriæ Regem, & Elisæum Prophetam uno eodemque oleo, 1. *Regum* 19.15. Atqui Asahel non poterat ungi oleo sacro, veluti gentilibus sacris addictus. Ergò nec Jehu nec alii Reges oleum sacrum acceperunt. (6.) Quia David ter legitur esse unctus, 1. *Samuel.* 19. 13. 2. *Samuel.* 2. 4. *cap.* 5. 3. Atqui repetitio illa non poterat fieri, si oleum sacrum adhibitum fuisset. (7.) Quod Salomoh accepit oleum sacrum, est peculiaris dispensatio. (8.) Aut fuit duplex in tabernaculo oleum, unum aromaticum, quo Pontifices & Sacerdotes, alterum vulgare, quo Reges & Prophetæ ungebantur. Hactenus Episcopius *l. d.* & Becanus *libro de potestate Regis & Pontificis adversus Lancellottum Anglum pag* 36. *seqq.* Respondeo: (1.) Notat Salianus *l. d.* cum dicitur, *non debere illo alienum ungi*; prohiberi, ne quis eo unguento utatur ad profanos usus, at Regum & Sacerdotum unctio est sacrosancta, & Davidis judicio etiam in capitali hoste formidabilis, 1. *Samuel.* 24. 7. Verbo: Excluditur homo privati ordinis, qui non erat Rex, Propheta, Sacerdos. (2.) Etiam illud oleum, quo Rex ungebatur, vocatur oleum sacrum, *Psalm*, 89. 21. itaque ad ungendum Salomonem accipiebat Sacerdos cornu olei de tabernaculo, 1. *Regum* 1. 39. Ad accipiendum commune oleum non erat opus adire tabernaculum. (3.) Tantò major libertas Regum erat, ut non essent legibus cerimonialibus addictè subjecti, itaque major etiam potestas eorum fuit. (4.) Prophetæ erant majores præ sacerdotibus & contra sacerdotum decreta pronunciare poterant, quod notissimum est, *Deut.* 18. 18. *Amos* 7.10. Et hoc ipsum toties urgent Apostoli in novo fœdere, ut Jesu Nazareni authoritatem defendant. Scilicet, quicunque Propheta surgebat in populo Dei miracula faciens & futura incognita certò prædicens, nec abducens populum ad Deos falsos ei parendum fuit, etiamsi quid contrà Legem aut decreta Sacerdotum præciperet. Atqui Jesus Nazarenus demonstrabat, se esse Prophetam, miraculis plurimis in vulgo editis, adeoque crimine interfecti ejus onerabantur meritò Sacerdotes primoresque alii, *Lucæ* 24.20.21. *Actor.* 3. 22. *seq. cap.* 5 30. *seq. cap.* 7 37. *seq.* Idque eò justius quod constabat, Sacerdotum officium exegisse, ut Jesum tuerentur, quandoquidem eorum tutelæ Prophetæ commissi erant, contrà verò ipsi nihil omiserant, quo mors ejus procurari posset. Sed nec verum est quod Sacerdotum ope non fuerint uncti Reges. Contrarium exemplum vide 1. *Regum* 1.39.45. (5.) Quod Hasaël poterat ungi oleo sacro nulla causa prohibet, itaque Reges gentium sunt etiam Uncti Domini, perinde uti Reges Israëlis, 1. *Samuel.* 24. 7. *Esaiæ* 45. 1. (6.) Nulla unctio in Davide erat supervacania. Prima erat instar testimonii,

quod

quod ei Deus regnum destinavisset, post Saulis obitum occupandum: Secunda eum declarabat actu Regem in Iudâ: tertia verò addebat ei regnum in decem tribubus. Perinde uti de Sadoko sacerdote legitur, quod bis unctus fuerit, 1. *Chron.* 29.22. Fuerat ille quidem Davidis tempore Pontificis Coadiutor, quem literæ sacræ vocant התרול פשנהכהן 2. *Regum* 25. 18. sed Abiathare pulso Pontificatum suscepit, & secundâ vice ungitur. (7.) Dispensatio est exceptio adversus regulam expressam: nulla verò est Regula, quę vetat Regibus oleum sacrum addere. Contrarium potius est expresso loco *Psalm.* 89.12. Rex Joas in templo ungebatur à Sacerdote Jojadâ, ineptumque est arbitrari, alio quodam oleo ac quod præ manibus erat, usum fuisse. (8.) Duplex oleum in tabernaculo est figmentum.

VII. *Sexta* est: Varia erant Pontificis ornamenta, sed Rex præter diadema nihil habebat. *Respondeo*: Ornamenta spectant ad sensum mysticum, de quo fuit *antea dist.* 5. Rex de potestate absolutâ gloriabatur secundum Jus Regium à Samuele promulgatum, 1. *Samuel.* 8. 11. quem contextum de jure Tyrannorum malè exponit Becanus *libro de primatu contrà Regem Angliæ pag.* 36. 37. Diadema non habebat, sed coronam, insuper hastam & gladium potestatis documenta, 1. *Samuel.* 19. 10. *cap.* 20. 33. Addit Becanus, David coronam idoli Moloch conflavit in diadema aliquod, 1. *Chron.* 21. 2. Falsò Rectius, *accepit autem coronam Regis eorum de capite ejus Regis Hanon*, uti vocatur 2. Samuel. 10. 2. פלכם appellativè transferunt Vatublus, Tremellius, Castalio, Munsterus, Lutherus, Scholia Græca, Vinarienses & Batavi Scholiastæ, Ariæ Montanus, Cajetanus, Johan. Buxdorffius *in Lexico Thalmudico pag.* 1210. & antè omnes illos Josephus, Angelomus, Tostadus. Coronam eorum Regis jure sibi imponebat David. Erat enim victor, nec prohibitæ erant res idololatrarum, sed res idolorum, *Deuter.* 7. 25. De Molochi idoli ornamento exponunt Serarius & Cornelius à Lapide *commentariis ad h. l.* Pineda *de rebus gestis Salomonis lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. *& lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 5. 6. 7. Petrus Cunæus *lib.* 3. *de Republica Hebræorum cap.* 6. Salianus *Tomo* 3. *Annalium Veteris Testamenti pag.* 556. 557. Atqui non est verosimile, quod Rex pius & optimus voluerit impurissimi idoli coronam aptare capiti suo, per oleum sacrum affusum consecrato. Excipit *Salianus*: Rex Ammonitarum in ultimo discrimine positus, longè aberat à tali ornamento gloriæ circumferendo, ne proderetur qui latere volebat, & quam ne ferre quidem poterat ob gravitatem ponderis. *Respondeo*: Neq; circumferebat tunc, quandò urbs capiebatur. Verbo: Erat corona, quam Rex eorum in solennibus gestaverat.

VIII. *Septima*: pontifex curabat spiritualia, Rex verò civilia. *Respondeo*: Sacerdos tamen erat servus Regis, 1. *Samuel.* 22. 12. 15. 1. *Regum* 1. 2. 26. 27. 33. 43. 47. Quid multis opus est? *Coronam Regis excelluisse semper præ corona Legis & sacerdotii*, verè ait Rabbinus Maimonides *Tomo* 1. *Halachoth Thalmud. Thor. cap.* 3. Neque Reges Hebræorum curabant solum civilia, verum insimul sacris præerant itá ut summa potestas in sacris pariter ac civilibus ad eos pertineret, 2. *Sam.* 6. 12. *cap.* 8. 11. 1. *Regum* 2. 27. *cap.* 6. 1. *cap.* 8. 1. 2. *seq. cap.* 15. 12. 2. *Regum* 13. 4. *cap.* 18. 4. 2. *Chronic.* 17. 6. 7. *cap.* 19. 4. *cap.* 29. 3. 5.

Sum-

Summa præfectura ad Regem pertinebat, veluti custodem utriusque tabulæ Decalogi: ministerium ad Pontificem, Sacerdotes, Levitas spectabat, *Deut*.17.18.*Josue* 1. 8. Itaq; in sanctuario cum שכינה agere volens Rex, sedebat ut hoc ille eximium præ Sacerdote in sacris ipsis haberet, Religionis major Antistes: Sacerdos & coram Deo & coram Rege stabat venerabundus ac supplex. Locus est 2.*Samuel*.7.18.*seqq*.& ibidem Vatablus *in notis*, Petrus Cunæus *lib.1. de Republica Ebræorum cap*. 14.

IX. *Octava*: Pontifex gerebat negotia sua non requisito prius Rege atqui Rex gerebat nihil inconsulto Pontifice, Numer. 27. 21. 1. Samuel 23. 9. cap.30, 6. *Respondeo*: Scribe rectius, *inconsulto Deo*, quomodò in Teraphim, id est, oraculis falsis respondebat dæmon, *Judicum* 18. 5 14. Satis constat, quod Reges ipsi præsentes inspiciebant oraculum sacrum pro cognoscendis eventis rerum, Sacerdotes tantum externo ministerio fungebantur, 1.*Samuel*.23. 9. 10. 11. *cap*. 30. 6. 7.

X. *Nona*: Pontifices vice Regis erant, ubi Rex non erat, 2. *Regum*. 11. 4. Rex verò nihil eorum, quæ ad Sacerdotis functionem pertinebant, tractare debuit, 2. *Paral*.26.18. Respondeo: Non satis benè vel rectè provisum fuit regimini civili, quandò illud à Sacerdotibus curabatur, populusque ansam cepit res nocandi & Regem postulandi, qui secundum mores omnium gentium Reipublicæ supremus Curator esset, ac sacerdotum non minus quàm aliorum exerrationes dignis modis puniret, 1.*Samuel*.2.15.*seq.cap*. 8.1.2.*seqq.cap*.12 3. Regiam potestatem verebatur & venerabatur Samuel, 1. *Samuel*. 12.1.2.3. *cap*. 15.30. 31. *cap*. 16. 2. Et verum quidem est, quod Sacerdos summus excelluerit inter proceres, adeoque accensetur illis, 1.*Regum* 1.7. 8. 19. 25. 26.32.44.*cap*.4.2. 4. 2. *Chron*. 19. 11. Hoc etiam verum est, quod perinde uti proceres alii fuerit Regis servus, & Regum jussis obsequio suo addictus. Namq; de solo Rege valet illud: *Quis dicet ei quid facis*. Ecclesiast. 8. 4. 5.

XI. *Decima*: Pontifex erat exemptus à potestate Regis, neque poterat eum Rex punire cum deliquerat. *Respondeo*: Reges cum peccarent, non puniebantur. Hinc dictum Thalmudis notissimum:
אין בריאה דןאת׳ הפלך אלא הבה *Nulla Creatura judicat Regem, nisi* Deus *Benedictus*. Saulus occiderat Sacerdotes conspirationis adversus Regem initæ sibi falsò suspectos, & verò David tamen dicebat, nolle se lædere Unctum Domini, 1. *Samuel*. 22. 11. *seq. cap*. 24. 7. *cap*. 26. 9. Summus Sacerdos à Rege poterat in judicium vocari, damnari, puniri, ut Abiathar læsæ majestatis reus & convictus damnabatur à Rege Salomone, 2.*Regum*.2.26. 27. Exemplum hoc multò evidentissimum est quod frustrà Hildebrandinæ Scholæ Doctores multiplicibus elusionibus fatigant, ut dicemus *infrà cap.4.dist*. 1.*seq*.

XII. *Undecima*: Pontificis major erat authoritas quàm Regis, ac populus à Rege semper dissensit, assensitque Pontifici. *Respondeo*: Vel in ipso religionis negotio, de quo cumprimis nunc agitur, constat, Regum exempla & decreta plus valuisse quàm Pontificis, corrigendo, mutando, depravando quoque illam, adeoque jubendo quæ sacra palàm valere deberent, *Judicum* 17.7.1. *Regum* 12.27.*seqq.cap*.16. 31.*seqq*. 2.*Regum* 16.10.*seqq*. Ubique mutatio religionis ad-

scribitur Regi, velut factum ejus itaque authoritate multum præpollebat Sacerdoti, qui nec factum infectum reddere propriis viribus poterat, nec impedire, ne sacra laberentur in pejus. Tanta fuit potestas Regis circa sacra. Quæ porrò indè elucescit, quod Reges potuerint dispensare circà Legis statuta 2. *Chronic.* 29. 34. *cap.* 30. 17. 18. Nam cum Lex esset, *ne quis immundus comederet agnum paschalem*, Ezechias tamen fusis ad Deum precibus, concessit, ut qui immundi essent, commederent sacra. Lex erat, *ut pecudes jugularentur per Sacerdotes*, & tamen Ezechias admovit operi ei Levitas, quia sacerdotum copia non erat, *Levit.* 1. 5. *cap.* 7. 10. 22. Non quod Reges quenquam divinæ Legis vinculo solverent (id enim homini nefas) sed quod secundum æquitatem optimam divini humanique juris interpretem declaraverint, legem divinam in necessitatis casu non obligare Pontifex nihil tale potuit, sed nec unquam cum successu fecisse legitur. Et tantum de Regis eminentiâ dixisse oportuit.

CAPVT TERTIVM.

De Jure circà Religionem.

SUMMARIA.

1. *Definitio Religionis.*
2. *Notitia Dei naturalis.*
3. *Theologia Gentilium.*
4.5. *Oracula dæmoniorum.*
6. *Josephi testimonium de Christo.*
7. *Religionis necessitas.*
8. *Principis cura in sacris.*
9. *Solvuntur rationes contrariæ.*
10.11. *Solvuntur instantiæ.*
12. *Variorum sacrorum toleratio.*
13. *Solvuntur rationes contrariæ.*

I. R*Eligio est modus colendi Deum.*] Dicta est à *relegendo*, quod crebrâ lectione & meditatione statutorum eorum, quæ sacrorum Antistites condiderant, addisceretur, *Deuter.* 17. 18. Eò allusit *Arnobius*: Non qui sollicitè relegit & immaculatas hostias cædit, qui acervos thuris dat igni concremandos, numina censendus est colere, aut officia solus Religionis implere, *lib.* 4. *advers. Gentil.* Ejus oppositum Superstitio est. Utrumque tàm Religionis quàm Superstitionis nomen usurpaverunt Gentiles, *illud fuit laudis, hoc erat vitii*, docente Cicerone *lib.* 2. *de Natura Deorum*. Et *ibidem* utriusq; nominis rationem proferre conatur: *Qui totos dies precabantur & immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi appellati sunt, qui autem omnia, quæ ad Dei cultũ pertinent, diligenter relegerent, religiosi dicti sunt.* Aliter quidem cum de Religionis vocabulo Macrobius *lib.* 3. *Saturnal. cap.* 3. tum de Superstitionis voce Isidorus *lib.* 8. *Originum cap.* 3. docent: verum optima sententia est illa quam Cicero insinuavit, *superstitio* quasi *superstatio*, ut videantur modum in precibus fundendis, sacrificiis litandis, ceremoniis obeundis excessisse, quomodò nimia illa religionis ostentatio damnatur Matth. 6. 7. Igitur *qui post stabant* cæteris domum abeuntibus, & finito ordinario sacrorum tempore nova quasi ordiebantur, superstitiosi apud vulgum audire ceperunt, cognominum audacem effictorem. Claudianus:

Tur-

Rursum labefacta cadebat
Religio,

lib. 1. in Ruffinum. Nimirum uti ex contextu patet, qualiscunque opinio de Diis notatur, quæ eos tamen esse & rerum humanarum curam gerere crederet, quorum neutrum credebant Epicuræi,

Parci Deorum cultores & infrequentes,
Insanientis sapientiæ consulti,

teste Horatio lib. 1. Carm. 34. Proinde Religionem quamvis deridebant. Lucretius:

Quot contrà sæpius olim
Relligio peperit scelerosa atque impia facta. lib. 1. de naturâ rerum. Notat Servius ad lib. 8. Æneid. *Superstitio est superstantium rerum, id est, cælestium & divinarum, quæ super nos stant, inanis & superfluus timor.* Sed leges originationis repugnant. Prudentius *obscœnas religiones* dixit, & *profanarum religionum errores* peculiari libro exposuit Julius Firmicus. Namque universa illa Veterum religio mera superstitio erat, cumque vero Deo cultum exhibere sese putabant, Geniis malis serviebant, 1. *Chron.* 16. 16. *Psal.* 96. 5. 1. *Corinth.* 10. 19. 20. Quare graviter illos increpant Autor Sapientiæ *cap.* 13. 1. *seq.* & Paulus, *Roman.* 1. 18. *seqq.* videlicet quod rationis sanæ dictamen adeò pessimè corruperint, pro Diis colendo illa quæ inter Creaturas abjectissima quæque fuerant.

II. Verba *Apostoli* sunt ista: Quoniam id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in eis, Deus enim manifestavit eis, itaque invisibilia ejus jam inde à condito mundo ex iis quæ fecit, mente perpensa perviden tur, æterna videlicet ejus cum potentia, tum divinitas, τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ vocat id quod de Deo scire & facilè potest & expedit, qualia sunt, eum esse potentissimum & jus habere in omnia, Hebr. 11. 6. Itaque *Seneca*: Primus est Deorum cultus Deos credere, deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine quâ nulla majestas est, *Epist.* 96. ἐν αὐτοῖς hic est, multis inter ipsos, uti Pythagoreis, Platonicis, Stoicis, quorum in hanc rem argumenta plurima refert Dion Prusæensis *oratione Olympiaca* lectu dignissimâ, eaque sufficiunt Aristoteli & Epicuro refellendis, quorum ille Deorum providentiam cœlis includendo, hic verò eam à cælo & terris removendo, uterque admodum peccavit. & Deum verbis fassis reipsa abnegaverunt. Nec enim opus est Deo illo, qui non interest rebus humanis, Jerem 9. 24. cap. 23. 23. 24. *Excipiunt*: Paulus non agit de operibus primæ creatoris, sed de revelatione Dei per opera novæ creationis, sive de gloriosis Servatoris & Apostolorum ejus factis, quibus doctrinam Evangelicam confirmaverunt, in quâ voluntas divina hactenus abscondita hominibus promulgatur ad salutem nostram, Socinus, *in prælectionibus Theologicis cap.* 2. Ostorodus *in Institut. Theologicis lib.* 1 *cap.* 1. *dist.* 6. libro *de Deo pag.* 117 Respondeo: De illis Gentilibus agit Paulus, qui hactenus Evangelium voluntatis divinæ oraculum non habuerunt, *Actor.* 14. 15 *cap.* 17. 24. Habuerant verò magistram Rationem, uti rectè adversus Socinum disserit ejus discipulus Johannes Crellius *commentariis in Epistolam ad Romanos pag.* 66 *seqq.* Ergò τὰ ποιήματα non sunt miracula Servatoris & Apostolorum operâ patrata, tunc cum Evangelium toto orbe prædicabatur, sed visibiles Creaturæ, quæ de Creatore testantur, ut *Psalm.* 8. 3. *Psalm.* 19. 1. 2. 3 *Ephes.* 2. 10. Similiter τὰ ἀόρατα non sunt mysteria salutem nostram concer-

nentia: verum sunt abstracta Dei essentia & potestas, quam ab hominibus reverenter haberi percupiscit, ut purâ mente illum colant, secus quàm factum erat à Paganis, qui Creatore præterito Creaturas venerabantur, cœlum, terram, stellas, animantia, herbas, defunctos homines, Genios deceptores, *Psalm.* 94.6. *Sapientiæ* 13. 1. 2.3.4.5. 1.*Corinth.* 10 20.

III. Multis adversus Ciceronem disserit Lactantius *libro* 4. *de vera religione cap.* 28. ubi post erudita plurima in medium allata concludit demum his verbis: *Omninò quid colas interest, non quemadmodum colas aut quid preceris.* Contra: Non tantum quid colas interest, sed & quemadmodum colas. Ibi cum erratur, est idololatria hic cum impingitur, superstitio est. Nec enim tantum se unicè coli verus Deus severè præcepit, *Exodi* 20. 2. 3 sed etiam non aliter coli ac ipse in verbo suo præscipsit, *Deuter.* 4.2. *cap.* 12. 8. Ea quam Gentiles naturæ ductu docebant, varia fuit, alia ceremonialis Vulgi, alia fabulosa Poëtarum, alia naturalis Philosophorum, alia civilis Regum & Sacerdotum. De quibus omnibus multa ex priscis monumentis excerpserunt & perspicuè proposuerunt Eusebius *libris de præparatione Evangelica*, Clemens Alexandrinus *libris septem Stromatum*, Arnobius *libris septem adversus Gentes*, Augustinus doctissimo Opere *de civitate Dei*, Theodoretus *libris de Fabulis Græcorum.* Duabus partibus absolvebatur Cerimonialis Theologia, quæ palàm & ubique invaluerat, unam vocabant Theurgiam, alteram Goëtiam, ut docet Cornelius Agrippa *libro de vanitate Scientiarum cap.* 45. 46. Illa colebat Deos superos, ut pergerent juvare & favere, hæc conciliabat Deos inferos, ne vellent nocere. Utraque erat impia prorsus & nefaria, quod sive superi illi sive inferi Dii essent, omnes dæmonia essent, constatque Genios malos precibus & sacrificiis honoratos, eorumque Facies & Imagines nunc amicas nunc inimicas pro eventu præstandò occurrisse visibiles quando consecrationes vel imprecationes recitabantur, uti diximus in Recensu Antiquitatum Romanarum *lib.* 1. *cap.* 11. *dist.* 28. Virgilius:

Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna Deum,

lib. 2. Æneid. Hinc explicatur illud Bileami vatis ad Balacum Regem: Forsan occurret mihi Dominus & quamcunque rem ostenderit mihi, indicabo tibi, *Numer.* 23.3. Bileam Mesoporamenus erat γ κλης incantator, quod miror à doctis quibusdam negari, cum manifestò constet ex *Numeror.* 24.1. atque de illâ re pluribus egimus *l.b.* 4. *Antiquitatum Romanarum pag.* 992. *seqq.* Sacrificiis peractis avertebat faciem, ut facies Numinum videret, amicæ eæ vel inimicæ essent, sed amicas comperit, ut coactus bona precaretur populo, quem diris devovere jussus fuerat. Disertè fatetur: Non est incantatio contrà Jacobum, neque divinatio contra Israëlem, *Numeror.* 23.23. Sensus est: Non poterunt ulla maleficorum carmina præstare, ut Numen eorum tutelare evocaretur, atque ità illis armis debellari & deleri possint. Certè Goëtia Paganorum manifestò ad artes necromanticas, Spirituumq; deceptorum & Manium sepulchris conditorum adjurationes, obtestationes de futuris interrogationes desciscebat, adeò potentes cultoribus suis visas, ut carmini-

bus

bus recitatis Natura ipsa moveretur, Jove inscio tonaret, imbres, procellæ tempestates cierentur, amnes reverterentur, starent maria, Solis cursus sisteretur, Luna cœlitus detraheretur, stellæ in nubila conderentur, viperarum fauces rumperentur, hominum formæ mutarentur, terra usque Acherontem finderetur, imò Mundus torpesceret, quomodò produnt Virgilius 8. *Bucolicorum & lib.* 4. *Æneid.* Lucanus *lib.* 6 Seneca *in Hercule Oetæo & Medea*, Tibullus *lib. Elegiarum* 1. *num.* 1. Petronius *in Satyrico*, Horatius *lib.* 5. *Carm.* 5. & 18. Ovidius *in Epistola Hipsipyles & lib.* 14. *Metamorphos.* Aristophanes *in Nubibus*, Martialis *lib.* 9. *Epigram.* 30. Appollonius *lib.* 2. *Argonauticor.* Claudianus *lib.* 2. *Ruffinum*, Theocritus *Idyllio* 2. Hæc illi de potestate τοῦ πνεύματος τοῦ ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, Ephes 2.2. De eâdem re plura diximus *lib.* 1. *Antiquitatum Romanarum cap.* 2. *num.* 5.

IV. Quanta fuerit potestas Dæmonis in seducendis illis, vel unæ Oraculorum sortes ostendunt, descriptæ à Julio Cæsare Bulengero amplissimo libro *de Oraculis.* Locus est 1. Corinth, 12. 2. *Quomodo ageremini ad Idola muta* abducti nempè à Deo Agere mini spe discendi futura, ad idola muta, id est, ad vates qui illis aderant, uti in fanis Apollinis Delphici, Amphiarai, Trophonii, Cereris, Æsculapii. Significanter autem dicit; *idola muta* ex Abacuc 2. 18. ubi in Græco est, εἴδωλα κωφά, ut moneret, vim illam quâ vates isti prædicebant quædam, quæ deinde eventus comprobat, aut quædam humanam vim superantia efficiebant, non fuisse à simulachro, uti vocis itá mentis experte, *Psal.* 115. 4. sed à dæmonibus, qui falsâ istâ persuasione populum à vero Deo abducebant, ut ipsi Deorum loco apud imperitos essent, 2. *Corinth.* 4. 4. Postquam Messias venerat, debebant falsi cultus malorum Geniorum aboleri, & homines ad puriorem cultum Dei unius converti, *Esaiæ* 9. 2. 3. *cap.* 11. 10. *cap.* 42. 1. 4. 7. *cap.* 49. 5. *cap.* 60. 1. 2. 3. *cap.* 65. 1. *Zephan.* 3. 9. *Zachariæ* 9. 10. *cap.* 13. 2. 3. Atqui cum promulgato Evangelio prorsus conticuerunt Oracula, præcipua deceptionis instrumenta, uti monet Theodoretus *lib.* 10. *de curandis Græcorum affectibus.* De Apolline Delphico scribit Cicero: *Jamdiu idem non facit*, lib. 2. de Divinatione. Et Juvenalis:

Delphis oracula cessant,

Satyrâ 6. Cessavit quoque Jupiter Ammonius, Strabo *lib.* 11. *Geographiæ.* De omnibus aliis idem prodit, reiq; insolitæ causam quærit Plutarchus *libro de defectu Oraculorum.* Narrat vocem apud Echinadas Insulas regnante Cæsare Tiberio auditam esse: *Magnus Pan obiit.* Quod Sapientes ævi ejus de Pane Arcadiæ Deo interpretati sunt atq; hinc ille concludit, Genios Oraculorum incessores mori perinde uti homines, ut non possint oracula esse perpetua. De veritate relationis dubitat Spondanus in Epitomâ Annalium, *fides*, ait, *esto penes autorem*, pag 34. Veruntamen quia Plutarchus non autorem solum relationis ejus, sed testes quoque collaudat, ac circumstantias addit, meritò ei fides habetur cum Eusebio *lib.* 5. *de præparat. Evangel. cap.* 5. Hoc erroneum est, quod Genios credit esse mortales. Factos quidem novimus ex sacris literis nulli tamen hactenus perierunt, nec perituri sunt unquam. Audita est vox eo tempore quando Jesus Nazarenus ὁ ἀρχιποίμην (*Iohan.* 10. 11. 14. 16. *Hebræor.* 13. 20) in crucis ara oblatus est, ac morte suâ Spiritus

Danhaverus *in Hodosophia Christiana pag.* 597 Bellarminus *libro de Scriptoribus Ecclesiasticis pag.*38 39. Philippus Mornæus *libro de veritate Religionis Christianæ cap.* 39. & & prolixè defendit Isaacus Vossius *in Isagoga Chronologiæ sacræ cap.* 17. Aliter verò judicant, & Chistiani alicujus Relectoris glossema esse proximis Apostolico ævo annis ad marginem fortè exaratum, demum cum successu temporis intrà contextum receptum, statuunt Ludovicus Cappellus *in Compendio historiæ Iudaicæ pag.* 110. Lucas Osiander *Centuria* 1. *historiæ Ecclesiast. lib.*2. *cap.*7. Tanaquillus Faber *Volum* 1. *Epistolarum pag.* 125. *seqq.* Nam à quo, nisi viro Christiano, verba illa, *quomodo prophetæ de illo prædixerant?* Nemo Judæus credebat, à morte resurrexisse Jesum Nazarenum, *Matth.*28.15. *Actor.*,25.19. & ipse Josephus, uti nunquam Christo nomen dedit, ὐκ ἀναδεχόμενος τὸν κύριον ἡμῶν ἰησοῦν χριστὸν, ait Origenes *commentariis ad Matthæum*, ita non leviter impegit, accommodando textus Propheticos de Messiâ palam sonantes, ad Vespasianum Imperatorem, hominem præputiatum, *lib.*3. *de bello Iudaico cap* 49. *& lib.* 7. *cap* 13. Attamen vetus est ἐμβλῆμα & de Josephi libris proferunt Eusebius *lib.*1. *historiæ Ecclesiasticæ cap.* 11. Hieronymus *in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap.* 12. Sed Justinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus prætereunt silentio, ubi adversus Judæos rationibus & testimoniis diligenter rem gerunt. Notetur hoc quoque dicere insititium illud testimonium, εἰς ἔτι, τε νῦν τῶν χριστιανῶν ἀπὸ τοῦδε ὠνομασμένων ὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον, *& usque hodiè Christianorum genus ab eo nomen sortitum non defecit.* Ignotum primis illis annis erat τῶν χριστιανῶν cognomentum, & qui novam Christi Legem sequebantur, erant τῶν ναζωραίων αἵρεσις, *Actor.*24. 5. Nominis ratio est à Christo, quem vocabant Nazarenum & Nazoræum, *Matth.*2.23. *cap.*26 71. *Ioh.*18.7. *Actor.* 2.22. *c.*.26.9. Patet satis, quod nec Iosepho authore nec Josephi ævo illud perscriptum fuerit. Dicit *Vossius*: (1.) Josephū quidē credidisse, Dominum Jesum fuisse Messiam, sed hominem tamen, non etiam Deum, quemadmodum Christiani sentiunt. *Respondeo*: Non poterat credere, illum Messiā esse, cujus doctrinam recusavit amplecti, Legis à majoribus traditæ cultor studiosus, cæterum de adventu Messiæ incertus adeò, ut literarum sacrarum effata (*Genes.*49. 10. *Daniel.* 2.43.44. *Michea* 5.1.) ad Vespasianum accommodaret, quod ipsum Pagani quoque crediderunt. *Tacitus*: Pluribus persuasio fuerat, antiquis Sacerdotum libris contineri, eo ipso tempore fore, ut invalesceret Oriens, profectique Iudæâ rerum potirentur, quæ ambages Titum & Vespasianum prædixerant, *lib.*5. *histor.* Erat Iosephus de Pharisæorum numero, qui separabant ad venturum Messiam μετὰ πολλῆς φαντασίας, adeoque cum videbat turbatas rationes sui similium & suas, præ animi incertitudine & desperatione eò prolapsus est, ut omissâ illâ de venturo Messiâ opinione, nihil crederet eorum, quæ vulgò credebantur. Vaticinia prolata rectius multò de Iesu & Apostolis ejus interpreteris, qui Iudæi ex Iudæis prognati in Iudæâ cœlestis regni primordia fecerunt, inde amplissimo progressu in Oriente cæterisque Orbis partibus propagaverunt, *Matth.* 16. 18. *Apocal.* 12. 19. (2.) Nec hodiè inter Iudæos desunt, qui equidem nolunt fateri, Iesum Nazarenum esse

verum Servatorem attamen cum largiuntur magnum fuisse Prophetam, multaque priorum Prophetarum vaticinia de illo intelligenda esse aut posse intelligi, illud ipsum quod tacent, indicant. *Respondeo*: Nemo Judæorum reddet testimonium hoc Jesu Nazareno, quod fuerit Propheta. quodque veteris Testamenti prædicta de illo intelligi debeant: omnes potius Apellæ criminantur eum velut Legis prævaricatorem, Magum, dæmonum ope patratis miraculis celebrem, Thalmudistæ *in libro* סנהדרין *cap.* II. Chronicon minus templi secundi, *fol.* 36. 37. 382. (3.) Quod autem dicunt, Josephum Pharisæorum sectæ fuisse addictum, illos autem Christiano nomini fuisse infensissimos, & hoc quoque aliter sese habet. Fuerunt multi inter Pharisæos, qui Christi doctrinam admiserunt, Evangelistis testibus, & Josephus non tàm Pharisæis addictus fuit, quin Essenis addictior esset. Non uno loco reprehendit Pharisæorum facta & mores, ubique verò laudat Essenos. *Respondeo*: Ostendere debebat Vossius, in paucis illis Pharisæis, qui Christum vivum ob edita ab ipso miracula suspiciebant, fuisse Josephum Quod ille non poterit facere, & verò manet verissimum, Pharisæos infensissimos Christi hostes fuisse, teste passim Evangelicâ historiâ. Quàm faverit Josephus Essenis, non video Pharisæum fuisse nemo certè negaverit, quandò in gente sua ille ad honores aspirabat, à quibus noverat Essenos removeri longius. (4.) Cæterum utcumque aliquis non admittat testimonia illorum Patrum, qui Essenos Christianis accensent, certum est tamen illos propius à vero abesse, qui Essenos ferè Christianos fuisse credunt, quàm qui hos Christianorum præcipuos hostes fuisse tradunt. *Respondeo*: Quod Esseni falsò putentur Christiani fuisse, docebimus *infrà cap.* 14. *dist.* 1. *seqq.* (5.) Johannes Baptista quin Essenus fuerit, quomodò negari possit, non video. Cibi & vestitus simplicitas, baptismus, odium contrà Pharisæos & Saducæos clarissimè evincunt, aut Essenum fuisse, aut saltem horum sectam probavisse. *Respondeo*: Multa ostendunt quod non fuerit Essenus, unum hoc proferre sufficit, quod agnoverit, Iesum Nazarenum esse Orbis Servatorem, *Matth.* II. 2. 3. *seqq.* (6.) Non erat opus ut antiquiores Patres Iosephum testem adducerent, quandò recentia etiamnum erant tot Evangelistarum & Apostolorum testimonia. *Respondeo*: Atqui juvare multum poterat, quandò Iesu Nazareni vita moresque probarentur à teste domestico, gentisque suæ Annalium conditore inclyto (7.) Improbat ille cædem Jacobi Justi fratris Domini. Quod si hic pro impostoris doctrinâ perpessus esset martyrium, utique supplicium istud justum fuisse censuisset. *Respondeo*: Improbat cædem patratam, non tàm proclivis favore in Jacobum, quam plenus odio ergà Sacerdotem Ananiam, hostem capitalem, utpote Saducæum, & seditiosum plebis concitorem, *Actor.* 5. 17. *cap* 23. 2. 5. 6 Et verò illa ipsa narratio in Josepho passa est peregrinæ manus correctionem, *lib.* 20. *Antiquitat. Judaicar. cap.* 8. Quod enim hodiè legitur ἀδελφοῦ τοῦ Ἰησοῦ χριστοῦ, non est Josephi additamentum. Nusquam ille aliquid de Servatore Christo, utpote qui magis curabat perscribere eventa civilia, de turbis citrà Legem ritusque sacros commotis non sollicitus adeò. Quanquam causa evidens est, ob quam poterat favere Jacobo. Retinebant primi illi Christiani

libro prolixo *de causis belli Germanici*. Idq; fieri poterat rectè, postquam Cęsares voluerunt Jus circà sacra Papæ committere, Orbis expilatori sub pietatis specie & sacrorum deturpatori. Quæ adversus hunc pro Religionis libertate armis scriptisque egerunt Protestantes, nullam Cæsari faciunt injuriam, à cujus obedientiâ nunquam recedere voluimus, arma ab eo nobis illata deprecati sumus, à superstitionum onere liberari cupivimus in istâ veritatis luce, à Papæ jugo & ipsum & nos exsolvi optavimus, controversias de fidei veritate non misceri cum illis, quæ Deus ad conservandum ordinem in societate humanâ instituit, oravimus, & cum exorare non possemus, Jure Gentium usi arma contrariis armis feliciter depulimus.

CAPUT SECUNDUM.

Diatriba singularis de suprematu Papæ Romani.

SUMMARIA.

1. *Suprematus Papa.*
2. *Regis prarogativa.*
3. *Sacerdos à Deo.*
4. *Sacerdos prior tempore.*
5. *Sacerdotis inauguratio.*
6. *Sacerdotis unctio.*
7. *Sacerdotis ornamenta.*
8. *Sacerdotis officium.*
9. *Sacerdotis arbitrium.*
10. *Sacerdotis negotia.*
11. *Sacerdotis exemptio.*
12. *Sacerdotis authoritas.*

1. MArtinus Becanus cum primum animum ad scribendum (vel potius Bellarminum describendum) appulit, id sibi negotii credidit solum dari, *Papæ ut placerent quas fecisset fabulas.* Quas inter haut postrema est, ubi Papæ dignitatem super Regum potestatem longè evehit. Argumentatur: Pontifex veteris Testamenti præcelluit Regi ejusdem secundum varios titulos. Ergò potestas ejus dignior & super regiam fuit. Antecedens probatur: Pontifex præcelluit Regi titulo originis, antiquitatis, familiæ, inaugurationis, unctionis, ornatus, officii, exemptionis, authoritatis apud populum. Hoc constat: Pontificatus originem habuit à Deo, regnum cepit importunitate populi, *Hebr.* 5.8.1. *Samuel.* 8. 4.11.18. *cap.* 12. 16. Primus Pontifex Aharon fuit, quem demum annis quadringentis post secutus est Primus Rex Saulis. Pontifex sumebatur tantùm è familiâ Levi, omnium honoratissimâ, Rex poterat eligi de qualibet tribu, Saulus erat Beniaminita, David ex Judâ, Jeroboam Ephratæus, Pontificis inauguratio ex solenni lege fiebat, peculiari cum pompâ, toto populo inspectante, *Exodi* 29. *Levitic.* 8. De Regis consecratione Deus nihil expressit unquam, quin constat, omnes solo titulo successionis, aut electionis jure citrà solennitatem aliquam Regium thronum occupavisse. Pontifex quilibet ungebatur oleo sancto, *Exodi* 30.30. Reges oleo communi, neque ipsi omnes, sed quidam tantum, etenim præter Saulum, Davidem, Salomonem, Joam, Iehu nemo Regum unctus esse legitur. Ornamenta Pontificum erant varia & precii multi, *Exodi* 28. Reges nihil tale habuerunt, tantum diadema & monilia gestabant, exemplo Saulis, 2. *Sam.* 1. 10 & Davidis, qui coronam idoli Moloch conflabat in diadema aliquod, 1. *Chronic.* 21. 2. Officium Pontificis erat excellentius

tius quàm Regis. Ille curabat ſpiritualia, intrabat ſanctuarium, offerebat ſacrificia, expiabat populum, conſecrabat verbi miniſtros, legem interpretabatur. Hic curabat civilia, juſtitiam conſervabat, bella gerebat. Ille negotia ſua gerebat non requiſito prius Rege, hic non auſpicabatur bella niſi conſulto Pontifice, *Numer.* 27.21 1. *Samuel.* 23. 9. *cap.* 30. 6. Ille officio Regis titulo Vicarii defungi poterat, exemplo Ioiadæ, 2. *Regum* 11. Hic nihil eorum, quæ ad Pontificem ſpectabant, auſus eſt tractare, 2. *Samuel* 13.15. 2. *Chron.* 26.18. Pontifex erât exemptus à poteſtate Regis, neque Rex eum poterat quicquam jubere, non poterat eum ad ſuum tribunal vocare non poterat eum punire, ſi deliquiſſet. Quin & Levitæ omnes fuerunt exempti à poteſtate Regis, *Numer.* 3. 12. *cap.* 8. 13. 18. non dederunt vectigal, aut tributa, quæ ſolet magiſtratus à ſubditis exigere. Deniq; Pontificis major erat authoritas quàm Regis. Ille enim ſolenniter conſecrabatur, oleo ſacro tingebatur, ornatu pulcherrimo ſplendebat, cum Deo colloquia miſcebat, miracula patrabat: Rex nihil horum oſtentabat, itaque orto diſſidio inter Pontificem & Regem, ſemper favit populus Pontifici, adeoq; Saulis mândata noluerunt exſequi ſatellites ejus, cum jubebat Abimelechum occidere. Hactenus Becanus *libro de poteſtate Pontificis & Regis adverſus Lancellottum Anglum pag.* 27. *ſeq.* Similia ferè habent Adamus Conzenus *lib.* 6. *Politicorum cap.* 3. Sanderus *lib.* 2 *de viſibili Monarchia cap.* 1. & furioſus Proteſtantium hoſtis Caſpar Scioppius *in Eccleſiaſtico cap.* 140. *ſeqq.*

II. Nos verò excellentias illas negamus. Et quod Rex Veteris Teſtamenti præ ejuſdem Pontifice multum eminuerit, oſtenditur (1.) Quia Deus velut eminens benificium promittit Abrahamo, fore ut ex illo naſcerentur Reges *Geneſ.* 17.16. *cap.* 35.11. Majus promittere non poterat Deus, cum maximum dare vellet. (2.) Quia Deus multis locis ſeſe vocat Regem Regum, quod majus aut excellentius aliquid non occurrat. (3.) Quia Reges vocantur *Dii* in ſacris literis, velut Deó unicè proximi. At tale nihil Papis competit. (4) Quia Saulo dicitur, cujus erunt optima in Iſraële? 1. *Samuel.* 9. 20. Nimirum de regno loquitur Samuel, atque illud optimum eſſe verbis expreſſis teſtatur. (5.) Quia hoc patet in Meſſiâ tres coronas gerente, Regni, Legis, Sacertotii. Et regni quidem clariſſimam præ cæteris, atque exaltationis jure multùm excellentiorem, *Dan.* 7.27. *Philip.* 2.9.10.11. Becani prærogativas ordine examinabimus.

III *Prima* eſt: Pontificatus originem habuit à Deo, regnum cepit importunitate populi *Reſpondeo*: Omnis poteſtas à Deo eſt, *Roman.* 13.1. *ſeq.* itaque portio Legis Regiæ promulgabatur, antequam Reges ordinariâ ſucceſſione in populo eſſent, authore Moſe, *Deut.* 17.14. *ſeq.* Neq; vetabat Deus habere Principem ſecundum jus gentium, tantum improbabat, quod ſuo veluti arbitrio depoſcerent, ac prudentiæ Regis innixi vellent res magnas gerere non requiſito Deo qui hactenus eos Regis inſtar defenderat conſilio & judices miſerat armorum ſucceſſu felices, de quâ re accurata cenſura eſt *Syrachidis, cap.* 17. 14. 15.

IV. *Secunda* eſt: Pontifex erat annis multis, antequam Rex eſſet. *Reſpondeo*: Imò Rex erat Moſes, antequam Pontifex Aharon eſſet, *Deuter.* 33. 5. Poteſtate ſummâ & prorſum regiâ populum Iſraëlis eduxit, rexit-

xitque porrò in deserto, uti fatetur Bonfrerius *commentarus ad Deuteronomium pag.* 1050. Proinde secuti eum Judices quanquam cum multò minori potestate, vocantur Reges, *Iudicum* 17. 6. *cap.* 21. 25. Namque regalia aliqua jure veluti suo usurpabant.

V. *Quarta* est: Pontificis inauguratio solemnis admodum erat, Reges absque ullâ solennitate promovebantur ad solium, *Respondeo*: Ceremoniæ illæ operosæ omnes aliquid dignitatis conciliabant muneri, attamen nihil potestatis addebant Pontifici. Rex certè excellebat, quoniam habebat optima in Israële, & operosæ inaugurationis ejus circumstantiæ prorsus mysticæ erant, ad Messiam relatæ, ut interpretes Christiani ad Legem uberius docent.

VI *Quinta* est: Pontifex quilibet ungebatur, & quidem oleo sancto, *Exodi* 30. 30. Reges non omnes ungebantur, neque enim præter Saulum, Davidem, Salomonem, Joas, Jehu, Regum aliquis unctus esse legitur, & fiebat unctio illa oleo communi. *Respondeo*: An quilibet Pontifex ungeretur olim, & verò, an Reges non omnes uncti fuerint, nondum pro certo asserunt Interpretes Tostadus *commentariis ad lib.* 1. *Samuelis cap.* 10. *quæst.* 2. Isidorus *lib.* 2. *de officiis Ecclesiast. cap.* 25. statuunt, Reges omnes fuisse unctos. Rursum Tremellius Grotius, Vinarienses Scholiastæ *notis ad Exodi* 40. 15. negant, quod Pontificum filii fuerint uncti, quandò ad minorum ordinum sacerdotes redigebantur. Sufficiebat illis, esse de unctorum sacerdotum familiâ, 2. *Maccab.* 1. 10. De Sacerdotibus summis aliter erat, *Exodi* 29. *cap.* 30. 30. *Levit.* 4. 3. *cap.* 21. 10. adeoq; ungebatur ille quoties sacro muneri admovebatur successor novus. Quicquid sit, nihil indè sequitur ad conculcandam Regis excellentiam, quæ secundum effecta propria judicari debet. Usus sacræ unctionis post Mosis tempora obtinuit in populo Hebræo cæterùm non imposuit necessitatem absolutam. Non enim fuit adhibita, cum Regnum hæredes legitimi adibant, & quandò adhibebatur, liberum factum erat, cum primis propter excitatam Competitorum, quos inter de jure prærogativæ lis mota erat, factionem, quomodò Salomon propter Adoniæ tumultus, Joas propter Athaliæ, & ob Joramo abdicatum imperium ungebatur Jehu. Hoc nos docent Gemara Hierosolymitana *ad Titulum* הוריות & confirmant Levi Ben-Gerson *commentariis ad lib.* 1. *Regum* 1 David Kimhi *ad Esaia* 10. 17. Quod oleo sacro Reges perinde ac pontifices uncti fuerint, constat per dicta & facta manifesta, 1. *Samuel.* 10. 1. 1. *Regum* 1. 39. *Psalm.* 89. 21. adeoque consentiunt nobiscum Tostadus *l. d. quæst.* 1. Pineda *lib.* 2. *de rebus gestis Salomonis cap.* 6. Barradius *Tomo* 2. *Concordiæ Evangelicæ lib.* 3. *cap.* 41. Genebrardus *commentarus ad Psalm.* 89. 21. Salianus *Tomo* 3. *Annalium Veteris, Testam. pag.* 104. 105. Sanctius *commentariis ad lib.* 1. *Samuelis pag.* 194. Wilhelmus Scickardus *libro de Iure Regio Hebræorum pag.* 22. *seqq.* Janus Seldenus *lib.* 2. *de successione Pontificum Hebræorum cap.* 9. Cum Becano dissentiunt Simon Episcopius *lib.* 3. *Institutionum Theolog sect.* 2. *cap.* 2. *theorem* 16. Joh. Stephanus Menochius *lib.* 1. *de Republica Hebræorum cap* 9. *quæst.* 4. Rationes adferunt: (1.) Quia Deus præcepit, ut oleo sacro ungeretur nemo præter sacerdotes & Pontificem. *Exodi* 30. 30. (2.) Quia oleum ad sacerdotes ungen-

gendos præparatum semper vocatur oleum sacrum, *Exodi* 29.7. *cap.*30. 25.31. *Levit.*8. 10.*cap.*21.12. non etiam alterum illud, quo Reges ungebantur, 1. *Samuel.* 10. 1. *cap.* 16. 1.13.*cap.*26.9.2.*Regum* 9.1.(3.) Quia Pontifices non debebant, velut oleo sacro uncti, adesse apud funera, *Levit.*21.10.*seqq.* At Reges poterant lugere & prosequi funera, ut David Sauli, Jonathæ Abneris. Ergò oleum sacrum non erat fusum super caput eorum. (4.) Quia oleum sacrum tractabant Pontifices & Sacerdotes. Atqui Saulus, David, Salomoh ungebantur à Prophetis, non etiam à Sacerdotibus. (5.) Quia Elias jubetur ungere Asahelem Syriæ Regem, & Elisæum Prophetam uno eodemque oleo, 1. *Regum* 19.15. Atqui Asahel non poterat ungi oleo sacro, veluti gentilibus sacris addictus. Ergò nec Jehu nec alii Reges oleum sacrum acceperunt. (6.) Quia David ter legitur esse unctus, 1. *Samuel.*19. 13.2.*Samuel.*2. 4.*cap.*5.3. Atqui repetitio illa non poterat fieri, si oleum sacrum adhibitum fuisset. (7.) Quod Salomoh accepit oleum sacrum, est peculiaris dispensatio. (8.) Aut fuit duplex in tabernaculo oleum, unum aromaticum, quo Pontifices & Sacerdotes, alterum vulgare, quo Reges & Prophetæ ungebantur. Hactenus Episcopius *l. d.* & Becanus *libro de potestate Regis & Pontificis adversus Lancellottum Anglum pag* 36.*seqq.* Respondeo: (1.) Notat Salianus *l.d.* cum dicitur, *non debere illo alienum ungi*, prohiberi, ne quis eo unguento utatur ad profanos usus, at Regum & Sacerdotum unctio est sacrosancta, & Davidis judicio etiam in capitali hoste formidabilis, 1. *Samuel.*24.7. Verbo: Excluditur homo privati ordinis, qui non erat Rex, Propheta, Sacerdos. (2.) Etiam illud oleum, quo Rex ungebatur, vocatur oleum sacrum, *Psalm*, 89. 21. itaque ad ungendum Salomonem accipiebat Sacerdos cornu olei de tabernaculo, 1. *Regum* 1. 39. Ad accipiendum commune oleum non erat opus adire tabernaculum. (3.) Tantò major libertas Regum erat, ut non essent legibus cerimonialibus addictè subjecti, itaque major etiam potestas eorum fuit. (4.) Prophetæ erant majores præ sacerdotibus & contra sacerdotum decreta pronunciare poterant, quod notissimum est, *Deut.*18.18.*Amos* 7.10 Et hoc ipsum toties urgent Apostoli in novo fœdere, ut Jesu Nazareni authoritatem defendant. Scilicet, quicunque Propheta surgebat in populo Dei miracula faciens & futura incognita certò prædicens, nec abducens populum ad Deos falsos ei parendum fuit, etiamsi quid contrà Legem aut decreta Sacerdotum præciperet. Atqui Jesus Nazarenus demonstrabat, se esse Prophetam, miraculis plurimis in vulgo editis, adeoque crimine interfecti ejus onerabantur meritò Sacerdotes primoresque alii, *Lucæ* 24.20.21. *Actor.* 3. 22.*seq. cap.* 5 30. *seq.cap.* 7 37.*seq.* Idque eò justius quod constabat, Sacerdotum officium exegisse, ut Jesum tuerentur, quandoquidem eorum tutelæ Prophetæ commissi erant, contrà verò ipsi nihil omiserant, quo mors ejus procurari posset. Sed nec verum est quod Sacerdotum ope non fuerint uncti Reges. Contrarium exemplum vide 1. *Regum* 1.39.45.(5.) Quod Hasaël poterat ungi oleo sacro nulla causa prohibet, itaque Reges gentium sunt etiam Uncti Domini, perinde uti Reges Israëlis, 1. *Samuel.* 24. 7. *Esaiæ* 45.1. (6.) Nulla unctio in Davide erat supervacania. Prima erat instar testimonii,

quod

quod ei Deus regnum destinavisset, post Saulis obitum occupandum: Secunda eum declarabat actu Regem in Iudâ: tertia verò addebat ei regnum in decem tribubus. Perinde uti de Sadoko sacerdote legitur, quod bis unctus fuerit, 1. *Chron.* 29.22. Fuerat ille quidem Davidis tempore Pontificis Coadiutor, quem literæ sacræ vocant התחול פשנהכהן 2. *Regum* 25. 18. sed Abiathare pulso Pontificatum suscepit, & secundâ vice ungitur. (7.) Dispensatio est exceptio adversus regulam expressam: nulla verò est Regula, quę vetat Regibus oleum sacrum addere. Contrarium potius est expresso loco *Psalm.* 89.12. Rex Joas in templo ungebatur à Sacerdote Jojadâ, ineptumque est arbitrari, alio quodam oleo ac quod præ manibus erat, usum fuisse. (8.) Duplex oleum in tabernaculo est figmentum.

VII. *Sexta* est: Varia erant Pontificis ornamenta, sed Rex præter diadema nihil habebat. *Respondeo*: Ornamenta spectant ad sensum mysticum, de quo fuit *anteà dist.* 5. Rex de potestate absolutâ gloriabatur secundum Jus Regium à Samuele promulgatum, 1. *Samuel* 8. 11. quem contextum de jure Tyrannorum malè exponit Becanus *libro de primatu contrà Regem Angliæ pag.* 36. 37. Diadema non habebat, sed coronam, insuper hastam & gladium potestatis documenta, 1. *Samuel.* 19. 10. *cap.* 20.33. Addit Becanus, David coronam idoli Moloch conflavit in diadema aliquod, 1. *Chron.* 21. 2. Falsò Rectius, *accepit autem coronam Regis eorum de capite ejus Regis Hanon*, uti vocatur 2. Samuel. 10. 2. פלכם appellativè transferunt Vatublus, Tremellius, Castalio, Munsterus, Lutherus, Scholia Græca, Vinarienses & Batavi Scholiastæ, Ariæ Montanus, Cajetanus, Johan. Buxdorffius *in Lexico Thalmudico pag.* 1210. & antè omnes illos Josephus, Angelomus, Tostadus. Coronam eorum Regis jure sibi imponebat David. Erat enim victor, nec prohibitæ erant res idololatrarum, sed res idolorum, *Deuter.* 7. 25. De Molochi idoli ornamento exponunt Serarius & Cornelius à Lapide *commentariis ad h. l.* Pineda *de rebus gestis Salomonis lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 19. & *lib.* 7. *cap.* 11. *num.* 5. 6. 7. Petrus Cunæus *lib.* 3. *de Republica Hebræorum cap.* 6. Salianus *Tomo* 3. *Annalium Veteris Testamenti pag.* 556. 557. Atqui non est verosimile, quod Rex pius & optimus voluerit impurissimi idoli coronam aptare capiti suo, per oleum sacrum affusum consecrato. Excipit *Salianus*: Rex Ammonitarum in ultimo discrimine positus, longè aberat à tali ornamento gloriæ circumferendo, ne proderetur qui latere volebat, & quam ne ferre quidem poterat ob gravitatem ponderis. *Respondeo*: Neq; circumferebat tunc, quandò urbs capiebatur. Verbo: Erat corona, quam Rex eorum in solennibus gestaverat.

VIII. *Septima*: pontifex curabat spiritualia, Rex verò civilia. *Respondeo*: Sacerdos tamen erat servus Regis, 1. *Samuel.* 22. 12. 15. 1. *Regum* 1. 2. 26. 27. 33. 43. 47. Quid multis opus est? *Coronam Regis excelluisse semper præ corona Legis & sacerdotii*, verè ait Rabbinus Maimonides *Tomo* 1. *Halachoth Thalmud. Thor. cap.* 3. Neque Reges Hebræorum curabant solum civilia, verum insimul sacris præerant ità ut summa potestas in sacris pariter ac civilibus ad eos pertineret, 2. *Sam.* 6. 12. *cap.* 8. 11. 1. *Regum* 2. 27. *cap.* 6. 1. *cap.* 8. 1. 2. *seq. cap.* 15. 12. 2. *Regum* 13. 4. *cap.* 18. 4. 2. *Chronic.* 17. 6. 7. *cap.* 19. 4. *cap.* 29. 3. 5.

Sum-

Summa præfectura ad Regem pertinebat, veluti custodem utriusque tabulæ Decalogi: ministerium ad Pontificem, Sacerdotes, Levitas spectabat, *Deut.* 17.18. *Josuæ* 1. 8. Itaq; in sanctuario cum שכינה agere volens Rex, sedebat ut hoc ille eximium præ Sacerdote in sacris ipsis haberet, Religionis major Antistes: Sacerdos & coram Deo & coram Rege stabat venerabundus ac supplex. Locus est 2. *Samuel.* 7.18. *seqq.* & ibidem Vatablus *in notis*, Petrus Cunæus *lib.* 1. *de Republica Ebræorum cap.* 14.

IX. *Octava*: Pontifex gerebat negotia sua non requisito prius Rege atqui Rex gerebat nihil inconsulto Pontifice, Numer. 27.21. 1. Samuel 23.9. cap. 30, 6. *Respondeo*: Scribe rectius, *inconsulto Deo*, quomodò in Teraphim, id est, oraculis falsis respondebat dæmon, *Iudicum* 18.5 14. Satis constat, quod Reges ipsi præsentes inspiciebant oraculum factum pro cognoscendis eventis rerum, Sacerdotes tantum externo ministerio fungebantur, 1. *Samuel.* 23.9. 10. 11. *cap.* 30.6.7.

X. *Nona*: Pontifices vice Regis erant, ubi Rex non erat, 2. *Regum.* 11. 4. Rex verò nihil eorum, quæ ad Sacerdotis functionem pertinebant, tractare debuit, 2. *Paral.* 26.18. Respondeo: Non satis benè vel rectè provisum fuit regimini civili, quandò illud à Sacerdotibus curabatur, populusque ansam cepit res nocandi & Regem postulandi, qui secundum mores omnium gentium Reipublicæ supremus Curator esset, ac sacerdotum non minus quàm aliorum exetrationes dignis modis puniret, 1. *Samuel.* 2.15. *seq. cap.* 8.1.2. *seqq. cap.* 12 3. Regiam potestatem verebatur & venerabatur Samuel, 1. *Samuel.* 12.1.2.3. *cap.* 15.30.31. *cap.* 16.2. Et verum quidem est, quod Sacerdos summus excelluerit inter proceres, adeoque accensetur illis, 1. *Regum* 1.7.8.19. 25.26.32.44. *cap.* 4.2. 4. 2. *Chron.* 19.11. Hoc etiam verum est, quod perinde uti proceres alii fuerit Regis servus, & Regum jussis obsequio suo addictus. Namq; de solo Rege valet illud: *Quis dicet ei quid facis.* Ecclesiast. 8.4.5.

XI. *Decima*: Pontifex erat exemptus à potestate Regis, neque poterat cum Rex punire cum deliquerat. *Respondeo*: Reges cum peccarent, non puniebantur. Hinc dictum Thalmudis notissimum:

אין בריאה דנאת׳ הפלך אלא הבה *Nulla Creatura judicat Regem, nisi Deus Benedictus.* Saulus occiderat Sacerdotes conspirationis adversus Regem initæ sibi falsò suspectos, & verò David tamen dicebat, nolle se lædere Unctum Domini, 1. *Samuel.* 22.11. *seq. cap.* 24.7. *cap.* 26.9. Summus Sacerdos à Rege poterat in judicium vocari, damnari, puniri, ut Abiathar læsæ majestatis reus & convictus damnabatur à Rege Salomone, 2. *Regum.* 2.26.27. Exemplum hoc multò evidentissimum est quod frustrà Hildebrandinæ Scholæ Doctores multiplicibus elusionibus fatigant, ut dicemus *infrâ cap.* 4. *dist.* 1. *seq.*

XII. *Undecima*: Pontificis major erat authoritas quàm Regis, ac populus à Rege semper dissensit, assensitque Pontifici. *Respondeo*: Vel in ipso religionis negotio, de quo cumprimis nunc agitur, constat, Regum exempla & decreta plus valuisse quàm Pontificis, corrigendo, mutando, depravando quoque illam, adeoque jubendo quæ sacra palàm valere deberent, *Iudicum* 17.7. 1. *Regum* 12.27. *seqq. cap.* 16.31. *seqq.* 2. *Regum* 16.10. *seqq.* Ubique mutatio religionis adscri-

scribitur Regi, velut factum ejus itaque authoritate multum præpollebat Sacerdoti, qui nec factum infectum reddere propriis viribus poterat, nec impedire, ne sacra laberentur in pejus. Tanta fuit potestas Regis circa sacra. Quæ porrò indè elucescit, quod Reges potuerint dispensare circà Legis statuta 2. *Chronic.* 29. 34. *cap.* 30. 17. 18. Nam cum Lex esset, *ne quis immundus comederet agnum paschalem*, Ezechias tamen fusis ad Deum precibus, concessit, ut qui immundi essent, commederent sacra. Lex erat, *ut pecudes jugularentur per Sacerdotes*, & tamen Ezechias admovit operi ei Levitas, quia sacerdotum copia non erat, *Levit.* 1. 5. *cap.* 7. 10. 22. Non quod Reges quenquam divinæ Legis vinculo solverent (id enim homini nefas) sed quod secundum æquitatem optimam divini humanique juris interpretem declaraverint, legem divinam in necessitatis casu non obligare Pontifex nihil tale potuit, sed nec unquam cum successu fecisse legitur. Et tantum de Regis eminentiâ dixisse oportuit.

CAPVT TERTIVM.

De Jure circà Religionem.

SUMMARIA.

1. *Definitio Religionis.*
2. *Notitia* Dei *naturalis.*
3. *Theologia Gentilium.*
4. 5. *Oracula dæmoniorum.*
6. *Josephi testimonium de Christo.*
7. *Religionis necessitas.*
8. *Principis cura in sacris.*
9. *Solvuntur rationes contrariæ.*
10. 11. *Solvuntur instantiæ.*
12. *Variorum sacrorum toleratio.*
13. *Solvuntur rationes contrariæ.*

I. R*Eligio est modus colendi Deum.*] Dicta est à *relegendo*, quod crebrâ lectione & meditatione statutorum eorum, quæ sacrorum Antistites condiderant, addisceretur, *Deuter.* 17. 18. Eò allusit *Arnobius*: Non qui sollicitè relegit & immaculatas hostias cædit, qui acervos thuris dat igni concremandos, numina censendus est colere, aut officia solus Religionis implere, *lib.* 4. *advers. Gentil.* Ejus oppositum Superstitio est. Utrumque tàm Religionis quàm Superstitionis nomen usurpaverunt Gentiles, *illud fuit laudis, hoc erat vitii*, docente Cicerone *lib.* 2. *de Natura* Deorum. Et *ibidem* utriusq; nominis rationem proferre conatur: *Qui totos dies precabantur & immolabant, ut sibi sibi liberi superstites essent, superstitiosi appellati sunt, qui autem omnia, quæ ad* Dei *cultū pertinent, diligenter relegerent, religiosi dicti sunt.* Aliter quidem cum de Religionis vocabulo Macrobius *lib.* 3. *Saturnal. cap.* 3. tum de Superstitionis voce Isidorus *lib.* 8. *Originum cap.* 3. docent: verum optima sententia est illa quam Cicero insinuavit, *superstitio* quasi *superstatio*, ut videantur modum in precibus fundendis, sacrificiis litandis, ceremoniis obeundis excessisse, quomodò nimia illa religionis ostentatio damnatur Matth. 6. 7. Igitur *qui post stabant* cæteris domum abeuntibus, & finito ordinario sacrorum tempore nova quasi ordiebantur, superstitiosi apud vulgum audire ceperunt, cognominum audacem effictorem. Claudianus:

Vur-

Rursum labefacta cadebat
Religio,

lib. 1. in Ruffinum. Nimirum uti ex cotextu patet, qualiscunque opinio de Diis notatur, quæ eos tamen esse & rerum humanarum curam gerere crederet, quorum neutrum credebant Epicuræi,

Parci Deorum cultores & infrequentes,
Insanientis sapientiæ consulti,

teste Horatio lib. 1. Carm. 34. Proinde Religionem quamvis deridebant. Lucretius:

Quot contrà sæpius olim
Relligio peperit scelerosa atque impia facta. lib. 1. de naturâ rerum. Notat Servius ad lib. 8. Æneid. *Superstitio est superstantium rerum, id est, cælestium & divinarum, quæ super nos stant, inanis & superfluus timor.* Sed leges originationis repugnant. Prudentius *obscenas religiones* dixit, & *profanarum religionum errores* peculiari libro exposuit Julius Firmicus. Namque universa illa Veterum religio mera superstitio erat, cumque vero Deo cultum exhibere sese putabant, Geniis malis serviebant, 1. *Chron.* 16. 16. *Psal.* 96. 5. 1. *Corinth.* 10. 19. 20. Quare graviter illos increpant Autor Sapientiæ *cap.* 13. 1. *seq.* & Paulus, *Roman.* 1. 18. *seqq.* videlicet quod rationis sanæ dictamen adeò pessimè corruperint pro Diis colendo illa quæ inter Creaturas abjectissima quæque fuerant.

II. Verba *Apostoli* sunt ista: Quoniam id quod de Deo cognosci potest, manifestum est in eis, Deus enim manifestavit eis, itaque invisibilia ejus jam inde à condito mundo ex iis quæ fecit, mente perpensa perviden-tur, æterna videlicet ejus cum potentia, tum divinitas, τὸ γνωστὸν τοῦ θεοῦ vocat id quod de Deo scire & facilè potest & expedit, qualia sunt, eum esse potentissimum & jus habere in omnia, Hebr. 11. 6. Itaque *Seneca*: Primus est Deorum cultus Deos credere, deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine quâ nulla majestas est, *Epist.* 96. ἐν αὐτοῖς hîc est, multis inter ipsos, uti Pythagoreis, Platonicis, Stoicis, quorum in hanc rem argumenta plurima refert Dion Prusæensis *oratione Olympiaca* lectu dignissimâ, eaque sufficiunt Aristoteli & Epicuro refellendis, quorum ille Deorum providentiam cœlis includendo, hic verò eam à cælo & terris removendo, uterque admodum peccavit. & Deum verbis fassis reipsa abnegaverunt. Nec enim opus est Deo illo, qui non interest rebus humanis, Jerem 9. 24. cap. 23. 23. 24. *Excipiunt*: Paulus non agit de operibus primæ creatoris, sed de revelatione Dei per opera novæ creationis, sive de gloriosis Servatoris & Apostolorum ejus factis, quibus doctrinam Evangelicam confirmaverunt, in quâ voluntas divina hactenus abscondita hominibus promulgatur ad salutem nostram, Socinus, *in prælectionibus Theologicis cap.* 2. Ostorodus *in Institut. Theologicis lib.* 1. *cap.* 1. *dist.* 6. libro *de Deo pag.* 117 Respondeo: De illis Gentilibus agit Paulus, qui hactenus Evangelium voluntatis divinæ oraculum non habuerunt, *Actor.* 14. 15 *cap.* 17. 24. Habuerant verò magistram Rationem, uti rectè adversus Socinum disserit ejus discipulus Johannes Crellius *commentarius in Epistolam ad Romanos pag.* 66 *seqq.* Ergò τὰ ποιήματα non sunt miracula Servatoris & Apostolorum operâ patrata, tunc cum Evangelium toto orbe prædicabatur, sed visibiles Creaturæ, quæ de Creatore testantur, ut *Psalm.* 8. 3. *Psalm.* 19. 1. 2. 3 *Ephes.* 2. 10. Similiter τὰ ἀόρατα non sunt mysteria salutem nostram concer-

nentia: verum sunt abstracta Dei essentia & potestas, quam ab hominibus reverenter haberi percupiscit, ut purâ mente illum colant, secus quàm factum erat à Paganis, qui Creatore præterito Creaturas venerabantur, cœlum, terram, stellas, animantia, herbas, defunctos homines, Genios deceptores, *Psalm.* 94.6. *Sapientiæ* 13. 1. 2. 3. 4. 5. 1. *Corinth.* 10 20.

III. Multis adversus Ciceronem disserit Lactantius *libro* 4. *de vera religione cap.* 28. ubi post erudita plurima in medium allata concludit demum his verbis: *Omninò quid colas interest, non quemadmodum colas aut quid preceris.* Contra: Non tantum quid colas interest, sed & quemadmodum colas. Ibi cum erratur, est idololatria hic cum impingitur, superstitio est. Nec enim tantum se unicè coli verus Deus severè præcepit, *Exodi* 20. 2. 3 sed etiam non aliter coli ac ipse in verbo suo præscipsit, *Deuter.* 4. 2. *cap.* 12. 8. Ea quam Gentiles naturæ ductu docebant, varia fuit, alia ceremonialis Vulgi, alia fabulosa Poëtarum, alia naturalis Philosophorum, alia civilis Regum & Sacerdotum. De quibus omnibus multa ex priscis monumentis excerpserunt & perspicuè proposuerunt Eusebius *libris de præparatione Evangelica*, Clemens Alexandrinus *libris septem Stromatum*, Arnobius *libris septem adversus Gentes*, Augustinus doctissimo Opere *de civitate Dei*, Theodoretus *libris de Fabulis Græcorum*. Duabus partibus absolvebatur Cerimonialis Theologia, quæ palàm & ubique invaluerat, unam vocabant Theurgiam, alteram Goëtiam, ut docet Cornelius Agrippa *libro de vanitate Scientiarum cap.* 45. 46. Illa colebat Deos superos, ut pergerent juvare & favere, hæc conciliabat Deos inferos, ne vellent nocere. Utraque erat impia prorsus & nefaria, quod sive superi illi sive inferi Dii essent, omnes dæmonia essent, constatque Genios malos precibus & sacrificiis honoratos, eorumque Facies & Imagines nunc amicas nunc inimicas pro eventu præstandò occurrisse visibiles quando consecrationes vel imprecationes recitabantur, uti diximus in Recensu Antiquitatum Romanarum *lib.* 1. *cap.* 11. *dist.* 28. Virgilius:

Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna Deum,

lib. 2. Æneid. Hinc explicatur illud Bileami vatis ad Balacum Regem: Forsan occurret mihi Dominus & quamcunque rem ostenderit mihi, indicabo tibi, *Numer.* 23. 3. Bileam Mesopotamenus erat γόης incantator, quod miror à doctis quibusdam negari, cum manifestò constet ex *Numeror.* 24. 1. atque de illâ re pluribus egimus *l. b.* 4. *Antiquitatum Romanarum pag.* 991. *seqq.* Sacrificiis peractis avertebat faciem, ut facies Numinum videret, amicæ eæ vel inimicæ essent, sed amicas comperit, ut coactus bona precaretur populo, quem diris devovere jussus fuerat. Disertè fatetur: Non est incantatio contrà Jacobum, neque divinatio contra Israëlem, *Numeror.* 23. 23. Sensus est: Non poterunt ulla maleficorum carmina præstare, ut Numen eorum tutelare evocaretur, atque ità illis armis debellari & deleri possint. Certè Goëtia Paganorum manifestò ad artes necromanticas, Spirituumq; deceptorum & Manium sepulchris conditorum adjurationes, obtestationes de futuris interrogationes desciscebat, adeò potentes cultoribus suis visas, ut carminibus

bus recitatis Natura ipsa moveretur, Jove inscio tonaret, imbres, procellæ tempestates cierentur, amnes reverterentur, starent maria, Solis cursus sisteretur, Luna cœlitus detraheretur, stellæ in nubila conderentur, viperarum fauces rumperentur, hominum formæ mutarentur, terra usque Acherontem finderetur, imò Mundus torpesceret, quomodò produnt Virgilius 8. *Bucolicorum* & *lib*. 4. *Æneid*. Lucanus *lib*. 6 Seneca *in Hercule Oetæo* & *Medea*, Tibullus *lib*. *Elegiarum* 1.*num*. 1. Petronius *in Satyrico*, Horatius *lib*. 5. *Carm*. 5. & 18. Ovidius *in Epistola Hipsipyles* & *lib*. 14. *Metamorphos*. Aristophanes *in Nubibus*, Martialis *lib*. 9. *Epigram*. 30. Appollonius *lib*. 2. *Argonauticor*. Claudianus *lib*. 2. *Ruffinum*, Theocritus *Idyllio* 2. Hæc illi de potestate τοῦ πνεύματος τοῦ ἐνεργοῦντος ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας, Ephes. 2.2. De eâdem re plura diximus *lib*. 1. *Antiquitatum Romanarum cap*. 2. *num*. 5.

IV. Quanta fuerit potestas Dæmonis in seducendis illis, vel unæ Oraculorum sortes ostendunt, descriptæ à Julio Cæsare Bulengero amplissimo libro *de Oraculis*. Locus est 1. Corinth. 12.2. *Quomodo ageremini ad Idola muta* abducti nempe à Deo Ageremini spe discendi futura, ad idola muta, id est, ad vates qui illis aderant, uti in fanis Apollinis Delphici, Amphiarai, Trophonii, Cereris, Æsculapii. Significanter autem dicit, *idola muta* ex Abacuc 2.18. ubi in Græco est, εἴδωλα κωφά, ut moneret, vim illam quâ vates isti prædicebant quædam, quæ deinde eventus comprobat, aut quædam humanam vim superantia efficiebant, non fuisse à simulachro, uti vocis itâ mentis experte, *Psal*. 115.4. sed à dæmonibus, qui falsâ istâ persuasione populum à vero Deo abducebant, ut ipsi Deorum loco apud imperitos essent, 2. *Corinth*. 4.4. Postquam Messias venerat, debebant falsi cultus malorum Geniorum aboleri, & homines ad puriorem cultum Dei unius converti, *Esaiæ* 9.2.3. *cap*. 11.10. *cap*. 42.1.4.7. *cap*. 49.5. *cap*. 60.1.2.3. *cap*. 65.1. *Zephan*. 3.9. *Zachariæ* 9.10. *cap*. 13.2.3. Atqui cum promulgato Evangelio prorsus conticuerunt Oracula, præcipua deceptionis instrumenta, uti monet Theodoretus *lib*. 10. *de curandis Græcorum affectibus*. De Apolline Delphico scribit Cicero: *Jamdiu idem non facit*, lib. 2. de Divinatione. Et Juvenalis:

Delphis oracula cessant,

Satyrâ 6. Cessavit quoque Jupiter Ammonius, Strabo *lib*. 11. *Geographiæ*. De omnibus aliis idem prodit, reiq; insolitæ causam quærit Plutarchus *libro de defectu Oraculorum*. Narrat vocem apud Echinadas Insulas regnante Cæsare Tiberio auditam esse: *Magnus Pan obiit*. Quod Sapientes ævi ejus de Pane Arcadiæ Deo interpretati sunt atq; hinc ille concludit, Genios Oraculorum infessores mori perinde uti homines, ut non possint oracula esse perpetua. De veritate relationis dubitat Spondanus in Epitomâ Annalium, *fides*, ait, *esto penes autorem*, pag 34. Veruntamen quia Plutarchus non autorem solum relationis ejus, sed testes quoque collaudat, ac circumstantias addit, meritò ei fides habetur cum Eusebio *lib*. 5. *de præparat*. *Evangel*. *cap*. 5. Hoc erroneum est, quod Genios credit esse mortales. Factos quidem novimus ex sacris literis nulli tamen hactenus perierunt, nec perituri sunt unquam. Audita est vox eo tempore quando Jesus Nazarenus ὁ ἀρχιποίμην (*Iohan*. 10.11.14.16. *Hebræor*. 13.20) in crucis ara oblatus est, ac morte suâ Spiritus

immundos pepulit, ne ultrà seducerent mortales, *Zacharia* 13.2.1. *Johan.* 3 8. Hæc vera causa est oppressorum oraculorum, à quâ veritate longius etiam recedunt Lucretius *lib. 2. de rerum natura*, Plinius *lib. 2. historiæ naturalis cap.* 95. Ammianus Marcellinus *lib. 21. histor.* Levinus Lemnius *lib. 2. de occultis naturæ miraculis cap.* 2. Pomponatius *libro de Incantatione pag.* 298. *seqq.* ubi produnt, vetustate exolevisse benignam vim terræ & siderum influentias steriliores factas esse, ut non potuerint Vatum mentes efficaciter adeò afficere Lucanus eodem ferè sensu:

Quid spes, ait, improba veri
Te Romane trahit? muto Parnassus hiatu
Conticuit, pressitque Deum, seu Spiritus istas
Destituit fauces, mundique in devia versum
Duxit iter: seu barbaricâ cum lampade Pytho
Arsit, in immensas cineres abiere cavernas,
Et Phœbi tenuere viam: seu sponte Deorum
Cirrha silet, fatique sat est arcana futuri
Carmina longævæ vobis commissa Sibyllæ:
Seu Pæan solitus templis arcere nocentes,
Ora quibus solvat, nostro non invenit ævo,

lib. 5 Pharsaliæ. Causas quærit cessantis Oraculi & non invenit.

V. Ex his enim meritò quæras, cur non alibi locorum nova terræ benignæ vis egressa sit, adeoque cur ubique locorum Oracula omnia exspiraverint, nullis relictis, aut novis eorum loco restitutis? Nec terræ vis nec Syderum impressiones vel editorum vel exstinctorum Oraculorum causæ sunt. Non enim prædictiones rerum futurarum nisi ab intelligente Creaturâ, edi possunt, ac istâ quidem quæ communem hominum sortem longè transcendit, uti Genius est: Et nunc quidem Genius non bonus, sed malus, qui honorem Deo proprium sibi arrogavit. Atque idem Genius est, qui per Sibyllas pronunciavit oracula. Eas per afflatum verè divinum edidisse vaticinia, ajunt Hieronymus *lib. 1. adv. Jovinia.* Joh. Steph. Menochius *lib. 3 de Republic. Hebræorum cap.* 14. *quæst.* 12. Ego hujus opinionis levitatem non satis mirari possum. Constat, anus illas fuisse ἐνθομάντεις, itaque deformi gestu ore truci, animo ad insaniam redacto pronunciaverunt carmina, quomodò Bileamo evenit, *dixit homo cujus obturatus est oculus*, Numer. 24. 3. Gestus erat, qui solebat esse apud ejus generis vates sed quod Deus eum compulit, ut alia omnia potius, ac quæ conceperat ipse pectore loqueretur, non fuit ab ipso verum à potestate Numinis ejus, quòd Genii ipsi verentur, Paulus rogatus περὶ τῶν πνευματικῶν, 1. *Corinth.* 12.1. *seqq.* id est, de illis qui spiritu afflantur sive bono sive malo, quomodò posset vates bonus dignosci ab illo, qui malo genio impulsus futura prædicebat, hanc in aliis ponit differentiam, quod spiritus boni, per quos agunt, eis velut subditi sunt, 1. *Corinth.* 14.32 id est, non ità extrà se rapiant eos, ut ad gestus insanos redigantur, & veluti emotæ mentis esse videantur. Sibyllæ arripiebantur & agebantur, ut suæ potestatis non essent quomodò è Veterum traditionibus nos docent Virgilius *lib. 6. Æneid.* Lucanus *lib. 5. Pharsal.* Non sic Esaias, Jeremias, & Prophetæ alii afflatu divino agebantur, sed leniter & cum modo, adeoque poterant etiam non obsequi, uti

Jo-

Jonas detrectavit munus, *Jonæ* 1. 1.2.*seq.* De hac re prolixius egimus *in Auctrariis ad historiam Ecclesiasticam pag.* 78.*seqq.* & in Recensu Antiquitatum Romanarum *lib.* 1. *cap.*12.*dist.* 15. Manet ergò indubitatò verum, uti dictum est, prædictiones futurorum contingentium ab Oraculis enunciata non esse à Geniis: Spiracula verò terrarum inanes & inanimes res sunt. *Rabbinus Menasseh* scribit: Quamdiu prophetia viguit, tamdiu etiam viguerunt Oracula, prophetiâ verò desinente etiam oracula desiverunt. Nec mirum: contrarium quodlibet pugnat cum suo contrario. Hinc fit, ut Spiritus etiam isti tanquam quidam sunt simii & mimi qui pro more suo semper fictione quadam imitantur res ipsas, & similia iis facere videri volunt, *libro de Creatione pag.* 95. At quamobrem desiverit prophetia, nulla est causa alia, quàm quod Messias venerit ac novum Testamentum in melioribus promissis fundatum promulgauerit, *Hebr.*1.1.2. *cap.*7.22. Ità prædictum legimus, *Dan.*9.24. & pro demõstrandâ re exclamabat ipse consũmata esse omnia, *Ioh.* 19 30. Quia ergò adventu suo finem imposuit Prophetiis Maximus Propheta, certè idẽ advtenu suo destruxit Oraculorũ potestates. Et quò magis per rumpebat lux Evangelii, tantò minus precium erat tenebricosis dęmonum Oraculis, uti fatetur ipse impietatis assertor Symachus *lib.*4. *ad Theodosium Imperatorem cap.* 33. Tantum quod irreconciliabilis Jesu Nazareni hostis Julianus Cæsar pro restaurando Apollinis Delphici Oraculo quædam conaretur. Authores pessimi facti habebat Maximum Alexandrinum, Paulum Oribasium Pergamenum, Libanium Antiochenum, Jamblichum Ægyptium, quos passim laudat Julianus *in Epistolis suis*, & meminit Eunapius Sardianus *libro de vitis Philosophorum.* Omnes illi sic foris Philosophos agebant, ut tamen Magos intus gererent, dicente Nazianzeno *lib.*2. *adversus Iulianum.* Ac Oribasius quidem Archiater ejus suscipiebat negocium arduum in Cæsaris gratiam, adibat Delphos, locabat tripodem, vates conducebat, sed dæmonis potestatem oracula proferendi frustrà implorabat. Nimirum infelices labores ejus infringebat Jesus Nazarenus, qui divinum illud suum φιμώθητι, cum imperio adversus malos Genios oraculorum præcones pronunciabat, *Lucæ* 4. 35. De negotio eodem egimus *lib.* 1. *Antiquitatum Romanarum cap.*1.*dist.*1. & 26. *ubi legantur.*

VI. Solet proferri celebre illud testimonium de Jesu Nazareno, quod habet Josephus *lib.* 18. *Antiquitatum Iudaicarum cap.* 4. ubi eum appellat *virum sapientem, veritatis studiosum, miraculis supra fidem humanam efficiendis celebrem*, τῶν παραδόξων ἔργων ποιητὴν. Concludit, *eum redivivum tertio post mortem die apparuisse, quomodò Prophetæ de illo prædixerant*, τῶν θείων προφητῶν ταῦτά τε καὶ ἄλλα περὶ αὐτοῦ θαυμάσια εἰρηκότων. Tanquam Josephi ipsius descriptum allegant Spondanus *in Epitoma Annalium pag.* 40. Hottingerus *in Epitoma historiæ Ecclesiast. part.* 1 *pag.* 23. Iacobus Usserus *Tomo* 2. *Annalium Testamenti Veteris fol.* 513. Conradus Hotnejus *part.* 1. *Disputat. Theolog.* 2. *thesi* 48. Thomas Reinesius *in Epistolis Philologicis num.* 69. Iacobus Altingius *lib.*4. *de Sciloh. cap.* 29. Casaubonus *Exercitat. XI sect.* 2. Gerhardus Ioh. Vossius *lib.* 2. *de Historicis Græcis cap.* 8 Antonius Possevinus *lib.* 16. *Bibliothecæ sanctæ cap.* 14.

Dan-

Danhaverus *in Hodosophia Christiana pag.* 597 Bellarminus *libro de Scriptoribus Ecclesiasticis pag.* 38 39. Philippus Mornæus *libro de veritate Religionis Christianæ cap.* 39. & & prolixè defendit Isaacus Vossius *in Isagoga Chronologiæ sacræ cap.* 17. Aliter verò judicant, & Chistiani alicujus Relectoris glossema esse proximis Apostolico ævo annis ad marginem fortè exaratum, demum cum successu temporis intrà contextum receptum, statuunt Ludovicus Cappellus *in Compendio historiæ Iudaicæ pag.* 110. Lucas Osiander *Centuria* 1. *historiæ Ecclesiast. lib.* 2. *cap.* 7. Tanaquillus Faber *Volum* 1. *Epistolarum pag.* 125. *seqq.* Nam à quo, nisi viro Christiano, verba illa, *quomodo prophetæ de illo prædixerant?* Nemo Judæus credebat, à morte resurrexisse Jesum Nazarenum, *Matth.* 28. 15. *Actor.* 25. 19. & ipse Josephus, uti nunquam Christo nomen dedit, ὀκ ἀναδεχόμενος τὸν κύριον ἡμῶν ἰησοῦν χριστὸν, ait Origenes *commentariis ad Matthæum*, ita non leviter impegit, accommodando textus Propheticos de Messiâ palam sonantes, ad Vespasianum Imperatorem, hominem præputiatum, *lib.* 3. *de bello Iudaico cap* 49. *& lib.* 7. *cap* 13. Attamen vetus est ἐμβλήματον & de Josephi libris proferunt Eusebius *lib.* 1. *historiæ Ecclesiasticæ cap.* 11. Hieronymus *in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum cap.* 12. Sed Justinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Tertullianus prætereunt silentio, ubi adversus Judæos rationibus & testimoniis diligenter rem gerunt. Notetur hoc quoque dicere insititium illud testimonium, εἰς ἔτι, τε νῦν τῶν χριστιανῶν ἀπὸ τοῦ δε ὠνομασμένων οὐκ ἐπέλιπε τὸ φῦλον, *& usque hodiè Christianorum genus ab eo nomen sortitum non defecit.* Ignotum primis illis annis erat τῶν χριστιανῶν cognomentum, & qui novam Christi Legem sequebantur, erant τῶν ναζωραίων αἵρεσις, *Actor.* 24. 5. Nominis ratio est à Christo, quem vocabant Nazarenum & Nazoræum, *Matth.* 2. 23. *cap.* 26 71. *Ioh.* 18. 7. *Actor.* 2. 22. *c.* 26. 9. Patet satis, quod nec Iosepho authore nec Josephi ævo istud perscriptum fuerit. Dicit *Vossius*: (1.) Josephū quidē credidisse, Dominum Jesum fuisse Messiam, sed hominem tamen, non etiam Deum, quemadmodum Christiani sentiunt. *Respondeo*: Non poterat credere, illum Messiā esse, cujus doctrinam recusavit amplecti, Legis à majoribus traditæ cultor studiosus, cæterum de adventu Messiæ incertus adeò, ut literarum sacrarum effata (*Genes.* 49. 10. *Daniel.* 2. 43. 44. *Micheæ* 5. 1.) ad Vespasianum accommodaret, quod ipsum Pagani quoque crediderunt. *Tacitus*: Pluribus persuasio fuerat, antiquis Sacerdotum libris contineri, eo ipso tempore fore, ut invalesceret Oriens, profectique Iudæâ rerum potirentur, quæ ambages Titum & Vespasianum prædixerant, *lib.* 5. *histor.* Erat Iosephus de Pharisæorum numero, qui separabant ad venturum Messiam μετὰ πάσης φαντασίας, adeoque cum videbat turbatas rationes sui similium & suas, præ animi incertitudine & desperatione eò prolapsus est, ut omissâ illâ de venturo Messiâ opinione, nihil crederet eorum, quæ vulgò credebantur. Vaticinia prolata rectius multò de Iesu & Apostolis ejus interpreteris, qui Iudæi ex Iudæis prognati in Iudæâ cœlestis regni primordia fecerunt, inde amplissimo progressu in Oriente cæterisque Orbis partibus propagaverunt, *Matth.* 16. 18. *Apocal.* 12. 19. (2.) Nec hodiè inter Iudæos desunt, qui equidem nolunt fateri, Iesum Nazarenum esse verum

verum Servatorem attamen cum largiuntur magnum fuisse Prophetam, multaque priorum Prophetarum vaticinia de illo intelligenda esse aut posse intelligi, illud ipsum quod tacent, indicant. *Respondeo*: Nemo Judæorum reddet testimonium hoc Jesu Nazareno, quod fuerit Propheta, quodque veteris Testamenti prædicta de illo intelligi debeant: omnes potius Apellæ criminantur eum velut Legis prævaricatorem, Magum, dæmonum ope patratis miraculis celebrem, Thalmudistæ *in libro* סנהדרין *cap.* 11. Chronicon minus templi secundi, *fol.* 36. 37. 38. (3.) Quod autem dicunt, Josephum Pharisæorum sectæ fuisse addictum, illos autem Christiano nomini fuisse infensissimos, & hoc quoque aliter sese habet. Fuerunt multi inter Pharisæos, qui Christi doctrinam admiserunt, Evangelistis testibus, & Josephus non tàm Pharisæis addictus fuit, quin Essenis addictior esset. Non uno loco reprehendit Pharisæorum facta & mores, ubique verò laudat Essenos. *Respondeo*: Ostendere debebat Vossius, in paucis illis Pharisæis, qui Christum vivum ob edita ab ipso miracula suspiciebant, fuisse Josephum. Quod ille non poterit facere, & verò manet verissimum, Pharisæos infensissimos Christi hostes fuisse, teste passim Evangelicâ historiâ. Quàm faverit Josephus Essenis, non video Pharisæum fuisse nemo certè negaverit, quandò in gente sua ille ad honores aspirabat, à quibus noverat Essenos removeri longius. (4.) Cæterum utcumque aliquis non admittat testimonia illorum Patrum, qui Essenos Christianis accensent, certum est tamen illos propius à vero abesse, qui Essenos ferè Christianos fuisse credunt, quàm qui hos Christianorum præcipuos hostes fuisse tradunt. *Respondeo*: Quod Esseni falsò putentur Christiani fuisse, docebimus *infrà cap.* 14. *dist.* 1. *seqq.* (5.) Johannes Baptista quin Essenus fuerit, quomodò negari possit, non video. Cibi & vestitus simplicitas, baptismus, odium contrà Pharisæos & Saducæos clarissimè evincunt, aut Essenum fuisse, aut saltem horum sectam probavisse. *Respondeo*: Multa ostendunt quod non fuerit Essenus, unum hoc proferre sufficit, quod agnoverit, Iesum Nazarenum esse Orbis Servatorem, *Matth.* 11. 2. 3. *seqq.* (6.) Non erat opus ut antiquiores Patres Iosephum testem adducerent, quandò recentia etiamnum erant tot Evangelistarum & Apostolorum testimonia. *Respondeo*: Atqui juvare multum poterat, quandò Iesu Nazareni vita moresque probarentur à teste domestico, gentisque suæ Annalium conditore inclyto (7.) Improbat ille cædem Jacobi Justi fratris Domini. Quod si hic pro impostoris doctrinâ perpessus esset martyrium, utique supplicium istud j stum fuisse censuisset. *Respondeo*: Improbat cædem patratam, non tàm proclivis favore in Jacobum, quàm plenus odio ergà Sacerdotem Ananiam, hostem capitalem, utpote Saducæum, & seditiosum plebis concitorem, *Actor.* 5. 17. *cap* 23. 2. 5. 6 Et verò illa ipsa narratio in Josepho passa est peregrinæ manus correctionem, *lib.* 20. *Antiquitat. Iudaicar. cap.* 8. Quod enim hodiè legitur ἀδελφὸν τοῦ Ἰησοῦ χριστοῦ, non est Josephi additamentum. Nusquam ille aliquid de Servatore Christo, utpote qui magis curabat perscribere eventa civilia, de turbis citrà Legem ritusque sacros commotis non sollicitus adeò. Quanquam causa evidens est, ob quam poterat favere Jacobo. Retinebant primi illi Christiani

d

ſtiani cerimonias aliquas veteris Legis, *ut Synagoga cum honore ſepeliretur*, dicente Tertulliano,& vide *Actorum*.16.3.*cap*.18.18 *Galat*.1,18.19.*cap*.2.12.13,14. Poſt prolata Eccleſiæ pomæria inter gentes, legales quidam ritus ad ſollicitandos Judæorum animos hactenus ſervari ſoliti omittebantur, & Chriſtiani dicebantur, quicunque libertate per Chriſtum partâ uſi graviſſimum illud rituum legalium onus à ſeſe removebant: aliis verò qui Legis obſervandæ neceſſitatem una cum præceptis à Servatore datis conjungebant, Nazaræorum nomen adhæſit, & ipſi hæreticis accenſeri meruerunt, Epiphanius *hæreſi* 29. Hieronymus *Epiſt*.89. Theodoretus *lib*.2.*de fabulis hæreticorum*.

VII. *Eſt modus colendi Deum.*] Pietate ſublatâ fides etiam & ſocietas humani generis, atque unà excellentiſſima virtus, Juſtitia tollitur, ait Cicero *lib*.1. *de natura Deorum*. Hujus rei argumentum evidens eſt, quod Epicurus, poſtquam divinam providentiam abrogaverat, juſtitiæ reliquit nomen inane, itaque dixit, naſci illam ex ſolâ conventione, neque durare ulterius quam communis duret utilitas, ὕστερον δὲ οὐκ ἦν ἔτι δίκαιον, ὅτε μὴ συνέφερεν, abſtinendum verò ab his, quæ alteri nocitura eſſent, ſolo pœnæ metu, Laërtius *de vitis Philoſophorum lib*.10. Seneca *Epiſt*.97. Judæorum veterum juſtitiam Religione permixtam, laudat Juſtinus *lib*.36.*hiſtoriar*. δικαιοπραγοῦντες καὶ θεοσεβεῖς ὄντες, ait de iiſdem Strabo *lib*.16. *Geograph*. Religionis veritas penes ſolos Judæos olim fuit qui unum Deum cœli terræque potentem colebant titu eo, quem iſte legibus ſuis præſcripſerat, & cumprimis tribus prioribus Decalogi præceptis, ubi cultus Dei unius, providentia ejus circa actus humanos, opus creationis univerſi, inculcantur, velut compendium religionis. Et hanc de Creatore omnium notitiam quivis homo jure ortus ſecum in mundum infert, πάντες ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν, Ariſtoteles *lib*.3. *de cœlo*, Plato *lib*. 10. *LL*. Ælianus *lib*. 2. *Variæ hiſtoriæ cap*. 31. Seneca *Epiſt*.117. Proinde Gentiles maluerunt in Dei cultu errare, quam Numine aliquo carere. Evidens quidem animi notio eſt, *Deus eſt*, ſed non perinde evidentiam habent illa, Deus eſt tantum unus, & non plures: Deus non eſt aliquid viſibile, non cœlum, non Sol, non Luna; Deus eſt opifex mundi. Itaque iſtarum perceptionem cum temporis ſucceſſu videmus apud gentes plurimas interiviſſe, ut populo ſuo voluerit Deus expreſſis legibus proponere ſumma Religionis capita, & pœnarum acerbitate munire adverſum prævaricatores, *Exodi* 20. 1. 2. 3. *ſeqq*. Inſuper commendare voluit publicâ in cœtibus commonefactione per Sabbatha, ut modis omnibus honorem ſibi debitum vindicaret, ne quid ei exempla magna & mala detraherent, *Exodi* 16.23.25.26.29 Pagani arripuerunt velut anſam calumniandi ſacra Judaica. *Rutilius Numatianus*: Septima quæque dies turpi damnata veterno, Tanquam laſſati mollis imago Dei, *lib*.1. *Itinerarii*. Attamen fruſtrà illi reprehendebant ferias Deo ſacras quandoquidem magnæ utilitatis erat, celebrare unanimi conſenſu publicos conventus, ubi vera colendi Deum ratio traderetur, & religionis concordiſſima unitas firmaretur, ne peregrinis opinionibus maculata damnum caperent ſacra ab ipſo Deo promulgata, quibus validè adverſabantur cœtus ſolennes Paganorum, impie-

pietatis & improbitatis scholæ fœdissimæ, *Psam.* 96.5. Plura diximus *libro de Creatione Exercitat. XXIV. & XXV.*

VIII. Quæritur hîc: (1.) *An Princeps debeat sacrorum curam exercere?* Respondeo: Negant Pontificii, atque omnem sacrorum curam, quocunque modo exerceri illa potest, Regibus ereptam, uni Papæ Romano tribuunt, Bellarminus *libro de Laicis cap.* 17. Sanderus *lib. 2. de visibili Monarchia cap.* 23. Becanus *in Manuali controvers. lib. 5. cap.* 19. Vernulejus *lib.* 1. *Institutionum Politicarum Tit.* 11. *cap.* 2. Wilhelmus ab Effern *in Manuali Politico pag.* 86 *seqq.* Christof. Besoldus *in Synopsi Politica lib.* 1. *cap.* 2. *dist.* 4. *seqq.* Jacobus Oranus *in Principe Christiano lib.* 1. *cap.* 19. 20. Nos verò affirmamus: (1.) Quia Reges & Principes jubentur esse custodes Legis divinæ, ejus verò pars maxima est Tabula prior de cultu Dei & sacrorum observatione, *Deut.* 17. 18. *Josue* 1. 7. 2. *Regum* 11. 12. 2. *Chronic.* 23. 11 (2.) Quia Principes & Reges vocantur pastores ac Patres subditorum, Vicarii Dei, *Exodi* 21. 6. 1. *Samuel.* 12. 15. *Psalm.* 82. 2. *Esa.* 44. 28. Nimirum eam ob causam, ut diligentem sacrorum & Ecclesiæ curam habere debeant. Quamobrem etiam sunt nutricii Ecclesiæ, *Esaia.* 49. 23. Excipit Becanus: Illud Psalm. 80. 2. *Ego dixi, Dii estis*, non de solis Regibus, verum de Prophetis quoque intelligendum esse, monet Christus, *Johann.* 10. 34. Et alterum, *erunt Reges nutricii tui*, est vaticinium de statu Ecclesiæ in Testamento Novo, ubi Reges converti debebant ad veram doctrinam, nec tàm primates in Ecclesiâ futuri, quàm potius filii & subjecti, qui vultu interram demisso adorent Ecclesiam. Cæterum Nutricii Ecclesiæ fuerunt Apostoli eorumque successores, qui gentes omnes prædicando converterunt ad Christum, *l. d. num.* 50. & 57. Respondeo: Verba Davidis omninò de Regibus valent sensu proprio, & vocantur Dii, *quoniam ad illos sermo Dei factum est*, dicente Christo, Johan. 10. 35. Poterit equidem hoc affirmari de omnibus illis quos modo quocunque afflat Deus, hoc tamen loco rectè λόγος interpretabimur *de mandato*, quomodo דבר nunc λόγον nunc πρόσταγμα vertunt Alexandrini 1. *Chronic.* 26. 32. Reges ergò Dii sunt, quoniam à Deo mandatum acceperunt judicandi populum, 2 *Chronic.* 12. 11. *cap.* 19. 6. Populum inquam, ut comprehendantur unà ministri sacrorum, *Roman.* 13. 1. 2. Porrò de verbis Esaiæ notetur, prædici Regum conversionem ad Ecclesiam, ità ut eam insimul foveant, curent, ornentque. Id verò non poterit esse, nisi primatum in Ecclesiâ obtineant, id est, curam supremam habeant rerum illarum, quæ secundum verbi Dei præscriptum in sacris publicis geruntur. (3.) Quia idem fecerunt Principes & Reges pietatis studio celebres in Veteri Testamento, David, 2. *Samuel.* 7. 2. Josaphat, 2. *Chronicor.* 17. 7. *seq.* Ezechias, 2. *Chronic.* 30. 22 Josias, 2. *Chronic.* 34. 3. 4. 2. *Regum* 22. 8. *seq.* Nehemias, *Nehem.* 13. 10. *seqq.* Excipit *Becanus*: Reges isti omnes non exercuerunt judicium discretivum in sacris negociis, verum credendo Sacerdotibus ad horum arbitrium faciebant ea quæ debebant. *Respondeo*: Atqui jubentur etiam habere judicium discretivum, *Deut.* 17. 19. adeoque Becanus fingit, Reges pios in solo judicio Sacerdotum acquievisse. Certè fides quæ Deo pios omnes commendat, non est merus assensus secundum illa quæ alius nobis annunciat,

verum deliberata notitia secundum illa quæ Deus in literis sacris proponit, *Psalm.* 1.1. 2. *Psalm.* 72. 1. 2. *seqq. Habacuc.*2.4. *Johan.*4.28. *Actor.* 17. 11. *Roman.*4. 3.10.17. Satis docet experientia, Reges eos qui Sacerdotum dictis assensum præbuerunt, sæpius circumventos, felicitate suâ excidisse, quandò non semper tuta fides est iis, qui se præcones doctrinarum sacrarum esse jactant, *Esaiæ* 59.10. *Ierem.*6. 13.14.*cap.*18.18. *Ezechiel.* 22.26. *Hoseæ* 9.8. (4.) Quia est expressum mandatum Dei: Cum Rex sedebit in solio regni sui, describet sibi exemplum Legis hujus, eritque penes eum atque leget in eo omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, observare omnia verba Legis hujus, & statuta ista faciendo ea, *Deuter.* 17.18.19. Ergò legere debebat eam imprimis ob causam, ut veritatem cognosceret, & de erroribus judicare posset. (5.) Quia cum Sacerdote summo in exercendâ curâ sacrorum manifesto præcepto conjungitur supremus Judex ordinis civilis & Princeps in Senatu magno, uterque Regum imperio obnoxius, *Deut.* 17. 12. 2. *Chronic.* 19.8.9. *seq.* Excipiunt: Rex Josaphat non consecravit Levitas & sacerdotes, verum applicavit eos ad munus sacrum, neque prætereà arrogavit sibi in negotiis sacris quicquam, utpote quarum curam habebat Amarias Pontifex, Becanus *l. d. num.* 17. *seqq.* Bonfrerius *commentariis ad Deuteronomium pag.* 973. Respondeo: Consecrare est actus ministerialis, quem Regibus imponere nolumus, at cum Rex Levitas officio admovet, legibus instruit, *vers.* 8. 9. 10. facit, quod Regis interest, ut faciat vi supre-matus ejus quem habet in negocio Reli-gionis. Neque Pontifex absolutè h[...] bat curam sacrorum, erat enim Regis [...] tus, ejusq; vicarius in rebus sacris, qu[...] do Regis subditus ejusque vicarius i[...] bus civilibus erat Zebadias Judex [...] mus. Constat ex iis, quæ dicemus [...] *cap.* 4. *dist.* 1. ubi est de negocio inter[...] monem Regem & Abiatharem Sac[...] tem oborto. (6.) Quia Moses Prince[...] Legislator supremam curam sacroru[...] populo Dei usque exercuit, Legis ta[...] promulgando, Aharonem & Sacerdo[...] munus sacrum applicando, statuta illi[...] scribendo, *Exodi* 20.1.2.*seqq.cap.*28.1[...] Atqui ille se Regem vocat, *Deuteron.*[...]

IX. Instat Becanus (1.) Regium j[...] tum describitur, *Deuteron.* 17.14.*seq*[...] qui in illo nihil continetur, quo sacr[...] cura commendatur. *Respondeo*: Ne[...] quod ibi Jus Regium describatur, ad[...] contextus iste hoc solum docet, quo[...] Rex in familiari conversatione sese g[...] debeat. Verum Jus Regis promul[...] tur, tunc cum populus à Regibus vol[...] gi, 1. *Samuel.* 8.10.11.*seqq.* Fallò roti[...] culcat Becanus *l. d. num.* 11. quod lo[...] describatur Jus tyrannorum. Refuta[...] *suprà lib.*1.*cap.*12.*dist.*1.*seq.* Cæterum [...] non dissimuletur, ut Rex velit curam [...] rum gerere, constat verbis manifestis, [...] 17.18. (2.) Rex Josaphat curam sacr[...] demandat Amariæ Sacerdoti, 2. Chr[...] 19.11. *Respondeo*: Demandat uti vicari[...] & ut Regi suo esset subjectus, neque [...] cum potestate summâ ageret. (3.) Judi[...] in negotio fidei adscribitur Sacerdot[...] non verò Principi aut Regi Deuter. 17[...] seq. Numeror. 27. 21. *Respondeo*: Neut[...] cus est Regibus adversus, imò ab u[...]

habent causæ suæ ingens præsidium. *Deuter.* 17. 8. 9. *seqq.* agitur de promiscuis litibus, & Judices minores, cum aliquid minus perspicue in forensibus & ceremonialibus Lex scripta proponeret, ad Parliamentum in populo Dei remittuntur, quod præter Sacerdotum summum in sacris præfectum habebat quoque Præsidem curiæ, qui pari cum potestate jus dicebat in foro, uti constat ex *Deuter.* 17. 12. 2. *Chronic.* 19. 11. Et hic Præses uterque erat in potestate Regis. *Numeror.* 27. 21. agitur de Oraculo apud Sacerdotem inspiciendo. Nihil hic addebant Sacerdotes nisi ministerium externum, quod Oraculum è sacrario prolatum luci exponerent. Reges ipsi inspiciebant, & Dei responsum percipiebant inde. Neque de rebus fidei in Urim perquirebant, sed de belli eventis, familiarum obsoletarum discrimine, 2. *Samuel.* 23. 9. 10. 11. *cap.* 30. 6. 7. *Nehem.* ie 7. 65. (4.) Christus uni Petro velut capiti summo, imposuit curam Ecclesiæ & sacrorum, dando ei claves regni cœlorum, & construendo super eum Ecclesiam, ut non prævaleant inferorum portæ, Matth. 16. 18. 19. jubendo ut pascere vellet oves atque agnos, Johan. 21. 22. *Respondeo*: Neutiquam describitur primatus aliquis, unde Petrus vel præ Regibus, vel præ aliis Apostolis emineat. Dicebat Servator, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Videlicet, Petrus futurus erat, qui post Servatoris abitum in cælos, Spiritus Sancti gratiâ & præsente animo fultus, concionibus suis primus ingentem hominum turbam ad Religionem novam amplectendam adducere debebat, *Actor.* 2. 14. *seqq. cap.* 3. 2. *seqq. cap.* 10. *seqq.* Hoc erat fundamenta Ecclesiæ jacere, & Servatorem mundi cum successu bono commendare. Porrò cum dicit, *tibi tabo claves regni cœlorum*, hoc vult, constituo te Apostolum meum & novæ Religionis præconem. Ejusce generis precones erant Apostoli omnes, *Matth.* 28. 30. Claves cæli pariter datæ sunt omnibus, unde quoque participant omnes Ecclesiæ ministri, quod ad sacri muneris perfectionem attinet, *Matth.* 18. 18. 1. *Corinth.* 4. 11. *cap.* 5. 19. 20. Reponit *Bellarminus*: Claves notant primatum & supremam potestatem in Ecclesiâ, quomodò *Esaiæ* 22. 22. legitur, *velle Deum imponere clavem domus Davidis humero ejus*, id est, Sobnam Pontificem, improbum removere, & loco ejus restituere Eliakimum, virum optimum. *Respondeo*: Negatur, quod claves semper notent suprematum in Ecclesiâ. Dico semper, nam aliquandò notat supremam potestatem, uti *Apocal.* 3. 7. ubi de ipso Ecclesiæ domino est sermo. Cum de ministris agitur, de notat ordinarium munus prædicandi & docendi, *Lucæ* 11. 52. Petrus erat minister, deditque ei, & cum eo Apostolis omnibus, claves ad cælum Ecclesiæ dominus, ut in Christi nomine solvant & ligent, non verò ut per injuriam & malitiam excludant cives, intromittant alienos, utque spolient quos velint, & causarum injustarum patronos adsciscendo, spoliis eos ditent. Potestas ergò hic est, sed qualis servorum, qualis mandatariorum in negociis esse solet, potestas inquam limitati juris non verò propriæ voluntatis. Apud Esaiam est potestas vicaria, eaque civilis. Falluntur Bellarminus, Baronius, Torniellus Suarez, Boxius, Sanderus, Scioppius, Menochius, & in eâdem scholâ Hildebrandistæ alii, qui contendunt Sobnam Pontificem fuisse. Atqui erat præfectus domus regiæ,

glæ five Magister palatii, vir amplissimæ dignitatis, 2. *Regum*. 18. *Esaiæ* 36. 22. perinde uti Josephus erat in Egypto, *Genes.* 41. 40. Achisar apud Salomonem Regem, 1. *Regum*. 4. 6. Rabadias apud Josaphatum, 2. *Paral*. 19. 2. Nobiscum consentiunt Tostadus *commentariis ad* 2. *Regum* 18. *quæst.* 33. Salianus *in Annalibus sacris*, Franciscus Forerius & Ariæ-Montanus commentariis *ad Esaiæ* 22. *c.* De aulicis sermo est, & quo functus sit quisque officio, additur ἐπίτροπον τῆς βασιλείας verissimè appellat Josephus. Res ipsa etiam ad quam obeundam à Rege mittuntur hi viri, in castra ad Assyrios proficiscendo & pacis leges sanciendo, arguit, proceres aulæ fuisse, non verò sacerdotes. Denique pascere oves non est peculiare donatum Petro, sed omnibus æque competit Apostolis, quos toto mundo gentes docere atque baptisare jussit Servator, *Matth*. 28. 19. *Marci* 16. 15. *Actor*. 20. 28. 1. *Petri* 1. 2. Singulariter autem cum Petro verbis istis egit, ut abnegatorem Magistri sui & desertorem functionis sacræ in pristinum locum reponeret, *Matth*. 26. 70. *seqq*. Sed & Consequentia est falsa: Authoritas enim, si qua foret ejusmodi, Petro data, falsò ad Papam Romanum devolvitur, qui nec Petrus nec Petri successor est. (5.) Paulus describendo functiones sacras, nullum Regibus adscribit munus vel locum, Ephes. 4. 11. *Respondeo*: Describit Paulus quoscunque sacrorum ministros, atqui Reges in horum numero non esse, constat. Hoc verò etiam constat, ministros sacrorum esse obnoxios Regum, *Roman*. 13. 13. 1. 2. *seqq*. (6.) Apostoli obortas lites non requisito prius magistratu composuerunt, & contumaces puniverunt, *Actor* 5. 3. *cap*. 15. 6. *seqq*. 1. *Timoth*. 5. 19. *seqq*. Respondeo: Tunc cum Ecclesia constabat privatis cœtibus, factum est ut Apostoli domesticas lites aut ipsi componere, aut virorum bonorum arbitrio deferendas curare studerent, 2. *Corinth*. 6. 1. & *seq*. Et tamen illis ipsis temporibus disceptabant Apostoli negocium Religionis apud Judices publicos, Regum vicarios eosque infideles, uti Paulus fecit coram Felice & Festo præsidibus Judææ, à quibus etiam provocavit ad Cæsarem velut supremum Judicem. Neque verò aliud negocium erat quàm Religionis, *Actor*. 24. 3. *seqq*. *cap*. 25. 1. 2. *seq*. 2. *Timoth*. 4. 16. 17. 18. (7.) Principes sunt oves, neque igitur potestatem exercere poterunt adversus pastores suos, sacrorum ministros. *Respondeo*: Quod curam rerum sacrarum attinet, Reges non solùm oves, verum etiam nutricii Ecclesiæ sunt, *Esaiæ* 64. 23. Adeoque quamvis ipsi non debent oves pascere, ovibus tamen pastores idoneos addent, utque illis dent commodum pabulum, summâ cura providebunt. Propterea Reges impii, qui populum fecerunt peccare, & calamitatum publicarum authores exstiterunt, toties increpantur, ut intelligatur, nequaquam ipsos hoc impunè laturos in judicio divino. Non minus ergò Reges quàm ministri verbi sunt pastores, atque de sacris ad populum promulgatis Deo reddent rationem, quamvis non eodem modo, ubi sacra corruperunt, *illi* falsos cultus imperando, *hi* seducendo verbis & exemplis. (8.) Reges non possunt sacrificare, prædicare sacramenta administrare, 2. *Regum* 15. 10. *Matth*. 28. 19. Ergò multò minus possunt sacerdotes officio suo admovere. *Respondeo*: Consequentia negamus. Quod prius non debeant facere, constat

quia

quia non sunt ministri verbi, non sunt, inquam, sacerdotes. Quod posterius facere debeant, constat, quia sunt Reges, Nutricii Ecclesiæ. (9.) Principes non habent judicium discretivum in rebus fidei, quia non illis, sed Apostolis & verbi ministris promittitur Spiritus Sanctus, ut eos ducat in omnem veritatem, Johan. 14. 16. cap. 16. 13. *Respondeo*: Tam Princeps sacris literis imbutus potest de summâ fidei judicium formare, quàm minister verbi divini, *Josua* 1. 7. *Matth.* 7. 15. Uti enim hic discit ex literis sacris, indidem ille discat, exponatque literas sacras cum fide, non etiam cum authoritate & præjudicio. Ratio falsa est, quandò præceptum illud est personale, & Apostolis promittitur Spiritus Sancti immediata assistentia. De omnibus verò dictum est illud: *Erunt omnes docti à Deo*, Johan. 6. 45. Hæc omninò ad Reges quoque pertinent.

X. Besoldus scribit: *De institutione Religionis sciendum est, quod ea non pertineat ad magistratum civilem, sed is solum sit defensor & exsecutor Ecclesiæ, ejusque legitimi Capitis, decretorum. Subditi autem meritò ab omni innovatione abhorrere, & Religionem eam verissimam censere debent, quæ convenit cum literis sacris, institutis item ac traditionibus Ecclesiæ Catholicæ, & ità antiquissima existit.*] lib. 2. doctrinæ Politicæ cap. 2. dist. 7. *Respondeo*: Verum est, quod magistratus non debeat novam religionem introducere sed & hoc verum est, quod abusus, quicunque in Religionis negocio per incuriam Doctorum irrepserunt, debeat abolere, quandò constat, esse eos literis sacris contrarios Falsum est, *quod Princeps tantum sit exsecutor Ecclesiæ ejusque legitimi Capitis decretorum.* Certè debet considerare etiam quæ exsequitur, & quòd Papa non sit Caput Ecclesiæ diximus *suprà cap. 1. dist. 12. & 13.*

XI. Porrò falsum est, *quod Papistæ sint Ecclesia Catholica.* Namque ab Ecclesiæ priscæ institutis plurimùm defecerunt, invehendo cultum sanctorum, purgatorium, opera satisfactoria, delectum ciborum, vota monastica, Clericorum scortationes, calicis sacri abrogationem, quæ omnia cum Ecclesiâ antiquâ pugnant, uti Papistarum integerrimus Georgius Cassander *in Consultatione de Religionis negocio ad Ferdinandum Imperatorem luculenter ostendit.*

XII. Quæritur: (2.) *An Princeps debeat sacrorum illorum, quæ ipse non approbat, exercitium permittere inter subditos suos?* Respondeo: Contendunt Papistæ, quod unam Religionis formulam à Pontifice Romano descriptam Princeps approbare debeat, & ad eandem observandam vi cogere subditos suos, Wilhelmus ab Effern *lib. 2. Manualis Politici pag. 129. seqq.* Justus Lipsius *lib. 4. doctrinæ Politicæ cap. 2. 3.* Petrus Thyræus *dissertatione de libertate fidei*, Bellarminus *libro de Laicis cap.* 17. 21. Joh. Stephanus Menochius *lib. 2. Hieropoliticorum cap. 3.* Antonius Petilius *lib. 3. Exarchiæ cap. 12.* Adam Contzenus *lib. 9. doctrinæ civilis cap. 10. seqq.* Vernulejus *lib. 1. Institut. Politicarum Tit. 3. cap. 2. & Tit. 11. cap. 6. 7.* Nos verò affirmamus, & pro libero cultus sacri exercitio adversus animorum turbatores, proferimus rationes istas: (1.) Quia Principes non habent dominium in animos subditorum, verum Deus uni sibi reservavit illud 2. *Corinth.* 1. 24. Regerit *Effern*: Quanquam à solo Deo pendeat arbitrii liberi usus, certas tamen leges constituit ille secundùm

quas

quas credi oportet, adeoque meritò puniuntur, qui contraveniunt. *Respondeo*: Atqui legibus illis, quas Deus sancivit, ut secundùm eas credamus, non est conditio adjecta, ut violentis modis obtrudantur. Multò aliter sonat illud. *Dic eis & liberavisti animam tuam*, Ezechiel 3. 4. 5. Quamobrem Deus ipse toleravit in populo suo quoscunque peregrinos qui tamen non amplectebantur omnes ritus Mosaicæ Legis, sufficiebat enim quod Deum unum colerent, & Leges Nohæ datas observarent, *Exodi* 12. 12. 45. 48. 49. & multi tales incircumcisi provixerunt in Judæâ, sed certis adstricti regulis ne possent latius evagari. Postquam Macedones, deinde Romani summo imperio tenuerunt Judæam, aut Iudæa Reges habuit obnoxios Romanis, ægrè servatâ sibi sacrorum libertate, jurisdictionem in alienigenas secum habitantes amiserunt, ideoque eos intrà illas regulas cohercere non poterant, instituerunt Sapientes, ut Judæi planè alienigenarum commercia evitarent, quia vel idolorum cultores erant, vel certè præcepta Nohæ haut putabantur servare. Et hoc perpetuò secuti essent Apostoli etiam, neque illum non Iudæum gente, aut proselytum Legis admisissent ad suam familiaritatem, nisi Deus Petro ostendisset, id fieri sibi placere. Quandò enim post Christum missum nolebat Deus aliam esse viam ad salutem, quàm per ejus cognitionem, ideò Petrum jussit adire Cornelium Centurionem, qui primus è gentilibus ad religionem Christianam sese applicuit, ejusque hospitio & convivio frui, ut tanto exemplo constaret Apostolos à Deo solutos esse præceptis illis Sapientum, de vitandâ familiaritate cum incircumcisis, *Actor.* 10. 1. 2. *seqq.* De Nahamano proselyto multa diximus *lib.* 1. *Antiquitatum Romanarum cap.* 8. *num.* 4. (2.) Quia David tot gentium sacris profanis usque addictarum victor, patria sacra nunquam eripuit victis, contentus quod præstarent subjectionem, & quod pacis Leges servarent. Magni hujus Regis clarissimas victorias prænunciat Bileamus vates, *Numer.* 24. 17. Multis præliis attrivit Moabitas, 2. *Samuel*, 9. 2. 1. *Chronicor.* 19. 2. *Psalm.* 60. 10. Sequitur, *& destruet omnes illos, qui pone sunt.* Videlicet בני שת adverbialiter exponit Tremellius, secutus Rabbinum Hiscuni. *Qui pone sunt*, id est, Ammonitas, Philistinos, Syros Euphratis accolas, Idumæos. Omnes gentes illas à tergo sitas habebat Bileamus, tunc cum converso ad Israëlitarum castra ore vaticinia proferebat, ac Davidi Hæbræorum Regi potentissimo subjectas fore prædicebat. De Ammonitis vide 2. *Samuel.* 11. 1. *cap.* 12. 26. *seq.* 1. *Chron.* 20. 15. *cap.* 21. 1. 2. 3. De Syris est 2. *Samuel.* 8. 3. *seqq. cap.* 10. 6. *seqq.* 1. *Chron.* 19. 3. *seq. cap.* 20. 6. *seqq. Psalm.* 60. 2. 1. *Regum* 11. 23. 24. 25. De Idumæis est 2. *Samuel.* 8. 14. 1. *Chronic.* 19. 12. 13. *Psalm.* 60. 2. 10. De Philistinis est 2. *Samuel.* 8. 3. *seqq. cap.* 10. 6. *seq.* 1. *Chronic.* 19. 3. *seq. cap.* 20. 6. *seq. Psalm.* 60. 2. Ingens tractus maritimus est in Phœniciâ, quem Plinius *lib.* 36. *cap.* 26. vocat Cindeviam, [illegible] Syriacâ formâ, ut ד per apocopen abradatur à דוד, [illegible] δαβίδ, namque ille primus hanc regionem Philistinis ereptam sui juris fecit, 2. *Samuel.* 5. 25. Itaque dicitur, quod David acceperit frenum Amgaris è manu Philistinorum. 2. *Samuel.* 8. 1. Frenum Amgaris, uti notant Tremellius, Grotius, Scholiastæ Vinarienses, sunt claustra montis Ammæ, cui imposita erat urbs Cath, quæ Polybio

bio Gitta eſt, & vide 1. *Chronic.* 18. 1. nec non *ſuprà lib. 1. cap. ult. diſt.* 8. Amgaram montem in Phœniciâ collocat Plinius *lib.* 5. *cap.* 13. (3.) Quia religio vera eſt cultus Dei ſpontaneus, adeoque ſolum illud acceptum Deo eſt ſacrificium, quod lætis animis liberis votis offerimus, *Pſalm.* 110. 3. Ergò non debet quiſquam ad hæc talia facienda cogi. (4.) Quia cultus Dei ſolum perſuadetur monendo & docendo. Ergò non poteſt violentis modis in animos hominum introduci. (5.) quia Chriſtus & Apoſtoli propagaverunt religionem veram, non armis, minis, aculeis, ſed prædicando, adhortando, ſuadendo. Cum quis nollet meliora diſcere, eum conſcientiæ ſuæ permiſerunt, *Actor.* 13. 46 47. 48. (6.) Quia Servator in Religionis diverſæ negocio imperavit manſuetudinem, & Apoſtolos ſuos ob intempeſtivi zeli votum ad verſum Cuthæos graviter increpuit, *Lucæ* 9. 54. 55.

XIII. Inſtat *Vernulejus*: (1.) Nulla ſocietas inter eos poteſt eſſe, qui diverſas Religiones ſectantur, itaque oriuntur ſeditiones, quandò potentiſſimus eſt religionis affectus. *Reſpondeo*: Falſum eſt, ſocietatem non poſſe eſſe inter eos, qui ſacris diverſis utuntur. Quod turbæ oriuntur, eſt à religioſorum ambitione & improborum ſacerdotum furore, à religionis diverſitate non eſt, quandò Hebræis olim cum Aſiæ & Africæ populis ἐν ταῖς διασποραῖς optimè conveniebat *Actor.* 2. 9. 10. 11. & hodienum ſub imperiis Turcorum, Perſarum, Indorum, Nigritarum in mutuâ pace degunt Saraceni, Chriſtiani, Judæi, Pagani multiplicibus ſectis diſtracti. (2.) Princeps non caret periculo, quandò uni ſectæ fävet, alteram odio habet, indè oriuntur inſidiæ adverſus vitam famamq; ejus. *Reſpondeo*: Ubi per leges & pacta eſt mutua tolerantia, ibi Princeps non verebitur inſeſas vel offenſas. Nemo Sultanorū Serifiorum, Mogolum, nemo Germaniæ Cæſarum, nemo Poloniæ Regū ob tolerata ſacra diverſa unquam occiſus eſt: Galliæ verò Reges occiſi ſunt ab illis, quibus impensè favebant, ſacrorum miniſtris, æterno religioſorum opprobrio. (3.) Romani veteres habebant legem: Privatim nemo Deos colito, neque novos, ſed publicè adſcitos habeto, Dion Caſſius lib. 52. hiſtor. *Reſpondeo*: Lex dicta eſt adverſum conventicula privata, quæ meritò ſuſpecta fuerunt ubique gentium. Publicos ob ſacra diverſa conventus non vetuerunt, imo promoverunt, dum populis victis prudenti conſilio ſacra patria legeſque majorum relinquebant. Auguſtus ipſe pro ſe & Imperio Romano pecuniâ ſuâ victimas offerre juſſit Ebræorum Deo. Is Princeps, qui conſtanter per vitam omnem averſatus eſt ceremonias peregrinas. Et factum laudabat Agrippa Rex Judæorum in eâ urbe, ubi recens adhuc omnibus hærebat memoria Octavii Principis, & ad Cajum Cæſarem Oratione, quàm Philo recitat *in ſua pro Judæis Alexandrinis legatione.* Atque ipſi Pantheon in honorem Deorum omnium exſtruebant, ut dixi *in Recenſu Antiquitatum Romanarum lib.* 1. *cap.* 8. *diſt.* 6. Ità etiam in populo Dei factum eſt, ubi Deus præſcripſerat in templo offerri ſacrificia, attamen Reges multi, quorum pietas laudatur, concedebant, ut vulgus in excelſis Deo vero ſacra faceret. 1. *Regum.* 3. 2. *cap.* 22. 44. 2. *Regum* 12. 3. *cap.* 14. 4. 2. *Chronic.* 33. 17. (4.) Hebræorum opes florentes evertebantur & Romanis ſubjiciebantur, poſtquam ſectæ Phariſæorum, Eſſenorum,

Excipiunt: Apostoli temporibus illis, quandò Reges infideles erant, monebant subditos quoscunq;, ut imperio horum parerent libentes, ne prædicatio Evangelii impediretur, nunc verò postquam Evangelii prædicatio orbem pervasit, Apostolica præcepta valebunt quoque de magistratibus Ecclesiasticis, quales sunt Papæ & horum delegati, à quibus in Clericos imperium exercetur, Bellarminus *libro de Clericis cap.* 30 Cornelius à Lapide *commentariis in Epistolam ad Romanos cap.* 13. *num.* 164. Respondeo: Nulli sunt magistratus Ecclesiastici, nisi quantum illi sunt Regum administratores, & horum potestati obnoxii. De Regibus unicè valent dicta Apostolorum, uti contextus evincit. Paulus notat magistratum illum qui jus gladii habet, quique tributa exigit, *vers.* 5. 6. 7. Petrus magistratum illum suum, cui omnes homines subjicit, vocat βασιλεῖς & ἡγεμόνας. Hi Reges sunt, hi Principes; de Papis & horum delegatis nusquam literarum sacrarum occurrit. (2. Quia Reges Veteris Testamenti in potestate suâ continebant populi ejus Clericos, ac puniebant, quando crimen aliquod publicum designaverant, exemplo Salomonis, qui Sacerdotem Abiatharem perduellionis reum ab officio removit, Zadokum loco ejus restituit, 1. *Regum* 2. 27. 35. Excipiunt: Si regiâ authoritate Salomon deposuit Abiatharem, malè fecit, uti Saulus cum occidebat Abimelechum, 1. Samuel. 22. 17. Becanus *libro de primatu contrà Regem Angliæ, pag.* 66. 67. Respondeo: Iniquissimè dictum! Nihil peccaverat Abimelechus, itaque innocens periit: Abiathar verò inter complices rebellionis deprehensus & perversè molestus Regi legitimo, justo Regis pronunciato capitis supplicium incurrebat, sed pro gratiâ erat, vitam donavisse nocenti, & relegationis pœnâ mitiori contentum esse. *Pergunt*: Salomonis factum narratur, & non approbatur: nec enim videtur mortis pœnâ ideò dignus esse Adonias, quod Abisag Sunamitidem sibi ille conjugem posceret, Bellarminus *responso ad Barclajum cap.* 15. Respondeo: Omninò approbat Scriptura factum Regis, cum Pontificis iniquam conspirationem adversus Regem damnat, 1. *Regum* 2. 22. Tale facinus merebatur supplicium condignum. Nec aliter est de turbatore Adoniâ, quem Regis gratia absolverat semel, atqui redibat ille ad vomitum, petendo Abisagam conjugem, ut turbas novas Reginæ maritus dare posset, eodemque pertinent manifesta verba ejus coram Bathlebâ matre Reginâ prolata, 2. *Regum* 2. 15. Corrigenda sunt illa, quæ Salmasius scribit: *Salomon cum fratrem suum natu majorem interfici mandavit, parricidii scelere maculatus est*, in defensione Regiâ cap. 4. Erat certè Adonias perduellis, neque enim ferebat mos Ebræorum, ut Regum sive conjuges sive pellices viduæ sociarentur privato. Docent Vatablus *in notis*, & Scickardus *libro de Jure Regio Hebræorum pag.* 174. *seq.* Hanc ergò cupiens Adonias, jus regni ad se pertinere novis molitionibus ostendere vult, tentatque animum Salomonis, ut si metu juvenili hoc ei concessisset, auderet mox majora: mulierem autem aggreditur, ut regnandi ignaram, ità amoribus facilem. Notant Rabbinus Kimhi *commentario ad h. l.* & Theodoretus *quæst.* 7. Addunt: Non poterat Laicus Princeps jure communi Sacerdotem deponere, itaque divina intervenit ordinatio, cujus exsecutor Salomon fuit, Bellarminus *lib.* 2. *de Pontifice Romano*

cap. 29. Cornelius à Lapide *commentariis ad. h. l. pag.* 109. Salianus *Tomo* 3. *Annalium Veteris Testam. pag.* 745. 746. Bonfrerius, *commentario ad Deuteronomium pag.* 973. Johan. Pineda *lib.* 6. *de rebus Salomonis cap.* 15. *num.* 5. Respondeo: Rex poterat de jure communi Pontifices privare officio, etiam morte mulctare, ubi facinus exsilio vel morte dignum patraverant. Ex officio inquam; Rex enim Dominus erat, Sacerdos verò subditus & Regis servus, uti non semel prolatis Scripturæ tabulis firmavimus, & exempla ordinaria prostant, quod Reges dederint leges & præcepta Sacerdotibus, ne salus publica labefactaretur ipsorum vel incuriâ vel temeritate, 2. *Regum.* 12. 23. 1. *Chron.* 23. 24. 25. 2. *Chron.* 17. 19. *cap.* 29. 30. *cap.* 34. 35. Verbo: Uti Rex puniebat Abiatharem, Adoniam, Joabum, Simei, non verò uti Propheta, cujus nòn est pœnam irrogare delinquentibus. (3.) Quia Sacerdotes & Levitæ erant sub imperio Mosis Principis, à quo jure accipiebant, & in judicium evocati rationem factorum suorum coram illo reddebant, *Exodi* 28. 1. 2 *seq. cap.* 29. 1. 2 *seq. cap.* 32. 21. 22. Excipiunt: Moses non tàm Rex erat, quàm Pontifex, itaq; Levitas & Sacerdotes imperio suo regebat. Constat inde, quia dicitur, *Moses & Aharon inter sacerdotes ejus*, Psalm. 99. 6. & quia non unum sacrificium Deo obtulit, *Exodi* 19. 11. *Levitic.* 8. 15. 19. Genebrardus *notis ad Psalmos p.* 525. Franciscus Bozius *de temporali potestate Papæ lib.* 3. *cap.* 12. *lib.* 5. *cap.* 10. Respondeo: Nequaquam erat Pontifex, sed Princeps & Legislator erat, *Exodi* 3. 10. *Deut.* 33. 5. atq; idê comprobat Alphonsus Tostadus *commentariis ad c.* 32. *Exodi quæst.* 33. Locus Psalmi commodè vertitur, *Moses & Aharon cum sacerdotibus ejus.* Quod sacrificium obtulit, causa est, quoniam Propheta erat & verò Pontifex quidem offerebat sacrificia, nec minus Prophetæ offerebant ista, ut patet exemplo Samuelis, 1. *Samuel* 7. 9. *cap.* 9. 19. *cap.* 16. 2. & Heliæ, 1. *Regum* 19. 23. *seqq.* Falso narrat Sulpicius Severus, *quod Samuel functus fuerit sacerdotio*, lib. 1. historiæ sacræ cap. 64. Atqui Levites erat, Judex, Propheta, non verò sacerdos, imò ne quidem sacerdotali familiâ oriundus erat, 1. *Samuel.* 1. 1. 1. *Chronic.* 6. 28. (4.) Quia Christus in Novo Testamento dicebat ad Clericos populi Judaici, date Cæsari quæ sunt Cæsaris, *Matth.* 22. 21. Pharisæi certè erant Clerici, & verò Servator jubebat eos Cæsaris imperio subjectos esse, tributumque dare, quod erat nota subjectionis, *Roman.* 13. 5. 6. 7. Pharisæorum acerrimi fuerunt eo tempore, quos Judas Gaulonites instituerat, ut quovis modo obtrectando, calumniarentur vel Herodis vel Cæsaris imperium, de quibus refert Josephus *lib.* 17. & 18. *Antiquitatum*, & adde *Lucæ* 13. 1. 2. 3. *Actor.* 5. 37. At quod legitima istorum imperia non repugnarent Legi divinæ, secus ac homines perditi sibi persuaserant, docebat eos Servator, & Regum jus confirmabat. Non verbis tantum, sed exemplo quoque. Quod enim Bozius, Carrerius, Scioppius, Bzovius, & alia Orbis Christiani purgamenta obtendunt, *Servatorem cum potestate regiâ egisse in his terris apud homines*, falsissimum est uti diximus *l.* 1. *cap.* XI. *dist.* 1. *seq.* (5.) Quia Servator solvit censum, *Matth.* 17. 27. Verba sunt, *εὑρήσεις στατῆρα, ἐκεῖνον λαβὼν δὸς αὐτοῖς ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ.* Controversia est, de quo tributo sonet. Ad capitationes à Romanis impositas referunt

Be-

Beza *in notatis h.l.pag.*81. Jansenius *in Concordia Evangelica cap.*69. Barradius *in Concordia Evangelica lib.*10.*cap.* 32. Alphonsus Salmeron *Tomo 6. Commentariorum Evangelicorum tract.*36. Emanuel Sà *in scholis ad h.l.pag.*346. Maldonatus & Ariæ-Montanus *commentariis ad h.l.* Richardus Montacutius *in Analectis historiæ Ecclesiasticæ pag.* 315. Julius Cæsar Bulengerus *lib.* 9. *de Imperatore Romano cap.*17. Thomas Carturigtus *in Harmonia Evangelica pag.*584. Cornelius à Lapide, Paræus, Hunnius *commentariis ad Matthæum pag.* 341. Vinarienses Scholiastæ *ad h.l.* Johannes Seldenus *lib.* 6. *de Jure naturali gentium & Hebræorum cap.* 18. Ergò, κῆνσος sunt capitationes, quomodò τέλη sunt vectigalia. Nec aliter Hieronymus & Beda *commentariis ad h. l.* Discedunt ab illis, & de tributo sacro exponunt Grotius *commentario h.l.pag.*308. Bellarminus *libro de Laicis cap.* 16. Justus Lipsius *lib.* 2. *de magnitudine Romana cap.*3. Baronius *Tomo* 1. *Annalium A.C.*33. *num.*30 Spondanus *in Epitoma Annalium pag.*25. Casaubonus. *Exercitat.* 15.*sect.* 19. Marcsius *Tomo* 1. *Theologiæ Elenchticæ pag.* 41.*seq.* Joh. Cameron *in Myrothecio Evangelico pag.* 55. Sholiastæ Batavi *ad h. l.* Guido Perpignanus *in Concordia Evangelica p.* 596. Sacrum hoc tributum dabatur, ut in templi usum acciperetur ad sartum tectumque conservandum illud adversus ruinas, *Exodi* 30.13.2.*Regum* 12.4. eodemque pertinere contendunt Hilarius & Chrysostomus *commentariis h. l.* Nos cum priore sententiâ affirmamus, quod pertineat ad Romanos. Primò, quia Evangelistæ verba sunt, οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη ἢ κῆνσον? Census erat tributum, quod Romani poscebant, *Matth.* 22. 21. Secundò, quia publicani vicatim obibant, & collectas indicabant: tributum sacrum verò quilibet mittebant ultrò ad templum Hierosolymitanum. Tertiò, quia huc nos ducunt verba alia Servatoris, *Reges terræ à quibus accipiunt?* Regalis census utique erat, non verò sacrum tributum. Dicat Lipsius: *Christi ipsa responsio nos à tributo Cæsariano abducit.* Imò non abducit, sed potius adducit, quia κῆνσον vocat, & quia addit βασιλεῖς τῆς γῆς. Neutrum ad tributum sacrum quadrat. Scribit Lyserus in Continuatione Harmoniæ pag. 1711. & ab illo describit Caspar Bertraminotis ad Matthæum pag. 491. *Sicli sacri dimidium, quod olim vi Legis* Exodi 30. 13. *pendebant Hebræi Domino pro templi & sacerdotum ejus refectione, Romani posteà domita sub Pompejo Judæa ad se transtulerunt, ut in fiscum inferretur, itaque Josephus* lib. 14. cap. 8. *refert, Judæos hoc tempore obnoxios factos esse tributo Romanorum.* At enim haut verosimile est, Romanos sacrum tributum abrogavisse templo, quod cum non dependebatur Principi, ad eorum res minimè pertinebat, nisi cum abolito templo sacrum denarium ad se pertraherent, Vespasiani tempore, Josephus *lib.*7. *de bello Judaico c.* 28. Tunc demum ità factum est, nō ante, & capitationes novas in ærarium Romanorum detulerunt, easq; imperiales. (6.) Quia Christus de subversâ Lege & turbis contrà Cæsarem datis accusatus, dicebat causâ in judicio, quod Cæsaris nomine exercebat Pilatus, *Mat.* 26.63. *seq. Marci* 15. 2.*seq.* Joh.19.10 *seq* Excipiunt: Judicium hoc non erat juris alicujus, sed facti, quandò placebat Deo tale quid permittere, ut coram Judice injusto fieret, Bellar-

larminus *libro de Clericis cap.* 30. Albertus Pighius *lib.* 5. *Hierarchia Ecclesiastica cap.* 3. Respondeo: Eo quidem sensu judicium hoc erat *facti*, quo constat, Servatorem innocentem fuisse delatum coram Judice: attamen quia comparere & potestatem à Deo concessam Judici agnoscere volebat Servator, certè judicium hoc erat *juris ordinarii*, ut mortis sententiam adversus se pronunciatam audiret ille, qui patri suo factus obediens, hominibus in se commendabat magnum obedientiæ ergà Reges exemplum, *Johan.* 13. 15. *Galat.* 4. 4. 5. *Philip.* 2. 1. 2. (7.) Quia Paulus coram Festo & Felice in Judæa Prætoribus causam dicebat, imò ob defensionem famæ vitæque suæ provocabat ad Cæsaris tribunale, *Actor.* 24. 3. 4. *seqq. cap.* 25. 1. 2. *seq.* Quandò enim videbat Paulus, quod porcius Festus volebat eum tradere Synedrio judicandum, & verò constabat, quod Synedrium haberet quandam in Judæos jurisdictionem, Paulus declinabat, judicium apud hostes, adeoque cum Jus civitatis validius multò esset quàm Jus Synedrii, non poterat invitus cogi, ut illos agnosceret judices, neque Festus eum poterat illis offerre. Erat enim contrà leges Romanas, civem Ramanum provincialibus hominibus judicandum tradere, & id nolentem, uti docet Plinius *lib.* 10. *Epist.* 97. Excipiunt: Paulus de facto agnoscebat Cæsarem superiorem non vero de jure. Causa hæc erat, quia opprimebatur calumniis Judæorum. Eos non poterat loco alio quàm apud Cæsarem accusare, Bellarminus *l. d.* Johannes Lorinus, Cornelius à Lapide *commentariis ad h. l. pag.* 238. Respondeo: De facto subjecit sese judicio Cæsaris, quoniam de jure Cæsarem superiorem habebat. Erat enim civis Romanus, *Actor.* 16. 37. *cap.* 22. 25. *cap.* 23. 11. Atqui jus civitatis Romanæ & provocatio ad Cæsarem civitatis, [illegible]s Dominum mutuo sese consepuebantur.

II. Instant *Bellarminus & Becanus*: (1.) Levitas Veteris Testam, ex omni populo delectos soli Aharoni Pontifici subjiciebat Deus, ut rebus sacris operam darent, & Regum imperiò nunquam obnoxii essent, Numeror. 3. 5. 6. seqq. *Respondeo*: De ministerio agitur, quod Levitæ exercebant circà res sacras, Pontifice velut Rectore supremo constituto, ut procuraret quæ videbat necessario requiri ad functiones illas sacratè obeundas. Cæterùm potestas nulla data est Pontifici, adeoque non minus Sacerdos summus, quàm sacerdotes minorum ordinum & Levitæ subjecti erant imperio Mosis, Regumque aliorum, uti dictum est suprà, atque exemplis confirmatum. (2.) Liberi sunt filii à subjectione Regum & tributo eis persolvendo, *Matth.* 17. 26. Annotat *Menochius*: Ex hoc testimonio satis apertè colligitur, Clericos qui sunt filii & domestici Dei, à solutione tributorum immunes esse debere, nam Christus solvit quidem didrachma, sed tamen addidit, *ne offendiculum demus illis*, non soluturus, si collectarum illarum scandalum abfuisset. Deinde si ipse & ejus discipuli Ecclesiæ Clerique primitiæ & tributi pensionem tenebantur, cur non pro omnibus solvit, sed tantum pro se & Petro? Adde, quod Christus asserit, *filios Regum esse liberos à tributo*, aut hoc nomine cunctos significans Apostolos, aut se ipsum tanquam æterni Regis, Dei, filium, quomodocunque autem hoc intellexerit, semper sequitur immunes esse debere Apostolos à tributis, eorumque successores, Cle-

Clericos. Nam si filii sunt Regis propterà liberi sunt, quia filii: si verò Christus Regis filius est, adhuc Apostoli sunt liberi, quia in benè constitutâ Republicâ Regumfamiliares & domestici à tributis solvendis eximuntur. Adde, Dominum non ex loculis ad suorum victum destinatis didrachma solvi voluisse, sed aliunde pecuniam paravisse, ut indicaret Ecclesiæ bona in Principum tributa vertenda non esse. Hæc ille *lib.2. Hieropoliticorum pag.* 201. Respondeo: Neutiquam ex hoc testimonio sequitur, Clericos ab obsequio ergà magistratum esse exemptos, invertimus verò, & ostendi potius ex hoc loco posse contendimus, debere Clericos esse magistratui subjectos. Dicit Menochius, *voluisse solvere, ideòne daret scandalum.* Bene ita voluit, quanquam enim esset dominus super omnia, tamen cum ultrò similis factus esset hominibus aliis, jura Dei propria non usurpavit, onera hominum communia subivit, ut documentum aliis præberet, non quidem arrogantiæ, sed humilitatis. Pergit, *cur non pro omnibus Apostolis solvit.* Atqui non aderant Apostoli reliqui, propterea neque solvebat pro illis. Instat, *Servator asserit, filios Regum, esse liberos à tributo.* Verum Servator, loquitur de filiis Regum per naturalem generationem talibus, quod porrò soli Christo per quandã imitationem applicari potest, de reliquis Apostolis non valet. Neque enim Servator pronunciat sese exemplum, quà Doctor erat, sed quâ erat filius Regis, uti exponit Augustinus *lib. 1. Evangel. quæst. num.* 23. Regis, intellige *Dei.* Et ne prærogativa ista esset irritamentum ad iniquitatem, præveniebat facto libero, ut quod sibi proprium esset, aliis non esset commune. Regerit, *domestici Regum perinde uti Regum filii sunt immunes à tributo.* Atqui ille, qui non pendit vectigalia, non statim est exemptus ab omni jurisdictione, cum etiam filii Regum, etiamsi tributum non pendant, Regis tamen dicto obedientes cogantur esse. Denique ait, *Servatorem aliunde pecuniam paravisse.* Quid tum? Solvit tamen censum, & solvendo fatebatur, se cum hominum more in his terris obvagabatur, Cæsaris subditum esse.

CAPUT QUINTUM.

De Jure circà Leges.

SUMMARIA.

1. *Definitio Legis.*
2. *Seculum aureum.*
3. *Lex Universalis.*
4. *Lex Particularis.*
5. *Ornamenta templi primi.*
6. *Princeps solutus legibus.*
7. *Leges Mosaicæ.*
8. *Explicatur caput XI. Apocalypseos.*

I. *Lex est regula actuum nostrorum quatenus ordinantur ad bonum.*] Leges condere Deorum est, Regum est, qui Deorum vice præsunt in his terris, *Proverb.* 8.14.15.16. Itaque veteres Legumlatores, ut Legibus suis authoritatem concilarent, & metu religionis obedientiam imperarent, hoc dixerunt, quod leges suas Deorum auspicio accepissent. Zoroastres legum suarum authorem denunciavit Orimasdam, id est, Solem Deorum maximum, שמש אור: Trismegistus legibus suis Mercurium, Charondas Thu-

Thurius Saturnum, Solon Palladem, Lycurgus Apollinem, Minos Cretensis Jovem, Numa Pompilius Egeriam Nympham legibus suis authores summos addiderunt, Cælius Rhodiginus *lib.* 10. *Antiq. Lectionum cap.*19. Machiavellus *lib.*1. *de Republ. cap.*11. Egeria verò erat ipsa Juno, sic dicta quod juvaret gravidas, ut facilè conceptum egererent, alias Lucina, εἰλείθυια, de quo vide Thomam Reinesium *lib.*1. *variarum Lectionum cap.*8. & adde nostras Antiquitates Romanas *lib.* 1. *cap.* 1. *dist.* 10. Saron veterum Gallorum Legislator cum Genio loci contulit, eumque consuluit, Stephanus Forcatulus *lib.*1. *de Philosophia Gallorum fol.*19.20. Eis omnibus major & certioris fidei Legislator Moses tabulas Dei manu exaratas in monte Sinai cœlitus accepit, *Exodi* 19 3. *cap.* 20.1.2. *seqq. cap.*24.16.17.18. *cap.* 32.15.16. *cap.*34.1.2. *seqq. Deuter.*18.18.19. *cap.*34.10. *Galat.* 2.19. (de utroque loco vide quæ nos scripsimus *in Auctariis ad historiam Ecclesiasticam Diatriba* 3. *dist.*18.19.) Et quod ætate superaverit Græcorũ magistratus omnes qui legibus scriptis Respublicas instituere voluerunt, contendit Josephus *libro adversus Appionem Alexandrinum*. Hujus exemplo Muhammedes impostor, Alcoranum à Deo Compositum, & ad se per Gabrielem Angelum cœlitus perlatum esse, juramento affirmabat, *Azoar.* 22. 49.50.51.53.55.55. 66.82 Denique, Regem esse & Leges condere velut necessaria connexa simul ponuntor, *Genes.* 49 10.

II. *Regula actuum nostrorum.*] Nunquam fuit uspiam sine legibus. Quod enim Arnisæus *lib.* 1. *doctrinæ Politicæ cap.* 17. refert, Aborigines & Scythas veteres egisse citrà leges, ac portò quod Melchior Goldastus *lib.*3. *de majoratu cap.*8. Danæus *lib.*1. *Antiquitatum mundi cap.* 3. Ferdinandus Vasques *lib.* 1. *illustrium quæst. cap.* 41. *num.* 33. obtendunt de seculo aureo Poëtarum, hoc inquam, partim fabulis deputandum est, partim malè accommodatur. Namque seculum aureum de statu Paradisi exponendo, equidem aliquid dicetur, neque enim *tunc justo posita erat lex*, videlicet quæ eum cogeret, aliqua tamen quæ eum dirigeret, præscripta erat: malè verò seculum illud à plurimis Authoribus prolatatur, homines, *ajunt*, libertatis compotes degebant, & dispersi per agros, per silvas, per spelæa habitabant, sine probro, sine scelere, eoque sine pœnâ aut cohercitionibus, cum Tacito *lib.* 3. *Annal.* & Platone *in Politico*. Indidem est, quod *Ovidius* laudat: Aurea prima sata est ætas, quæ vindice recto Sponte suâ sine lege fidem, rectumque colebat, *lib.* 1. *Metamorphos.* Neque dubitant Albertus Bolognetus *libro de Jure & Legibus*, Hugo Grotius *lib.*2. *de Jure belli & pacis cap.* 2. *dist.* 2. scribere, *aureum seculum fuisse apud Americanos, antequam eò advenirent Hispani.* Scilicet conjugia ignorare, obvios spoliare, occidere innocentes, rapto vivere, bestiarum more vagari, humanis carnibus vesci, dæmonum consortia sollicitare, erant præclara istorum facinora! hæc aurei seculi nomen integræque justitiæ laudem vix obtinebunt apud æquos rerum judices, qui potius negabunt, in isto χρυσαιῶνι ullas virtutes emicuisse.

III. *Est q; vel universalis vel particularis. Universalis est qua gentes omnes omni tempore obligat.*] Tales sunt Noëticæ, post diluvium à Deo promulgatæ, *Genes.*9.3.4.5.6. Easq; recensent Hebræorum magistri in פרקי ר׳ אליעזר *cap.*

cap. 5. & ex illis Simon Episcopius *lib.* 1. *Institutionum Theologicarum cap.* 8. videlicet: Idola non colunto: Nomen Dei haut profananto: Neminem occidunto: Adulterium non committunto: Furtum non faciunto: Judices instituunto salutis publicæ curatores: Carnem sanguinolentam non edunto. Tales quoque sunt Leges Mosaicæ in Decalogo contentæ, *Exodi* 20. 2. 3. *seqq. Deuter.* 5. 13. *seqq.* De quibus valet illud Apostoli, *opus legis scriptum est in cordibus gentium,* Roman. 2. 14. *Excipiunt*: Gentes dicuntur habere opus legis scriptum in cordibus suis eo sensu, quod ex objectis sensibilibus ratiocinando inferant ea, quæ lex Mosis scripta proponit; Flacius *in Clavi Scripturæ part.* 1. *fol.* 564. 565. Timplerus *lib.* 4. *Systemat. Metaph. cap.* 2. *quæst.* 2. Respondeo: Quicquid non est præscriptum sensibus, verum cordibus inscriptum, illud non acquiritur per illationes externas, sed cognoscitur qer dictamen internum. Atqui notitia de Deo creatore & conservatore omnium est cordibus nostris inscripta. Ergò notitia illa percipitur à dictamine interno. Proinde sequitur in contextu, *cogitationes se mutuò arguere & defendere.* De cõscientiâ illud expressè dictũ est, quæ magnam vim habet in commovendo homine rationis sanæ compote. *Juvenalis*: Cur tamen hos tu Evasisse putas quos diri conscia facti Mens habet attonitos & surdo verbere cædit, Occultum quatiente animo tortore flagellum? Pœna autem vehemens & multò sævior illis Quas & Cæditius gravis invenit & Rhadamantus, Nocte dieque suum gestare in pectore testem. Cui simile est illud Taciti: *Perfecto demum scelere magnitudo ejus intellecta est.* Adeoque prædominatur in illis etiam, qui positi suprà hominum judicia timent omnino Judicem alium, infrâ quem ipsi sunt, & qui rationes actorum ab eis certò repetat. Scilicet, mentis nostræ instinctus illi sunt, ex seipsis vegeti, quamvis à nullo objecto externo moveantur. Aliter *Valentinus Smalcius*: Paulus agit de gentibus sub novo fœdere, quos ait, naturâ fecisse ea quæ sunt Legis, id est, per Evangelii doctrinam conversos tàm accuratè implevisse viri boni officium, perinde uti olim fecerant Judæi secundum legem scriptam, *Disputat.* 8. *contrà* W. *Franzium pag.* 419. Respondeo: Loquitur Paulus de gentibus oppositè ad Judæos, *cap.* 2. 10. 17. 18. *cap.* 3. 1. 2. 3. *cap.* 9. 4. Ergò non considerat illos uti sub novo fœdere constitutos, ubi cum Judæis in unum corpus redacti esse censentur, *Ephes.* 2. 15 16. *cap.* 3. 5. 6. *Coloss.* 1. 20. 21. Potius intelligit Gentes ἀνόμως lege ille carentes, quâ se adeò præ omnibus efferebant Judæi, *Roman.* 9. 2. Denique opus Legis non potest exponi de Evangelio, quoniam Apostolus totâ hac Epistolâ Legem oppositè ad Evangelium usurpat, *cap.* 3. 27. 28. *cap.* 10. 5. 6.

IV. *Particularis est, quæ certas gentes ad certum tempus obligat.*] Tales sunt Mosaicæ in ceremonialibus & forensibus, quæ solos Judæos ad Messiæ usque tempora obligabant, *Deuter.* 4. 7. *Psalm.* 147. 19. 20. Scilicet Lex illa ritualis quæ nihil in se habebat vel boni vel mali, quæque ad hoc à Mose prolata erat, tum ut istis ritibus oneratus populus rituum amans, eò minus causæ haberet sequendi ritus idololatricos, *Jerem.* 7. 22. tum ut sub illis figuris intelligerent res majores Servatoris in carne venturi benificia, *Ebr.* 10. 1. 2 *seqq.* hæc inquam Lex per adventum Servatoris antiquata est, atque tunc Deus

orsus est rem prorsus novam, inauditam & incredibilem, ostenditque se illos è gentibus, qui pietatis doctrinam à Jesu Nazareno descriptam sequi vellent, nihilò minoris ducere, quàm aut Judæos aut proselytos, eâque ratione tum Judæos multos exemplo gentium, quas contemserant, ad pietatem perduxit, tum innumeram hominum multitudinem, Apostolorum ministerio, ad eum pietatis gradum promovit ad quem ne optimi quidem ex Judæis pervenerant. Fallitur Tryphon *disputatione cum Iustino*, qui dicit, *peregrinos etiam, si cuperent beati esse necessariò totam legem Mosis recepisse.* Atqui inter Ebræos ipsos vixerunt multi fideles & Deo grati, quamvis neque circumcisionem neque sabbatha vel sacrificia habebant, *Levit.* 22.25.*cap.*25.47. *Matth.*25.22.*Actor.* 10.2.*cap.*17.4.*cap.*18.4. Hi servabant leges Nohæ datas, erantque גרי תושב *advenæ domicilii*, cavendo idola & carnem sanguinolentam, unde est manifesta distinctio in Legibus positivis. *Deut.* 14.21. & monuerunt dudum Josephus *lib.* 20. *Antiquitat. cap.* 2. Chrysostomus *commentariis ad Romanorum cap.* 11. *& Oratione* 12. *adversus idola.*. Quod verò peregrini alii esse mallent גרי צדק *advenæ justitiæ* & circumcisionem admitterent, aquâ proluerentur, sacrificia offerrent, causa erat, ut jus civitatis acciperent, *Numeror.*15.15. *Exodi* 12.4.5.48.49. *Matth.* 23.15. Vocantur ἄνδρες εὐλαβεῖς, *Actorum* 2.5. Prolixius de his adveni tradunt Johannes Buxdorffius *in Lexico Thalmudico pag.* 407. *seqq.* Richardus Montacutius *in Originibus historiæ Ecclesiast. Exercitat. II. sect.* 9. Joh. Seldenus *libris septem de Iure naturali & Gentium*, Wilh. Sickardus *libro de Iure Regio Hebræorum cap.* 5. *dist.*7. Petrus Cunæus *lib.* 2. *de Republica Hebræorum cap.*19. Joh. Cocchius *notes ad Sanhedrin pag.* 269. *seqq.*

V. Absque istâ Lege & cultu rituali cum fuisset, Iudæi ad tantam impietatem ob mala exempla, quæ à vicinis gentibus attrahere poterant, prolapsi essent, ut ad prædicationem Evangelii obsurduissent, itaque Lex esse dicitur παιδαγωγὸς εἰς χριστὸν, *Galat.* 3. 24. Est verò παιδαγωγῦ nonnisi temporaria authoritas, & statim cum auspiciis templi secundi voluit Deus eos secundum aliquas circumstantias instituere, esse aliud fœdus in quo res magis eximiæ proponerentur. Aberant enim in eo quinque preciosa, de quibus in templo primo fuerat ingens gloria, videlicet, ignis sacer qui cœlitus immissus comburebat victimas, *Levit* 9. 27. Præsentia divina seu שכינה quæ apud propitiatorium vocalia responsa dabat, *Levit.* 1.1.2. Spritus Sanctus, qui Prophetas instruebat sensibus integris, non per visiones obscuras, *Numer.* 11.16. seqq. Arca fœderis cum throno expiationis & Cherubimis, *Exodi* 37.1.2.*seq.* Urim & Thummim sive oraculum tacitum in pectorali Aharonis, *Exodi* 39.7.*seq.* Quanquam verò Iacobus Salianus *Tomo* 5. *Annal. Vet. Testam. A. M.*1609.*num.*85.*seqq.* August. Torniellus *in Annalibus Vet. Test. Tomo.*2.*pag.*227.*seq.* probare velint, quinque preciosa illa in primo adfuisse perinde atque in secundo templo, nihil tamen proficiunt adversus expressa testimonia veterum Hebræorum in libris סנהדרין & יומא, nec non Magistrorum novorum, qui de rebus majorum suorum liquidò possunt testari, R. Maimonides *in More Nevochim lib.* 2.*cap.* 41. 44. R. Menasseh Ben-Israel *Conciliatore ad Genesin* quæst.

quaest. 41. R. Abravaniel *commentariis ad* פרקי אבות *cap.* 4. 5. Expediamus objectiones quasdam: (1.) Quod ignis sacer fuerit in templo secundo, constat inde quia Jeremias Propheta abscondidit ignem cœlestem & arcam fœderis in monte Nebo, atque inde Nehemias iterum protulit, cum Babilone rediret, 2. *Maccab.* 1.18 *seq. cap.* 2.4. *seq.* Respondeo: Fabulæ sunt, à quopiam consarcinatore Græculo libro cæterum non malo assutæ. Certè sacerdotes non permisissent viro quem oderant, ut pretiosa illa vasa templi procul asportaret in regionem Moabiticam. Et quicquid sit, victimas in templo secundo combustas esse igni de silicibus excusso, notum est 2. *Maccab.* 10.3. (2.) Erant post captivitatem Aggæus, Zacharias, Malachias Prophetæ, & longo post tempore Zacharias Baptistæ pater, Simeon, Anna, *Lucæ* 1.76. *cap.* 2.27.36. Respondeo Malachias ultimus eorum fuit, qui divinis revelationibus usus populum docuit voce & scriptis; disertè enim conqueruntur, *non est amplius Propheta*, Psalm. 74.9. 1. Maccab. 4. 46. cap. 9.27. cap. 14.41. Simeon, Anna, Zacharias sacerdos informabantur per illud vaticinii genus, quod vocatur, בת קול, *Mat.* 3.17. 5. *Lucæ* 2.25.26. *Iohann.* 12. 28.29. (3.) Referuntur preces coràm facie Domini, *Zachar.* 8.21. Atqui itâ vocatur arca fœderis, ubi Deus sedebat inter Cherubimos, *Psalm.* 99.1. Respondeo: Facies Domini non semper est arca fœderis: sed templum est, ubi Deus promiserat gratiæ suæ præsentiam, 1. *Regum* 8.10. *seqq.* De toto negocio prolixius egimus *in Auctariis ad historiam Ecclesiasticam pag.* 270. *seqq.* & vero quomodò oraculum in Urim & Thummim consulverint, vide Nicol. Serarium *commentariis ad librum Judicum cap.* 9. *quaest.* 30. *seqq.*

VI. Tales quoque sunt Leges civiles Romanorum, quas subditis suis præscripserunt illi, tunc cum melioris Orbis imperium per arma occupaverant, uti docet Hermannus Conringius *libro de origine Iuris Germanici.* Quæritur: *An Princeps sit Legibus solutus?* Respondeo: Subjectus est legibus *universalibus*, quia homo est quia civis mundi est, adeoque secundum virtutem agere debet Rex pius, justus, fortis. Non est subjectus legibus *particularibus*, nisi spontè ut cum adversus eas agit, non possit à quopiam in judicium vocari & puniri, quia omnibus præstantior est, uni Deo obnoxius, itaque leges dat aliis, non etiam accipit ob excellentiam suam, *Psalm.* 51.6. *Sapientiæ* 6. 23. Plura de hac quæstione, exponunt Tholosanus *lib.* 7. *de Republica cap.* 20. Grasswinkelius *libro de majestate cap.* 6. Vernulejus *lib.* 3. *Institutionum Politicarum Tit.* 2. *cap.* 3. Arnisæus *libro* 1. *de Iure Majestatis cap.* 3. *num.* 6. *seqq.* Antonius Corsettus *libro de potestate & excellentia Regis quaest.* 60. Johan. Bodinus *lib.* 1. *de Republica cap.* 6.

VII. Porrò quæritur: *An Leges forenses Mosaicæ hodienum valere debeant*: Respondeo: Affirmant Rabbinus Menasseh Ben-Israel *Conciliatore ad Legem quaest.* 7. *in Leviticum*, Geisterani Monasterienses *in libro Restitutionum*, Johannes Angelius Werdenhagen *in Medulla Politica lib.* 6. *cap.* 4. *quaest.* 22. Joh. Maccovius *in Theol. Polemica cap.* 2 *pag.* 8 *seqq.* Nos verò negamus Rationes sunt: (1.) Quia Judæorum Respublica tunc cessare debebat ablato sceptro, legibus eversis, cum veniret Messias, rejectus ab ipsis, itaque populum novum conditurus,

apud quem Leges veteres haud quaquam valere possent, *Genes.* 49.10 *Daniel.* 9. 26. 27. Pluribus hoc demonstravimus libro de Scripturâ sacrâ *Exercitat.*31.*dist.*1.*seqq.* (2.) Quia in Veteri Test. licuit fideli & beato esse, non obstante quod sine legibus illis secundum leges alias rationi & æquitati consentaneas vivebatur, uti docuimus exemplis peregrinorum *suprà dist.*4. (3.) Quia in Novo Testamento permissum est, imò jussum, ut dentur Cæsari quæ sunt Cæsaris, *Matth.* 22.21. utque simus obedientes Regibus illis qui potestatem in nos habent, *Roman.* 13. 1. 2. *seq.* 1. *Petri* 2.13.14. Atqui obedientia illa extendit sese ad leges ab illis promulgatas, quæ non erant Mosaicæ. (4.) Quia Apostoli secundum leges Cæsarum in judicio experiri voluerunt, *Actor.* 22. 25. *cap.* 25. 10. nusquam vero forenses leges Mosis interposuerunt. Nimirum quia illæ vigebant, hæ obsoletæ erant, aut saltem obsoletis proximæ. Excipit *Maccovius*: Deus leges tulit, & pro normâ in populo suo haberi voluit. Nulla verò est ratio, ob quam hodiè non possint judicia secundum leges istas constitui. *Respondeo*: Tulit Deus, verum uni populo, quem in fidem, patrocinium & clientelam suam peculiari aliquâ ratione susceperat, imposuit Leges illas, uti rectè docet Ioh. Calvinus *lib.* 4. *Institut Regionis cap.* 20. *sect.* 16. Qui desiit populus esse, postquam urbs periit, quam perire etiam pereuntium intererat, itaque leges neglectæ sunt has verò quilibet populus sibi potest congruis formulis describere ut salus publica conservetur, non obstante, quod populus alius diversas leges habeat, quæ ipsorum moribus congruunt.

VIII. Hoc ipsum quoq; prædixit Johannes Theologus in Apocalypsi cap. XI. 1. *Metire templum Dei.*] Templum vocatur area illa, in quâ olim steterant basilica & adytum, היכל & דביר. *Qui adorant in eo.*] Atrium Israëlitarum, in quo solebant illi adorare Deum 2. *Datum est gentibus.*] Post destructam à Tito urbem remanserant paucæ turres monumentum victoriæ, donec Adrianus Cæsar in solo extrà templum novam conderet urbem dictam Æliam, in quâ Græci, Judæi, Christiani permistis domibus incolebant, Græci tamen prævalebant, quoniam eo tempore Paganismus obtinebat sub Romanis rerum dominis. *Vrbem sanctam calcabunt.*] Dominabuntur in illâ, posito delubro Jovis Capitolini in Sione monte quod olim nefas summum fuerat. Sanctam vocat nomine vetere, Matth. 4. 5. cap. 21. 31. & ob prærogativas varias. 3. *Sed dabo illam duobus testibus.*] Duobus conventibus qui Servatoris doctrinam tuebuntur, uni ex gentibus, alteri ex Judæis collecto, idolorum cultui & evacuatis ritibus Legis, quæ non proderant amplius, perinde inf[illegible] n sis. *Saccis.*] More lugentium, quandò i[illegible] equidem super idolo posito in urbe De[illegible] sacratâ commovebuntur, hi querentur super Iudæis, quod in tantis malis no[illegible] emendent vitam moresque suos. 4. *Hi sunt duæ oleæ.*] Sumptum ex Zachariæ 4. 3. 11 14. Sensus est: illas duas Ecclesias perpetu[illegible] inservire Deo. 5. *Ignis prodit*] Preces eorum Dei iram excitant in perniciem hostium. 6. *Habent potestatem.*] Nihil tàm magnum aut stupendum est, quod non à Deo impetrent, si opus sit. Id verò explicatur per similitudinem eorum quæ olim Deus fecerat, tum Eliæ tum Mosis causâ, Exodi 7. 17. 1. Regum 17. 1. cap. 18. 41. ut glo-

riæ

riæ ſuæ inſerviret. 7. *Beſtia.*] Barchokebas, quem non obſcurè indicaverat olim Servator, Iohan. 5. 43. φονικὸς καὶ λῃστρικὸς ἀνὴρ ait Euſebius lib. 4. hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 6. & adde nos in Recenſu hiſtoriæ univerſalis lib 5 cap. 2: diſt 6.7. Abraham Salmanticenſem in יוחסין. *Vincet eos.*] Quod nolint favere ejus rebellioni adverſus Romanos, quorum imperium tamen in Iudæos præ aliorum Regum imperiis ſemper lenius fuerat. 8. *Vocatur ſpiritualiter.*] Notat urbem Hieroſolymorum, uti conſtat Eſai. 1 10. cap. 3 9. Ierem. 23 14. Ezech. 23. 19 ſeqq. 9. *Cadavera eorum.*) Quandò prævalebit tempore non magno Barchokebæ factio. 10. *Incolæ terræ*) Iudæi obſtinati. 11. *Spiritus vitæ à Deo prodiens.*) Deo ſic volente ejecta eſt factio rebellium, & Chriſtiani in pace erant ſub tutelà Romanorum militum, quia non fuerant in auxilio eorum qui res novas moliebantur. 12. *Adſcenderuntque in cœlum.*) Divina ſolatia perceperunt, fore ut de malis erepti non perirent unà cum malis, qui hactenus eos moleſtè ſatis vexaverant. 13. *Decima pars urbis cecidit.*) Barchokebæ ſectatores cæſi & fugati non amplius ſupererant. 14. *Væ ſecundum abiit*] Templo atque urbe per Romanos, uti olim in væ primo, per Chaldæos, deſtructis. Væ primum ſuprà cap. 9. 12. indicaverat obiter, ut oſtenderet, quàm non diſſimiles cauſæ eſſent excidii primi & ſecundi. Toto illo contextu agit de Zelotis, qui ſunt locuſtæ ex abyſſo profecti autore Eleaſaro Ananiæ filio, qui eſt ſtella prolapſa cœlitus, verſ. 1. 2. 3. Hi docebant, non eſſe recipiendas victimas à Regibus infidelibus contrà quam fuerat factum authoribus etiam Prophetis ſub Cyro & Alexandro, eorumque ſucceſſoribus, ſub Auguſto quoque & Tiberio, Ioſephus lib. 2. Antiquitat. cap. 30. Itaque ſeditione concità viam præparabant Romanis, ut imperium ſuum in populos illos nuper obtentum conſervare vellent armis, denium pertinaces in rebellione funditus exſtirparent. Perinde uti olim ſtante Templo primo vates falſi inculcabant Regibus, non eſſe fas, ut Paganis Imperatoribus datam fidem ſervarent atque ità ſeditionum ante ſignani ſeque Regesq, pœnis juſtis obtulerunt, Ierem. 27. 8. 10. cap, 28. 1. 2. cap. 37. 19. Ezech. 22. 28. 29. 30. ſeq. *Væ tertium.*] Sub Adriano, quem ad arma provocabit Barchokebas. 15. *Chriſti ejus, qui regnabit.*) Iudæis perpetuo edicto relegatis ab urbe novâ, & porcæ ſimulachro uni portarum affixo, liberum erit Chriſtianis ibi habitare & docere, Euſebius l. d. Hoc eſt quod dicit Tertullianus in Apologetico: Diſperſi, palabundi, & cœli & ſoli ſui extorres vagantur per orbem ſine nomine, ſine Deo Rege, quibus nec advenarum jure patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur, cap. 21. Proſtant nummi Adrianei cum imagine porci lactantis apud Antonium Auguſtinum in Tabulis numiſmatum, & adde Petrum Pithæum lib. 2. Adverſariorum c. 3. Deinceps Epiſcopi Hieroſolymorum lecti ſunt è converſis gentibus, poſtquam hactenus ex Iudæis & circumciſis fuerant, atque Synagoga cum honore ſepulta eſt, uti refert Sulpicius Severus lib. 2 hiſtoriæ ſacræ cap 45. 16. *Viginti quatuor ſeniores.*) Cœlites è Novi Teſtam. piè defunctis. 17. *Regnum inieris*) Hoſtes tuos oppreſſeris, ut ſpem omnem reſtitutionis unà ademeris, conſcripto populo novo, melioribus præceptis, melioribus pramiſſis ei additis, ut non debeat fœdus aliud in hoc ævo exſpectari, Daniel. 2. 44. ſeqq. Matth. 28. uit. 18.

Mortuorum, ut judicentur.] κρίνειν est hoc loco vindicare. Tempus erit, quò vindicentur mortui ob Christi nomen. 19. *Templum Dei in cælo, & visa est arca.*] Tanquam quorum memoria de hominum conversatione in æternum sublata esset, itaque in terris valeret deinceps pactum novum, quod veteri successit, Hebr. 9 1 2. seq. Longo post tempore Julianus Cæsar peculiari Epistolâ invitabat Judæos, ut reparare vellent templum Sioniticum, quandò ipse stolidas inimicitias exercebat adversus Jesum Nazarenum, & prædicta ejus irrita esse percupiebat. Veritatem prædicti asseruit magister veritatis, opusque impedivit, cæmenta, calcem, ferramenta, ligna, homines, jumenta, igni de subterraniis evocato exussit. Narrant Chrysostomus Orat. 2. contrà Judæos, Serm. 4. in Matthæum, Serm. 41. in Acta Apostolica, Nazianzenus orat. 2. adv. Julianum, Ammianus Marcellinus lib. 23. histor. & fatentur Judæorum Magistri in צמח דוד part. 2. pag 36. Hactenus illa.

CAPUT SEXTUM.

De Jure circà Judicia.

SUMMARIA.

1. *Definitio Judicii.*
2. *Supplicia publica.*
3. *Proportio inter pœnam & delictum.*
4. *Judicium civile, criminale.*
5. *Judicia sunt licita.*
6.7. *Solvuntur contrariæ rationes.*
8. *Justitia distributiva & commutativa.*
9. *Pœna hæreticorum.*
10. *Samaritani hæretici.*
11. *Arma Theologorum spiritualia.*
12. *Fides libera.*
13. *Priscilliani interfectio.*
14. *Religionis jus cum Deo.*
15. *Tyrannorum sævitia.*
16. *Roma Ethnica.*
17. *Malæ fruges exstirpandæ.*
18. *Laniena Parisiensis.*
19. *Conjuratio Anglicana.*
20. *Solvuntur rationes contrariæ.*

I. *JUdicium est, quo Princeps animadvertit in delicta.*] Quoniam in rebus nostris affectu corrumpimur, ideò simul familiæ multæ in locum unum convenerunt, Judices constituti sunt, & his solis data est potestas vindicandi læsos, uti docet Theodoricus Rex Italiæ apud Cassiodorum *lib. 4. Epist.* 10. Hic mos fuit apud Gentes meliores & plurimas, cæterùm naturæ libertas retenta fuit apud alios, qui paulum deflectendo ab animi cultu, propriâ manu vindictam reposcere ab illo, qui prior læserat, concedebant neque ob eam causam judicia publica constituebant, uti de Africæ gentibus testatur Iohannes Leo *lib.* 2. & de Tattarorum hordis Haithon Armenus *lib.* 1. De veteribus Germanis prodit Vellejus Paterculus, miratos fuisse, cum viderent Romanæ jurisdictionis formam, quod injurias datas finiret justitia, & quod armis inter ipsos disceptari solita jure componerent, *lib. 2. histor.* Veteres Græcos eodem more cædes suorum voluisse ulcisci, constat ex Homero *lib. 5. Odyss.* Laxior quoque in hoc negocio venia erat apud Hebræos, ubi propinquo occisi permissum fuit, ut percussorem ipse manu sua occidere, extrà asyli loca posset, *Exodi* 21. 14. *Deuter.* 19. 1. *Josua* 20. 1. 2. *seqq.* Eorundem

mo-

moribus Hebræus à Deo & Lege deficiens, aut ducem sese ad falsos cultus præbens, illicò poterat à quovis & inultus occidi *Deut.* 13. 9. *Zachar.* 13. 2. 3. Multa ejusmodi exempla assertæ Legis patriæ contrà detractores prostant apud Iosephum & Philonem *libro de sacrificiis*. Iudicium Zeli vocant Rabbini, & primò à Phineâ sacerdote exercitū esse, ajunt, qui scortatorum par hastâ confixit, inde cum laudaretur facinus à Deo, cepit exemplo esse quod imitarentur alii. Sic Elias invadit quadringentos divinos, Matthatias Iudæum trucidat in Modine sacrificaturum è præscripto Antiochi Regis. Consimili fervore virum, quem Antiochus miserat, profanæ religionis exactorem futurum interficit, primusque classicum belli sacri canit, *Numer.* 25. 7. 8. 9. 11. 12. *Psalm.* 106. 30 31. 1. *Regum* 18. 40. 1. *Maccab.* 2. 23. 24. 25. 26. 27. & ex illis Rabbinus Maimonides *lib.* 3. *More Nevochim cap.* 41. Sic trecenti Iudæi legis desertores à popularibus suis in Egypto occisi fuerunt, uti est *in tertio libro Maccabæorum cap.* 7. 12. 13. Sub Maccabæis & deinceps postquam vicini populi catervatim infunderentur, Zelotæ dicti sunt istud hominum genus, quod amore Legis patriæ solebat trucidare aut palam, aut privatim eos, quoscunque novarum opinionum præcones esse noverant. Mox in justum sodalitium coivit, & crescens indies audacia tandem iram concitavit Romanorum, atq; urbi temploque excidium intulit, uti acta eversionis Hierosolymorum testantur, Iosephus *lib.* 4. *de bello Iudaico cap.* 14. *lib.* 7. *cap.* 30. Neque alio obtentu instituta est lapidatio in Stephanum *Actor.* 7. 57. 58. 59. 60. & conjuratio in Paulum, *Actor.* 23. 12. 13. 14. De quâ re plura monent Grotius *lib.* 2. *de Iure belli ac pacis cap.* 20. *dist.* 8. Iohan. Seldenus *lib.* 4. *de Iure Hebræorum cap.* 3. *seqq.*

II. *Princeps animadvertit.*] Supplicia debent esse publica, ità enim ad plures commonefactio pervenit. Pœnæ infliguntur non tam ob facinus præteritum, quod infectum fieri nequit, quàm propter incommodum futurum, ut deterreantur alii, nec tale quid memores eventus tristissimi committant, Plato *in Gorgia & Protagora*, Seneca *lib.* 1. *de ira cap.* 12. Tempore Christi solebant Iudæi in festis solennibus ad supplicium trahere, quò exemplum ad plures perveniret. Notat Maimonides *libro de factiosis*, & exemplum habes *Matth.* 26. 5. Ità & Romæ olim in comitio, posteà quoque ad classicum pœnæ publicæ sumebantur. Publica supplicia erant, quæ Moses & Iosua irrogabant reis, *Levit.* 24. 23. *Iosuæ* 7. 24. 25. 26.

III. *In delicta.*] Pœnæ haut debent excedere personam delinquentis. Multis equidem populis usitatum fuit, ut proditorum & Tyrannorum liberos quamvis innocentes morte afficerent, unà cum parentibus ipsorum. Reprehendunt meritò Philo *libro de pietate*, Dionysius Halycarnassæus *lib.* 8. Et Alexandrum Iannam, qui ità sæviebat, immanitatis ὑπὲρ ἄνθρωπον suprà hominem provectæ incusat Iosephus *lib.* 13. *Antiquitatum cap.* 22. Perindè uti literæ sacræ vetant filios perdere ob iniquitatem patrum, legibus atque exemplis, *Deuter.* 24. 16. *Ezechiel.* 18. 19. 20. 2. *Regum* 14. 5. 6.

IV. *Estque vel Civile vel Criminale. Civile est, quod pretio dato solvitur. Criminale est, quod luitur in corpore.*] Romanorum instituta retulimus *lib.* 2. *Antiquitatum Roma-*

norum

narum cap. 7. ubi legantur, & verò de Supplicio Crucis in specie dicemus capite sequenti.

V. Quæritur hîc: (1.) *An licitum sit exercere judicia publica?* Respondeo: Negant Anabaptistæ, Geisterani, Photiniani, Confessio Hornensis *Artic.* 27. 28. 29. Colloquium Embdense *Actione* 107. 109. 112. Wegelius *in Postilla part.* 2. *pag.* 140. 141, *part.* 3. *pag.* 332. Ostorodus *in Institut. Germanicis cap.* 28. Valentinus Smalcius *in refutatione Franzii Disputat.* 6. *pag.* 359 *seqq.* Daniel Brenius *libro de Regno Christi cap.* 4 5. 6. 7. Nos verò affirmamus, quod jure justo animadvertatur ad Magistratus jussum in eos, qui facinoribus suis bonum publicum lædunt. Rationes sunt: (1.) Quia naturæ instinctus jubet humanam societatem conservare integram. Hoc verò nequit fieri, nisi mali & nocentes exscindantur, *quos sæpè minus est malum mori, quam vivere quandò certum est illos vivendo pejores evasuros esse*, dicente Senecâ lib. 2. de irâ cap. 5. (2.) Quia in ipsâ hominum origine facinorosi ad Conscientiæ dictamen supplicia extimescebant. Inde latro Cainus dicebat, *qui me invenerit, occidet me*, Genes. 4. 14. Non quod homines ante Adamum procreatos, & tunc cum ipso unà viventes metueret (uti Peirerius *libro de Præadamitis pag.* 126. somniat) sed quod ponè secuturos olim verebatur, Judices scilicet, qui secundum leges in societate humanâ latas, capitis supplicium in ipsum pronunciaturi essent. (3.) Quia inter Leges Nohæ in statu generis humani restituto promulgatas exstat illa: Quicunque sanguinem humanum effuderit, per hominem sanguis ejus effunditor, *Genes.* 9. 6. Disertè additur, *per hominem*. Atqui homo ille est Rex, Princeps, Legislator. Quia enim jam ante diluvium, Gigantum ætate, promiscua invaluerat cædium licentia, *Genes.* 6. 4. 11. ne post diluvium mos idem invalesceret, Deus, quod natura justum esse dictitabat ante Leges scriptas, *Genes.* 4. 14 *Roman.* 2. 14. 15. ipse Lege velut scriptâ ad homines promulgare voluit, ut per Judices fieret (4) Quia Deus in populo Judaico leges plurimas & prolixas descripsit, ut faci norosi capite luerent, quascunque prævaricationes atroces, *Exodi* 21. 14. 15. *Numer.* 35. 14. 37. *Deuter.* 19. 12 13 (5.) Quia Servator noster justitia talia verbis disertis stabilivit. Qui gladium acceperit, gladio peribit *Matt.* 26. 52. Si quis gladio occiderit, oportet eum gladio occidi, *Apocal.* 13. 10. Excipiunt: Locis iis non fit mentio, cujus operâ futurum sit, ut quis gladio occidatur, sed tantum dici tur, fore ut qui gladium accipit, gladio pereat. Potest verò quis gladio perire, etiamsi Legislator eum non damnat. Lex igitur non sunt, minæ verò sunt adversus illos prolatæ, qui bonos lædere volunt, adeoque vindictam illam non exercet Deus per magistratum, sed per alios, uti sunt fæx militum colluvies mancipiorum, *Ostorodus* & *Smalzius* l. d. *Respondeo:* Imò fit expressa mentio, *Genes.* 9. 6. atque huc respiciunt verba Servatoris, uti palàm est. Homo ista Legislator est, per quem judicia Dei nomine aguntur in his terris, ità ut Deus ipse judiciis eorum intersit, 2 *Chronic.* 19 6. *Psalm.* 82. 1. 2. *seqq.* Legis ergò vim habent atque insimul minæ sunt, quomodo edicta omnia adversus improbos sancita comminationes sunt. De militibus aliter est, quorum officium non est, ordinaria judicia peragere nisi quantum bella Deo commodant ut illo-

lorum ope judicia sua extraordinaria perficiat, *Levit.*26.17.18.*Deut.* 28.25.2.*Samuel.* 12.10. (6.) Quia non repugnat Evangelio Legislatorum munus, à quibus meritò jubet Apostolus timere illos qui malè agunt, siquidem Princeps à Deò gladium non acceperit frustrà, *Roman.* 13. 1. 2.*seq.*1. *Petri* 2. 14. Excipiunt: Locis illis referunt Apostoli, quid Legislator infidelis agere soleat, non etiam laudant nisi patientiam, ut vellent fideles perferre omnia, etiamsi nihil promeritis irrogarentur supplicia. De fidelium Republicâ aliter est, ubi non debebant metui pœnæ tales à Paganis excogitatæ, *Ostorodus* l.d. *Respondeo*: Pia res est imperium, licet à viro impio teneatur, uti benè satis disserit Chrysostomus *ad cap.*13.*Romanor.* Neque ergò solum refert Apostolus, quid fieri soleat, verum simul inculcat, jure ità fieri, commendatque magistratum velut Dei nomine agentem, excitat conscientiam, ut ratio ejus habeatur, dum Legibus obsequium sub gladii pœnâ injunctum præstatur. Si quis injusta patitur, facti est & ob hominum errorem: non verò juris, quod in sese legitimum est, atq; unicè nititur institutione divinâ. *Johan.*18.23.*Actor.*25. 11. 1.*Petri* 4. 14. 15.16.

VI. Instat *Ostorodus*: Servator vetat litigare, vetat injurias ulcisci, adeoque animi lenitatem injungit, quæ non permittit, ut vita alicui eripiatur, Matth. 5. 39. *Respondeo*: Servator vetat temerè litigare, non etiam vetat, se suamque potentiam, famam existimationem honestis modis tueri adversus malos & perversos. Certè Apostoli non fecerunt aliter, cum licebat, *Actor.* 22. 28. *cap.* 23. 3. *cap.*25. 8.11 17. Proindè lenitas animi toties nobis commendata non tollit severitatem publicam. Gladius est pro exstirpandis malis. *qui hoc uno modo, si moriantur, desinunt mali esse*, ait Seneca lib. 1. de irâ cap. 15.

VII. Quod enim Maldonatus *commentariis ad cap.*5. *Matthæi num* 21. *seqq.* eumque secutus Nicolaus Serarius *in Trihæresio lib.* 3.*cap* nec non Faustus Socinus Senensis *Explicationibus ad Caput* 5.6.7. *Matthæi pag.* 162.*seqq.* & *Responso ad Palæologum part.* 1. *pag.*156.*seqq.* Jonas Schligtingus *dissertationibus adversus Meisnerum pag.* 690. *seqq.* Johan. Volkelius *lib.* 4. *de veritate Religionis cap.* 10. 11. *seqq.* Ostorodus *in Institut. Germanicis cap.* 22. disputant, Servatorem non tàm corrigere, depravationes à Pharisæis excogitatas, quam novis additamentis exornare Legem, hoc inquam est nullius momenti. Constat potius, quod redarguat Pharisæorum corruptiones in vulgum notas & nimis receptas, ut præ illis Legem ipsam velut minoris æstimando, mandata Dei prævaricarentur. Excipit *Maldonatus* (1.) Christus ait *dictum esse antiquis*, id est, illis quibus olim Moses legem dedit. Et ne intelligantur Scribæ aut Pharisæi, oppidò constat, quia illos haut exprimit nomine, quod alias facere solet, Matth.16.6. *Respondeo*: Verti debet cum Bezâ, ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, dictum est ab antiquis. Exempla similia habes *Lucæ* 24.34.1. *Corinth.*15.6. Antiqui sunt Magistri & Rabbini istorum dogmatum authores. Regerit *Maldonatus*: Non poterant illi *Antiqui* vocari, nec enim Pharisæi multò ante Christi tempora, uti Josephus refert, exstiterunt. *Resp.* Atqui satis longum tempus erat ab imperio Johannis Hircani, sub quo in sectas divisus est populus (uti diximus *libro de Scriptura sacra Exerci-*

ercitat. XIV. sect. 1. 2.) adusque Christi ἐνσάρκωσιν, ut sic omni jure priscorum magistrorum titulo compellari possent. Denique falsum est, quod illos haut exprimat nomine. Diserta verba sunt: *Nisi abundaverit justitia vestra plus quam Scribarum & Pharisaeorum*, cap. 5. 20. (2) Multa corriguntur, quae non à Pharisaeis introducta, sed in Lege expressa fuerant, quale est illud *vers.* 31. de non demittendâ uxore per libellum repudii, quod tamen fieri poterat vi legis, *Deut.* 24. 1. Itemque illud *vers.* 33. non pejerabis, *Levitic.* 19. 12. neque hoc Pharisaei corrumpebant. *Respondeo*: Lex Mosis permittebat equidem divortium, sed quod arduas habebat rationes, easque apud Judicem probatas. Degenerante seculo res ista pro levi habebatur, nam neque Judex conveniebatur, & frivolas quasque causas fingebant Judaei, conniventibus Pharisaeis in favorem malitiae suae cumprimis illi qui scholam Hillelis sectabantur. De quâ re vide Johan. Seldenum *lib. 3. de uxore Hebraica cap.* 9. & adde illa quae dicemus *infrà cap. XII. dist.* 17. Similiter de perjurio erat, uti docet Christus, *Matth.* 23. 16. Ità ubique Pharisaeorum corruptelae invaluerant, praeter & contrà scriptam Legem. (3.) Nusquam lex praecipiebat, ut ei qui percutiebat maxillam unam, obverteretur altera, utque ei qui raperet tunicam, dimitteretur insimul pallium *Matth.* 5. 39. 40. 41. Non ergò Legem tantum interpretatur Christus, sed novam doctrinam quoque adjicit. *Respondeo*: Lex talionis, quae descripta est *Exodi* 21. 24. *Deut.* 14. 21. valebat demum, tunc cum legitima causae cognitio evidenter coram Judice acta & peracta erat. Successu temporis ad privatam ultionem detorquebant ista Judaei. Vindictae privatae studiū reprehendit Christus, & patientiam commendat, non tam quae injurias atroces coram Judice denunciare prohibet, sed eam quae ob levissimas causas indignationem, odia, ultionem imparem animo concipere vetat. Salutis publicae interest, ne mali spe impunitatis majora audeant, ubi vitae famaeque incolumitas in periculo est. Et tamen quoque processus in foro bonam perindè quàm malam causam affligere potest. Utrinque oris litis aequissimam decisionem pervertere queunt. (5.) ubi in lege scriptum est illud, *diligite inimicos vestros*, quod vers. 44. inculcat Christus? *Respondeo*: Et ubi in lege scriptum est illud, quod Antiqui, id est, Pharisaei inculcabant, *odio habebis inimicum tuum*? ve. 43. Cum dicit Moses, *dilige proximum tuum*? hoc ipsum dicit, *inimicum tuum dilige*. Hebraeum רע, cui Graecorum πλησίον respondet, non tantum eum qui sanguinis, amicitiae, vicinitatis nexu conjunctus est nobis, significat, verum quoque latissimo sensu notat quemvis alterum, τὸν ἕτερον, uti exponit Paulus, *Roman.* 13. 8. At Pharisaei nimium perversi Interpretes explicabant proximum de solo amico & contribuli, Israelita scilicet ortu, vel religionis προσηλύτῳ, quomodò recentis memoriae Doctores Levi Ben-Gerson & Salomoh Jarchi *commentariis ad Legem*, disertè contestantur. Ità factum est, ut Judaei quaevis humanitatis officia denegaverint peregrinis, eamque ob rem malè audiebant. *Tacitus* de illis: Apud illos fides obstinata, misericordia in promptu, adversus omnes alios hostile odium, *lib. 5. histor.* Redarguit Servator prolato apologo de viatore Samaritano, *Lucae* 16. 16. 37. atque ostendit, non obstare arctum ne-

xum

xum originis & sacrorum communium inter Judæos, quò minus advenas benificiis prosequantur, quandò Lex naturæ; quam Moses non abolevit, hominem omnem omni homini faciat esse proximum, atque ejus impulsu Abraham, Isaac, Iacob magni progenitores Iudæorum quoscunque homines non habito respectu populi, maximis benificiis affecerint. Instat *Maldonatus*: Veros inimicos delere omninò jubebat Moses, Deut.25.19. in Evangelio neminem omninò licet odio habere, neminem privatâ authoritate delere. *Respondeo*: Neque etiam privatum hoc odium fuit, quo Iudæi persequebantur septem populos internecioni destinatos: sed publicum, quod nos vocamus Ius belli, nullo modo contrarium Evangelio, *Lucæ* 3.14. *Roman*.13.4. adeoque fuit mandatum speciale ad exsequendam rem à Deo judicatam in populos maximorum criminum reos, *Deuter*.7.1.2.3.*seqq. cap*.9.2.3.4.5.6.*cap*.19.1. Speciale inquam, ut non simul populi alii involvantur, utque illa quæ Legis naturæ erant, quæque his populis civitate donatis (cum recipiebant leges Nohæ) haut poterant denegari, accuratè discernantur ab iis quæ sunt merè civilis obligationis.

VIII. Quæritur: (2.) *An judiciorum publicorum administratio fieri debeat secundum justitiam distributivam: vel potius commutativam?* Respondeo: Duplex ista justitia non servat proportionem unam. Distributiva est quæ agit secundum proportionem *Geomatricam*, & verò Commutativa agit secundum proportionem *Arithmeticam*. Proinde suppliciorum irrogationem hæc annumerat personis citrà respectum, illa ponderat respectu habito ad personas. Ad Iustitiam distributivam referunt Leopoldus Hakelmannus *Disputat. select*.1.*dist*.2. Alexander Piccolomineus *lib*.8.*Institut. moral. cap*.3.4. Goclenius *in quæstionibus Ethicis pag*.306.*seqq*. Ioh. Bodinus *lib*.6.*de Republica cap*.6. Christ. Ehemius *lib*. 5. *de principiis Juris pag*.213.*seqq*. Tiraquellus *libro de nobilitate cap*.20. Herm. Kirchnerus *Disputat*.19. *de Republica dist*.3. Scilicet, ut proportio Geometrica in decernendis istis observetur. Adversus illos contendunt *Arnisæus lib*.2.*doctrinæ Politicæ cap*.18. Dominicus à Soto *lib*.3.*de Justitia & Jure quæst*.5. *art*.1. Balthasar Cellarius *lib*.2. *Institut. Politicarum cap*.10.*dist*.9.10. Conradus Hornejus *lib*.3. *doctrinæ civilis cap*.13.*num*.10. *seqq*. videlicet, pœnarum irrogationem pertinere ad Iustitiam commutativam, ut in decernendis istis observetur proportio Arithmetica. Nos priorem sententiam defendimus. Rationes sunt (1.) Quia veteres Legislatores nunquam constituerunt, ut Legis pronunciatum absque ullâ circumstantiarum eâque debitâ connotatione intelligatur. Proindè nobilem & ignobilem, quamvis in eodem crimine deprehensos, non tamen eodem supplicio affici voluerunt, uti patet è Lege Cornelia *de Sicariis*, Lege Vitellia *de plagiariis*, Legibus *de pœnis*, *de incendiariis*. (2.) Quia circumstantiæ tales sunt, ut nobilis mitius puniatur. Caret enim, quandò moritur, opibus suis, amicis, cognatis. Et verò his per mitius supplicium prævaricatori irrogatum, nulla irrogabitur infamia. Quæ omnia sese aliter habent in proletario, cui non pereunt opes & cognati, quia vel nulli vel nullius pretii supersunt. Nobilis in latrocinio deprehensus, gladio punitur, honesto genere pœnæ:

ignobilis rotâ contunditur & rotæ imponitur. Servos plagiarios Romani detrahebant in arenam, ut à bestiis lacerarentur, ingenuos securi percutiebant. Dicit *Arnisæus*: Præcipitur, ut non sit acceptio personarum in judicio, Levit. 19. 15. Deuter. 1. 17. *Respondeo*: Vetat præceptum, ut mutetur pœnæ genus, non etiam vetat, ut pœnæ modus ob circumstantias aliquas inflectatur. Perit gladio nobilis, rotâ contunditur ignobilis, ambo luunt capite, non tamen eodem supplicii modo, qui honestus est alius, alius cum infamiâ conjunctus ob diversitatem circumstantiarum.

IX. Quæritur: (3.) *An hæretici debeant capitali supplicio affici?* Respondeo: Affirmant Bellarminus *libro de Laicis cap. 21.* Becanus *in Manuali controversiarum lib. 5. cap. 17. & Tomo 2. Theologiæ Scholasticæ pag. 470. seqq.* Gregorius de Valentiâ *Tomo 3. Commentar. Theolog. Disputat. 1. quæst. 11.* Tholosanus *lib. 12. de Republica cap. 4.* Theodorus Beza *libro de puniendis hæreticis*, Lambertus Danæus *lib. 2. Ethicæ Christianæ pag. 205.* Bucanus *in Instit. Theolog. Loco 49. quæst. 34.* Wilhelmus ab Effern *in Manuali Politico lib. 2. pag. 134. seqq.* Lelius Zecchus *lib. 2. de Principe cap. 5. num. 1.* Jacobus Oranus *in Principe Christiano lib. 1. cap. 26.* Joh. Steph. Menochius *lib. 2. Hieropoliticorum cap. 3. dist. 1. seqq.* Joh. Scarpius *in Cursu Theolog. Tomo. 2. pag. 985. seqq.* Henr. Antingius *part. 2. Theolog problemat. pag. 335. seq.* Nos verò negamus. Rationes sunt: (1.) Quia Servator noster exemplo commendavit animi lenitatem ergà hæreticos, & Apostolos suos ignem super Cuthæis vovere ausos graviter increpuit, ut omisso Veteris Test. rigore ad Novi Testam. mansuetudinem sese componerent, *Lucæ 9. 54. 55.* Excipit *Bellarminus*: Non est eadem ratio Cuthæorum & hæreticorum. Illi nunquam promiserant, quod doctrinam Christi servare vellent, quanquam tunc eis offerebatur, ut amplecti possent, cum vellent, itaque suppliciis vexari non debebant: hi verò defecerunt à doctrinâ Christi, quam hactenus tuebantur, adeoque meritò puniuntur. *Resp.* Erant sanè Cuthæi hæretici, quandoquidem Judæis adversariam constituebant, Legis per Mosen latæ corruptores. Eam ob causam puniri debebant, quandò hæritici capitis supplicium incurrerent, verum Servator prohibebat: *Non venit filius hominis perdere animas, sed convertendo servare.*

X. Dicit Scarpius: *Christus prohibet vindictam privatam.* Resp. Atqui cum ait, *nescitis, cujus spiritus filii estis*, non tàm prohibet vindictam privatam uti principale, quàm supplicium extremum, uti accessorium, videlicet novæ Legis novam constitutionem promulgat, ne qui emendari possent, tolleretur. De Cuthæis verò ità sese res habet: Post deportatos decem tribuum Hebræos, ne tamen agri silvescerent, novos incolas retrimenta hominum & mendicabula ad loca ista dimiserunt Assyriæ Reges, quos proprio nomine Cuthæos vocabant, Samaritanos verò inde, quia Samariæ regiones inhabitabant. 2. Regum 17. 24. *Deinde adduxit Rex Assyriæ è Babele & è Cutha, & è Hava, & è Chamata, & è Sepharvaim colonos, quos collocabat in civitatibus Samariæ loco Israelitarum & hæreditario jure possidentes Samariam habitabant in civitatibus ejus.* Cutha est fluvius in Perside, uti refert Josephus, inde sunt Cuthæi

tractu illo, ubi urbem Cothamba aſſignat Ptolomæus. Hava eſt in Bactrianis, & Ptolomæus ibi recenſet populos Avadis; Hamatha eſt urbs Syriæ propè montem Libanum; Sepharvaiim eſt ad Euphratem in Meſopotamiâ, *σιπφάραν* vocat Ptolomæus, & vide *Gen.* 10.20. Ab Hebræis ſacerdotibus Doſitheo & Sebaicâ, (uti eos vocat Autor libri ילפדנו) inſtituti ſuſceperunt leges rituſq; Moſis, 2. *Regum* 17.27.*ſeq.* Nec tamen cum Judæis è captivitate reverſis concorditer vivere poterant, quoniam de femore Jacobi haut erant, & quod veteres ægrorum domini incolis novis adverſabantur, *Eſdræ.* 4.1.2.3.9.10 *cap.* 5.3.*ſeqq. Nehemiæ* 4.1.2.*ſeqq. cap.* 6.1.2.*ſeqq. cap.* 13.4.*ſeqq.* Utque tantò longius ab eis diſtarent Judæi, literas à Phœnicibus acceptas (quod Samaritani illas uſurparent) repudiaverunt, earumque loco Aſſyriacas literas receperunt, quas adhuc tenent, uti dictum eſt *libro de Scriptura ſacra Exercitat.* XIII. *diſt.* 1.*ſeqq.* Satrapa gentis erat Sanballates, tunc cum Darius Codomannus imperium Perſicum moderabatur, & Judæi templum urbemque ſuam maximis reſtaurabant viribus, *Nehemiæ* 13.28. Hujus filiam Nicaſo in matrimonio habebat Manaſſes frater Jaddi ſummi apud Judæos Sacerdotis, ejuſque ſacerdos vicarius, cumq; ob id (quod contrà patrias leges matrimonium cum peregrinâ inierat) pulſus eſſet à Nehemia gentis præfecto, abiit ad ſocerum ſuum, qui multa conabatur, ut civibus ſuis eum reconciliaret. Fruſtrà agebat Sanballates, proinde ad Alexandrum Macedonem,) qui Darium Regem prælio ad Iſſum vicerat, cumque exercitu ſuo in Syriam proceſſerat) profectus, gentis ſuæ nomine fidem ei præſtabat, Syriæ præfecto (*quem mox vivum cremaverunt Samaritæ*, teſte Curtio lib. 4. hiſtor.) regiones ſuas adjungebat, viciſſim à Rege (qui tunc obſidionem Tyri pertinaciter urgebat) impettabat, ut quo vellet loco, templum concedere poſſet. Ergò in monte Gariſim propè Sichemum exſtruebant Cuthæi delubrum, magnificum prorſus & Siohitico æmulum, ſacrificia, preces, ceremonias addebant. Manaſſen Pontificem deſignabant, ac porrò animos illos ſumebant, ut de loco adorandi Deum moverent litem Judæis, & tantum Moſis legem, quam vernaculo ſermone legebant, (namqui hunc errorem Saducæis & Karræis impingunt, illi omninò errant uti diximus *libro de Scriptura Sacra Exercitat. XIV. ſect.* 1.*ſeqq.*) approbantes, Davidem ejuſque filium Salomonem haut rectè feciſſe dicerent, quod monte Siloh in Ephraim deſerto, arcam fœderis in montem Sionem tranſtuliſſent, 2. *Samuel.* 6.1.*ſeq.* 1. *Regum* 8.3 *ſeq.* 1. *Chronic.* 15.29. 2. *Chronic.* 5.1.2.*ſeqq.* Joſephus *lib.* 11. *Antiquitatum cap.* 8. Autor צפה דוך *part.* 1. *pag.* 26. Autor *libri* יוחסין *pag.* 14. Petrus Cunæus *lib.* 2. *de Republ. Hebræorum cap.* 16. Nicolaus Serarius *in Trihæreſio lib.* 2. *cap.* 22. & adde noſtrum Recenſum hiſtoriæ Univerſalis *Tomo* 2. *lib.* 24. *cap.* 2. Hic eſt paſtor ille, cui gravia comminatur Zacharias *cap.* 11.16.17. Magis hinc odium increvit, & Iudæi Samaritam vocabant convitii inſtar illum qui improbus eſſet, *Syrach.* 50.27. *Lucæ* 9.53. *Johan.* 8.48. Quicunque Judæorum ob maleficia & Legis prævaricationes cenſuram acceperant, à popularibus diffidentes ad Samaritanos confugiebant, ibi loco optimo habiti. Et metuebant Iudæi, tantum in occurſu per vicos

à Samaritanis impurari, denumque reversi lavabant sese *Marci* 7. 3. 4. Cum Antiochus Epiphanes Judæam vastabat, ut Regis sævissimi gratiam inirent, templum suum Jovi Xenio consecrabant, 2. *Maccab.* 6. 2. Et quanquam Johannes Hyrcanus victis Samaritanis, templum illud postquam annis ducentis steterat, deinde etiam urbem ipsam incolis ad pagos redactis, solo æquavisset, non tamen desiverunt litigare, & templi rudera insidendo, adorabant ibi velut in loco sancto, *Johann.* 4. 21. *seqq.* Josephus *lib.* 12. *Antiquitatum cap.* 1. 10. *lib.* 13. *cap.* 17. *lib.* 15. *cap.* 12. *lib* 18. *cap.* 3.

XI. Secunda: Quia Apostoli præcepta & exempla Magistri sui ad pacem omnia referentis imitando, authoritatem suadendi, citrà suppliciorum comminationem, orbe toto circumtulerunt, dum Evangelium prædicabant. 2. Corinth. 10. 4. *Arma militiæ nostræ carnalia non sunt, sed divinitus valida ad destructionem operum.* Dicit Scarpius: Ecclesia quà talis non agit his armis, sed magistratus, qui est custos utriusque tabulæ. *Respondeo*: Nullibi Servator utriusque tabulæ dominus, vel verbis vel exemplo jussit magistratum, ut suppliciis tollerent hæreticos, sed tolerantiam imperavit seriò propter spem conversionis in melius. *Beza* admodum stomachatur: Qui hunc locum, *ait*, objiciunt fidelibus Dei servis, ut magistratus gladio Ecclesiam exarment, digni quidem essent commiseratione potius quam responsione, si duntaxat ignorantiâ peccarent, sed cum causam suam agant per summam improbitatem, nec jampridem aliud quærant, quàm ut crudelissimæ suæ clementiæ obtentu impunè possint nocentissimo veneno Ecclesiam perdere, digni sunt quorum justo supplicio magistratus Christiani authoritatem suam sanciant, nisi fortè dederit illis dominus, ut seriò resipiscant, *notis ad h. l. pag.* 215. Respondeo: Crudeliter nimis rem agit, ut Serveti incendium per fas nefas, defendat. Peragrabat ejus tempore Galliam Michaël Servetus Arrago, qui olim Fessæ Maurorum linguam Arabicam didicerat, & Alcoranum familiari lectione perceperat. Errores cum fide pugnantes aliis persuadere conobatur, Venetis primum, sed urbe illâ exactus (quod Melanchton perscriptâ ad Senatum epistolâ procuraverat) venit Genevam, & medicinam fecit, cumque fidei veritatem libros palàm edendo insectaretur, Saracenico furore impulsus, vitæ finem ibi invenit. Sermonibus multis tentavit Johannes Calvinus, ut in viam reduceretur, cumque nihil proficeret, vivicomburio sublatus est, Farello unà eunte ad locum supplicii. An tàm atrociter puniri meruerit inter eos & ab eis, qui mansuetudinem Evangelicam profitebantur, ipsi viderint Borboritæ, autores pessimi facti in alios, quod ab aliis in eos designatum, atrocitatis homine Christiano indignæ accusant. Neque eripitur magistratui gladius, quem ille non accepit nisi in facinorosos delictorum civilium reos, *Genes.* 9. 6. *Matth.* 26. 52. *Romans.* 13. 1. 2. 3. 4. Hæresis verò delictum spirituale est. Aliter, occurrit *Benedictus Iustinianus*: Non sunt, *inquit*, militiæ Ecclesiasticæ carnalia, arma si de authoritate & potestate accipias, quia Ecclesiasticorum præsulum authoritas non dependet ab ullo principio humano, sed ab eo solum, qui Apostolis eorumque successoribus oves suas pascendas tradidit, itaque cœlestis & spiritualis omninò est eorum potestas, *Commentariis ad h. l.*

pag.

pag 777. Respondeo: Authoritas præsulum Ecclesiæ magna est, potestas nulla. Illam habent, quia docendo veritatem sacram tuentur, errores profligant, hanc non habent, itaque nec in hominem sævire possunt. *Regerit*: Apostoli exercuerunt potestatem externam in administrandâ Ecclesia, quomodo Petrus morte plectit Ananiam, & Paulus cæcitate percutit Magum, Actor. 5. 10. cap. 13. 11. *Respondeo*: Fecerunt hoc illi ea, quam Servator eis dabat, miraculorum potestate, uti dicemus *infrà dist.* 20. Hodiè aliter est. *Pergit*: attamen corporibus quoque, non animis tantùm irrogaverunt supplicium. Si hoc fecerunt absque authoritate, injustè egerunt, quod absurdum est dictu. Sin justè, certè non sine authoritate. *Respondeo*: Non fecerunt sine authoritate, quando Zeli divini extraordinario motu adducti, corruptores famæ publicæ & hostes veritatis cœlestis percusserunt anatemate perindè uti olim peculiaris instinctus Numinis erat apud Phineam sacerdotem & Eliam vatem quorum ille par scortatorum hastâ confodit, hic quadringentos ariolos gladiis mactavit, neuter verò potestatem civilem habuit, Numeror. 25. 7 8. 1. Regum 18. 40. *Instat*. Phineas authoritate Judicis præditus nefarios homines peremit, quia jam tum sacerdotes & Levitæ externis judiciis præerant. *Respondeo*: Parlamentum equidem institutum erat, ubi, civilis ordinis viri spiritu prudentiæ à Deò peculiariter donati exercebant potestatem judiciorum, *Numeror.* 11. 24. 25. Cæterùm de potestate aliqua sacerdotibus & Levitis concessa nullibi legitur quicquam.

XII. Tertia: Quia errant omnes quicunque magnum se facturos operæ pretium opinantur, cum suppliciis & terrore Religionis negocium agunt, quandoquidem animus omni externa violentia superior, per naturam suam velle quod nolit, & quod velit, nolle nequit. *Quis imponat mihi necessitatem vel credendi quod nolim, vel quod velim, non credendi*, ait Lactantius *lib.* 5. *Institutionum cap.* 14. Quam ut maximè te imposuisse crediderís, quid aliud quàm hypocrisin & simulationem, rem si quæ alia pietati validissimè contrariam induxeris? *Apocal.* 3 15. 16.

XIV. Quarta: Quia Ecclesia vetus multò aliter censuit. Nemini bono, ait *Augustinus*, in Ecclesia Catholica placuit, si usque ad mortem in quenquam licet hæreticum, sæviatur, *lib.* 3. *contrà Bresconium cap.* 50. Similia habent Athanasius *Epistola ad solitarios*, Hilarius *oratione ad Constantium Imperatorem.* In Gallia olim etiam, Ecclesiæ judicio damnati sunt Episcopi, qui ut in Priscillianum hæreticum gladio animadverteretur, in aula Maximi Tyranni procuraverant, & in Oriente reprobata est Synodus, quæ in Bogomili exustionem consenserat, Ambrosius *Epist.* 75. Sulpicius Severus *lib.* 2. *historiæ sacræ cap.* 64. Natinus Pacatus *in panegyrico ad Theodosium Imperatorem.* De hoc facto ità censet *Spondanus*: Quod pertinet ad Maximum, licet ipse exserens uti alter Phineas, gladium in turpissimorum hominum necem, sanctificasse manus suas Domino, ob idque perennitatem imperii commeruisse videri potuisset, tamen quod arrogaverit sibi judicium sacerdotale, quantumlibet nonnullorum Episcoporum consensu delatum, deferensque appellationi hæresiarchæ, causam judicaverit meruit paulò post jacturam imperii & vi-

& vitæ pati, ut intelligant omnes, quàm gravius delinquant, qui causas Ecclesiasticas contradicentibus sacerdotibus sibi vendicant, *in Epitoma Annalium pag.* 415 *num.* 6. Respondeo: Impia comparatio Maximi sediciosi adversus Imperatorem suum, & Phineæ sacerdotis divino Zelo impulsi. Erat Priscillianus hæreticus imò ne vix quidem, alter erat scortator impurus & idolorum cultor, *Numer.* 25. 7. 8. Arrogavit sibi Maximus, quod non illi, non etiam Episcopis, verum Cæsaris debebatur, controversiarum quarumcunque supremo cognitori, & improbè partum Imperium non diu obtinuit. Nimirum quia rebellis esse pergebat, adversus Dominum suum, & armis eum persequebatur bello victus, captus, peremptus, merito luit perfidiam adversus Dominum suum occeptam, Zosimus *lib.* 4. *histor.* Socrates *lib.* 7. *histor. cap.* 14. Procopius *lib.* 1. *de bello Vandal.*

XIV. Quinta: Quia religionis jus non quidem homini cum homine intercedit, sed inter Deum atque hominem versatur, proinde Religionis diversitate hominum jus non læditur, itaque nec bellum eo nomine inferri posse censemus, nec supplicia debere irrogari, ut porrò dicemus *infrà cap.* 8. *dist.* 5. Hoc est quod dicebat Gamaliel *Actor.* 5. 38. 39. & exemplis demonstrabat Pharisæus ipse, quod genus hominum erat lenius circa pœnas exigendas eis asperiores Saducæi, nimirum qui omnem spem in hac vitâ collocatam habebant, itaque severè occurrendum putabant omnibus iis, quæ poterant turbare quietem populi, in quâ & ipsorum quies continebatur. Et tamen à Gamalielis consilio optimo multum deflexit Paulus, qui tunc Gamalielis scholam frequentare studiorum causa solebat, sed æstu abreptus, à lenitate magistri ad atrociora multorum exemplis patiebatur se trahi, Zelotarum socius, uti patet è rebus gestis cum Stephano, *Actor.* 7. 58. 59. *cap.* 22. 3. *Philip.* 3. 6. Hunc enim Zelotæ non rationali scientiâ, quæ eis pro irritamento ad persequendos novarum doctrinarum præcones erat, impulsi lapidabant, quasi falsos cultus doceret. Atqui ille Deum cœli terræque creatorem, quem Abraham, Isaac, Jacob adoraverant, docebat, non alium, adeoque peccabant in Legem, quæ etiam liberâ Republicâ judicium illud populare exerceri noluit, nisi in autores idolatriæ, *Deut.* 13. 6. *Zachar.* 13. 2. 3. 4. Solebant autem sacerdotes, etiam cum sub Romanis essent, ad talia connivere. Cæterùm jus suppliciorum capitalium eis ademerant Romani, prehensionem & verberationem tantum reliquerant, *Actor.* 5. 39. *Johann.* 18. 31. *cap.* 19. 6.

XV. Sexta: Quia Tyrannorum veterum à Christi fide abhorrentium consuetudo fuit, dissentientes à se doctores in negocio sacrorum persequi atque suppliciis conficere. Id nos docet exemplum Herodis Agrippæ Regis cæterum non mali, sed aulæ assentatorem cavillis seducti, is Jacobum Apostolum gladio percussit, incarceravit Petrum, *Actor.* 12. 1. 2. 3. *seqq.* ubi est de Petro, κοιμώμενος μεταξὺ δύω στρατιωτῶν. Namque hac ævo isto erat custodiæ militaris ratio, ut vinctus in brachio haberes catenam, militis brachio perinde alligatam uti diximus *lib.* 2. *Antiquitatum Roman. cap.* 7. *dist.* 13. De Nerone prodit *Suetonius*: Afflicti suppliciis Christiani genus hominum superstitionis novæ ac maleficæ, *lib.* 6. *cap.* 16. Plura quoque *Tacitus*; Ergò abolendo rumori

mori Nero subdidit reos, & exquisitis pœnis affecit, quos per flagitia invisos, Christianos vulgus appellabat. Autor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat, repressaque in præsens exitialis superstitio rursus erumpebat, non modò per Judæam, originem ejus mali, sed per urbem etiam, quò cuncta atrocia & pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primò correpti qui fatebantur, deinde judicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quàm odio humani generis cōvicti sunt, & pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti canum laniatu interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi aut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur: *lib.* 5. *Annalium*. In verbis Taciti *flagitia & odium generis humani* sunt falsorum Deorum neglectus, quam eandem causam etiam Judæis maledicendi Tacitus *lib.* 5. *histor.* habuit. Inter alia supplicia dicit, *aut ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur.* Repetit ex eo Sulpicius Severus *lib.* 2. *historiæ sacræ cap.* 41. Operimento quodam ex sarmentis, tædâ, pice, papyro, contexto & perlito (vocabant *tunicam molestam*, uti patet ex Juvenale *Satyra* 8. & Martiale *lib.* 10. *Epigram.* 24.) vestiebantur, imò potius obvolvebantur Christiani, & palis gutture affixi, ut semper starent arrecti, apex capiti imminens accendebatur, ità pergebat ardere tunica, donec una cum homine incluso deflagrabat cerei instar, maximos inter dolores. Juvenalis de supplicio eodem: *Tæda lucebis in illa, Qua stantes ardent, fixo qui gutture fumant*, Satyrâ I. Ob id probroso nomine Christianos vocabant *sarmentitios* & *semaxios* quod ad stipitem dimidii axis revincti sarmentorum ambitu exurerentur, dicente Tertulliano *in Apologetico*, & illi adde nostrum Recensum Antiquitatum Romanarum *lib.* 2. *cap.* 7. *dist.* 4. Permansit deinceps temporis, ut exemplo Neronis adversus novæ Religionis sectatores, nunc durius nunc remissius sævire vellent Domitianus, Trajanus, Adrianus, Antoninus Philosophus, Septimius Severus, Maximinus, Diocletianus, quos libris oblatis erudire & ad meliorem animum convertere annisi fuerunt Justinus Martyr, Quadratus, Athenagoras, Tertullianus, Minucius Felix, Arnobius, Lactantius, & aliquandò pervicerunt.

XVI. Septima: Quia Antichristum magnum describunt literę sacræ analogico sensu, futurum talem, quod de Inferni barathro progressus adversùm testes veritatis exemplo Barchokebæ, Domitiani, Trajani, bellum concitet, vincat occîdat, *Apocal.* 11. 7. *cap.* 13. 7. 15. Perindè uti septicollis urbis Domina ad ebrietatem & vomitum bibere gestiat sanguinem Confessorum veritatis, *Apocal.* 17. 6. *cap.* 18. 24. De Papâ Latino ista omnia non obscurè sonant, quandò in Româ novâ ille haut ferat veritatis doctrinam, quomodo eam in Româ vetere non tulerunt crudeles Tyranni, *suprà lib.* 1. *cap.* 16. *dist.* 11. 16. 18. *lib.* 2. *cap.* 5. *dist.* 8. Excipiunt: Describitur Roma, non quidem Christiana uti longo tempore fuit sub imperio Paparum, sed Ethnica, qualis erat quondam sub Cæsarum dominio, & qualis olim erit proximo ante novissimum judicium tempore, quandò fidem Christianam deseret, ac Papas sanctos expellet, Ribera *commentariis ad Apocal.* 17. *num.* 39. Cornelius à Lapide *commentariis ibid. pag.* 258. *seqq.* Pazmannus *in*

*Hodego Catholico lib.*10.*cap.*7. Respondeo: Quod de Româ Ethnicâ sonet vaticinium, concedimus ita verò ut ad Romam sub Papæ dominio gementem optimè applicari possit; Illam enim Romam intelligit, quæ fascino scortationis suæ Reges atque incolas terræ ligat. De Româ nova Paparum fraudibus subjugatâ hoc etiam verum est, non de Româ Ethnicâ vetere solum Roma dederat post Constantini tempora nomen Christo, igitur meretrix, id est, perfida, vocabitur, Psalm. 73.27. Esaiæ 1. 21. cap. 57. 3. Jerem. 3.6. Hoseæ 5.6. cap. 6.10. cap. 9.1. Roma inquam nova est meretrix, quia omissa Religione puriori, quam ab Apostolis & viris Apostolicis acceperat, commentis hominum otiosorum delectari cepit atque Orbi sensim persuasit Missam, Purgatorium, Sacramentum unâ specie contentum, Cœlibatum impurum, delectum ciborum, Papæ suprematum, bonorum operum merita, Sanctorum invocationem, peregrinationes religiosas ad loca miraculis celebrata. Descripserunt Henricus Canisius *Mariam Ottingensem*, Horatius Tursellinus *Lauretanam*, Thomas Weissius *Cellensem*, Justus Lipsius præ senio delirans *Aspricollem & Hallensem*, legasque apud eos solo Mariæ nomine invocato, & votis prolatis culto, sanatos esse cœcos, claudos, obsessos, epilepticos, herniosos, hydropicos, amentes, mutos, paralyticos: in vitam hanc revocatos defunctos, servatos à periculo naufragos, parturientes, peste correptos: donatos prole steriles tanto numero, tanto cum successu, ut Christi & Apostolorum miracula æquaverint, certè superaverint. Nisi credas, esse omnia illa commenta vanissima, & dolos subesse ut alibi prolixius demonstrabimus. Seculis primis haud erat ita. Neque potest intelligi de Româ futurâ, quæ religionem Christianam prorsus deseret. Si enim Roma deficiet, quomodò vera fuerint illa quæ aliàs de perpetua duratione Ecclesiæ Romanæ contentiosè declamant Catholici scriptores? Quomodò Roma est atque semper erit columna veritatis Apostolicæ ad consummationem seculi? Imò, si deficere potest, quis spondere ausit, non currere tempora illa erroribus plena? Si Roma ejecto Domino Papa redibit ad Paganismum, quomodò consultantibus adversariis in odium adducetur apud Antichristum, & ab illo devastabitur? Nunquam ille urbem sacris profanis addictam damno affecerit. Instat *Ribera*: Causa est nulla, quare Johannes vellet tanta mala prædicere adversus Romam, urbem sanctissimam. Porrò describit ille urbem amplissimam orbis Reginam, populorum dominam. Denique, illa Roma intelligitur, quæ Apostolos & Sanctos persequuta est. Atqui Roma Catholica neminem virum pium interfecit. *Respondeo*: Causa vera ob quam Johannes prædicit mala adversus Romam, est quod vera pietate desertâ animos ad pravam superstitionem applicaverit, orbemque exemplo suo corruperit, *Apocal.* 17.2.6.15.16.17. Romam novam esse orbis Reginam, quis negaverit? Scilicet, *quicquid non possidet armis*, uti Roma vetus, illud *religione tenet*. Denique, quàm multos veritatis Apostolicæ defensores miserè afflixit Roma Catholica? quàm multos crudeliter occidit meretrix ebria sanguine bonorum? Waldensium puta, Albingensium, Almaricanorum, Wiclefistarum, Hussitarum, Communellorum, Hugonottarum, Geusiorum. In omnibus

bus illis oderat constantem veritatis amorem.

XVII. Octava: Quia Servator fovere potius malas fruges, quàm exstirpare jussit. Rationem addit, quod malæ frugis exstirpatio conjuncta sit cum præsenti periculo, ne unà fruges bonæ exstirpentur, *Matth.* 13.29. 30.41. Hoc ergò vult: Converti posse aliquandò in melius, uti Paulo Apostolo accidit, uti plurimis aliis, ut benè exponunt Chrysostomus *homilia* 47. *in Matthæum*, Theophylactus *notis ibidem*. Excipiunt: Per malas fruges intelliguntur mali quicunque non verò soli hæretici, adeoque si valeret ista parabolæ expositio, nemo improbus puniri deberet à magistratu, quandò improbi omnes tolerantur à Deo; atqui hoc est contrà divinæ & humanæ justitiæ regulas. Constat inde, quoniam ager exponitur de mundo, *vers.* 38. non verò de Ecclesiâ, Cornelius à Lapide *commentariis ad h.l. pag.* 286 Beza *notis ad h.l. pag.* 68. Respondeo: Imò non quidem de quibusvis pravis hominibus, sed de hæreticis nunc agi, ostendimus argumento: Ubicunque Servator de semine loquitur, ibi notatur doctrina fidei, non verò morum. Atqui loco præsenti Servator de semine loquitur. Ergò notat doctrinam fidei, non verò morum. Accedit, quod regnum cœlorum agro comparetur, vers. 24. Atqui per agrum intelligitur Ecclesia. Quod dicitur, *agrum* esse mundum, exponitur per συνεκδοχὴν in literis sacris usitatam. Etenim colligitur Ecclesia in mundo, & de mundo. Ergò *mundum* nominando Servator illam *partem mundi* intelligit, quæ per seminis injectionem, hoc est, per verbi prædicationem, in regnum Christi Ecclesiam colligitur.

XVIII. Nec verbis tantum defendunt sanguinariam adversus hæreticos latam Legem, verum factis etiam comprobant animi feritatem. Notissimæ sunt orbe toto matutinæ Parisienses, Bartholomæi festo patratæ, ad omnem posteritatis memoriam infames. Gallis tum præerat Carolus IX. qui cum lacte materno hanc à Loiolitis magistris disciplinam perceperat, ut dejerare, pejerare, contumeliosè nomen DEI ciere, scortationibus indulgere, fidem, religionem, consilia dissimulare, vultum componere, ludum duceret, pacem daret. Atqui pacis tempore de novis insidiis cogitabatur ab illis, quorum intererat, piorum sanguine imbui terram. Papa cum Rege funesta consilia per literas conferebat de exscindendis Reformatis tunc videlicet, cum præsentes in nuptiis, quas Rex Henrico Burbonio & Margaretæ Vallesiæ, sorori suæ apparabat, Lutetiæ adessent. Galli destinatam laniénam, latronum turmas ducente Guisio, magnâ sævitiâ peregerunt, nobiles ignobiles, viri, fæminæ, senes, juvenes citrà delectum occisi multo sanguine imbuerunt omnes totâ Galliâ urbes, fide publicâ non obstante, non Regis verbo, qui peregrinis omnibus vitæ opumque securitatem spofponderat. Cadavera in lutum provoluta, ludibrium vulgi erant, opes direptæ sunt. Numerus cæsorum septuagintà millia, eratque inter hos Colignius Admiralis. Solus ille perfidorum ictibus præ cæteris appetitus, omninò mori debebat itaque nuper à Luparâ egressum, ut domum suam adiret, bombardâ feriebat Morvillius latrunculator, decumbentem è vulnere haud aspernatus ipse Rex invi-

h 2 sere

ſere, verbis compoſitis ad ſpem faciendam erigebat, vix dolorum memoria perierat, cum inter millium multorum ejulatus per viciniam ſtrepentes advolabant Guiſius, Engoliſmæus, Aumalius, unius mortis plures teſtes futuri, domoque effractâ imperabant Coſſenio tribuno, ut Colignium gladio foderet, cadaver projiceret. Hoc uſtulatum prius, deinde capite reſecto, ad patibulum ſuſpendebatur pedibus in altum ſublatis, donec ablatum noctu vili ſepulchro inferendum curaret Franciſcus Mommorancius. Ubi hoc Romæ auditum eſt, Papa decrevit ſupplicationes apud templa omnia pro effuſo Chriſtianorum ſanguine, & Rex cudi juſſit nummos argenteos cum hac inſcriptione: *Pietas excitavit juſtitiam.* Burbonio & Condeo vita donabatur, quoniam Regis agnati & propinqui eſſent ob recenter pactas nuptias, Thuanus *lib.* 52. *hiſtor.* Author vitæ *Caſparis Caſtilionæi Admiralii pag.* 187. *ſeq.* Robertus Jonſtonus *lib.* 1. *hiſt. Britannicarum pag.* 11. *ſeqq.* Julius Cæſar Bulengerus *lib.* 1. *hiſtor.* & nos ex illis in Recenſu hiſtoriæ univerſalis *lib.* 13. *cap.* 3. *diſt.* 30.

XIX. Anglicana illa pro ſubvertendâ Religione meliore conjuratio nonne ſcelus eſt humanam fidem omnem ſupergreſſum? Monachi ignem cœlitus devocandi impotes, flammas alias impetrare conabantur ab Archipyrobolario Satanâ, ut Regem, Reginam, Walliæ Principem, Regni Duces atque Comites, Nobiles & Civitatum delegatos, unâ ruinâ involvere inque aërem mittere poſſent, ſed facinus eo ipſo momento ferè, quo peragendum fuerat, evulgatum fuit. Catholicorum in Britannia Religioſorum principes, conſulti ab his, qui id facinoris deſtinabant, an fas eſſet magis ſontium turbæ paucorum inſontium truculentum exitiũ miſcere, reſponderunt, egregio in Eccleſiam bono etiam non merentes aliquos rectè impendi, hoc ipſum urbium obſeſſarum argumento firmantes. Complices erant Thomas & Robertus fratres Winteri, Robertus Catesbejus, Guido Faukes, Thomas Perci, Johannes Wrigth. Scelestorum unus Montaquilium Baronem occultis literis monuerat, ne Comitiis adeſſe vellent ipſe & cognati ejus, quæ improviſum ictum ſenſura eſſent, ut non videretur percuſſor. Id ſuſpicionem Regi ſagaci movit, ut periculum ſubeſſe crederet, quia literas perlectas ſedulò expendebat. Ejus juſſu ſcrutabantur apparitores cellam ſubterraniam Curiæ, ac viros horrendi operis cuſtodes, nitratum pulverem, fungos ad intervalla temporum diſpoſitos & lento tractu ardentes invenerunt. Faukes primarius horrendæ necis inſtrumentorum procurator ſtabat ad oſtium momentum temporis obſervaturus, quo commodè fieri poſſet fungorum excuſſio, viſus in loco obſcuro & deſerto novus hoſpes, comprehenditur, & crimen quod celare nequibat, ubi rerum teſtimonia præſtò erant, prodit, conſciosque nominat omnes. Trigintà ſex dolia erant pulvere nitrato plena, & per angulos plurimos diſtributa, injectis ſaxorum, ferramentorum, truncorum, ſarmentorum molibus, unde ictus poſſet validior eſſe. Sublatis fungis, ne pergerent ignem alere, diſpoſitisque excubitoribus ad januam cellæ, comitia extrà periculum fuerunt. Perduelles fugerunt, ſed partim in fuga cæſi, partim retracti & ad patibula igneſque damnati juſto ſupplicio perierunt. Garnettus Loiolita multa

multa olim & in Elisabetham ausus jus Papæ in regnum Regemq; extollere nimium solitus, ut Principi diris devoto non modò fidem obsequiumq; non deberi, sed cum juberetur, opponenda arma vel cum vitæ periculo dictitaret, rerum horrendarum conscius & approbator, de patibulo martyr factus, à sodalitatis ejus scriptore Eudemone Cretensi amplissima encomia retulit, Jacobus Rex *libro de conjuratione sulfuria*, Thuanus *lib.135. histor.* Grotius *lib.14. histor.* Emanuel Meteranus *lib.27. histor.* Robertus Jonstonus *lib.13. histor. Britanicarum pag. 418. seqq.* & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib.15. cap.3. dist.1.* Atqui hoc tàm scelestissimum scelus laudat venalicium Papæ mancipium Scioppius, imò verbi sacri testimonio corrobat, *in Classico belli sacri p. 21.* ubi ostendere vult, *Principes hæreticos à subditis suis jure trucidari.* Adfert exemplum Zambri Regis, qui ab æmulo suo Amri obsessus, cum domo regiâ seipsum Thirsæ incendit, 1. *Reg.* 16. 18. indè ad libri marginem annotat: *Quid ad hoc exemplum pulveraria illa Anglorum conjuratio?* Respon. Erat utique Zambri non tàm Rex, quàm Rege domino suo, interempto, Regni sceleratus invasor, cumq; nemo unquam imperium flagitio quæsitum bonis artibus exercuerit, ad tyrannidem seriò spectabat, itaque non potentia illi diuturna fuit, obsessus à populo, desperatis rebus, igni seipsum consumpsit. De Jacobo Rege omnia aliter fuerunt.

XX. *Instant* Bellarminus, Beza, Altingius (1.) Quod Lex Mosis pronunciat mortis sententiam adversus omnes, qui verum Dei cultum volebant corrumpere, Deut 13. 1. cap. 17. 12. cap. 18. 20. *Respondeo*: Leges istæ non amplius quadrant ad mores nostros, postquam Servator dicere voluit, *nescitis cujus spiritus filii estis*, Lucæ 9. 54. Erant tunc temporis idolorum cultores, unius Dei hostes qui populum vero unius Dei cultui obstrictum seducere poterant ad profanos malorum Geniorum cultus, adeoque non fuerunt illi hæretici, uti nunc quidem Orbis tolerat, sed blasphemi ac sediciosi, Dei & publicæ tranquillitatis hostes turbatores, digni qui capitis supplicio luerent nefarium scelus lege vetitum, & sub pœnâ tali interdictum, *Exodi* 22 20. *cap.* 32. 26. *seqq.* (2.) Quod exempla prostant Regum piorum, qui veri Dei insectatores & falsorum cultuum authores virâ mulctaverunt, 1. Regum 18. 40. 2. Regum 10. 1. cap. 23. 30. Esdræ 7. 25. Daniel. 3. 29. *Respondeo*: Qualis lex, talia exempla. Alia certè erat veteris populi ratio, alii mores erant, qui plurimum à nostris discrepant. Ubi enim hodiè in Ecclesiâ sunt malorum Geniorum cultores? ubi sunt profanorum cultuum prædicatores? Et quamobrem Judæi ipsi, cum Legem haberent, quæ suppliciis vitæ hujus sanciebatur, nunquam tamen pœnis subdiderunt Cuthæos, Herodianos, Saducæos, qui repudiabant dogma Resurrectionis, verissimum quidem, sed in Lege Mosis nonnisi obscurè & sub verborum aut rerum involucris traditum? *Menochius* reponit: Remissius tunc agebant, qui cathedram Mosis occupaverant, præsertim sub Idumæo Rege Herode, qui ad regni commoda Religionem referebat, parum moratus, quid variorum doctmatū assertores inter se contenderent, l.d. dist.4. *Resp.* Non tunc solum verum olim etiam remissius egerunt, hoc uno excepto, cum idolorū præco & Planeta-

rius impostor sese populo obtrudebat. Adversus hos data est Lex, non adversus alios, qui diversas opiniones aut cerimonias in religione sequebantur. Quoties tolerata sunt excelsa, etiam sub Regibus bonis? 1.*Regum* 14.23.*cap.*15.14. *cap.* 22.44. 2. *Regum.* 12.3.*cap.* 14.4.*cap.* 15.4. Quis non pertulit Essenos? Quis Cuthæum occidit? Quis Saducæum flammis injecit? Et tamen hi omnes fuerunt, antequam Herodes in Judæâ Rex erat. (3.) Ananias & Sapphira læsæ religionis damnantur & interficiuntur à Petro Apostolo, Actor. 5. 5. *Respondeo*: Crimen illud, quod eis impactum est, non erat hæresis; neque occidio per miraculum procurata erat supplicium à carnifice exactum. Tempore isto quo Magistratus extrà Ecclesiam constitutus jus puniendi sibi concessum ad purgandam tuendamque Ecclesiam non exercebat, Deus miraculo supplevit, quod in terris haberi nõ poterat. Inde est, quod apud Corinthios ob profanatum Dominicæ cœnæ mysterium, *multi ægrotarent, multi occumberent*, 1. Corinth. 11.30. Et quod alibi dicitur, *tradere Satanæ*, pœna inflicta fuit à miraculo, ut corpus torqueretur ab immundo spiritu, quale tormentum olim Rex Saulus post defectionem à Deo senserat, 1. *Samuel.* 16.14. *seqq. Corinth.* 5.5. 1. *Timoth.* 1.20. Ità interpretantur Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Theodoretus, Sedulius, Oecumenius, Theophylactus, Pacianus, quos sequitur Cornelius à Lapide *commentariis ad h. l.* Eodem pertinet, quod loco alio dicit, *utinam abscindantur qui vos turbant*, Galat. 5.12. Quod enim Chrysostomus, Theodoretus Hieronymus, Oecumenius, Cajetanus, & hos sequutus Benedictus Justinianus *commentariis ad h. l.* exponunt, *utinam deficientur*, id est, *viribus defectis prorsus careant materia super qua litigant*, hoc inquam est contrà gravitatem Apostolicam, uti benemonet Paræus *commentariis ad h. l. pag.* 372. Deus ad Ecclesiæ preces talia iræ suæ signa ostendebat sæpius, ut Apostolorum dignitatem conservaret. Deinceps temporum postquam Imperatores patrocinium Ecclesiæ susceperunt, quorum officium erat punire eos, qui Ecclesiæ pacem quovis modo turbarent, miraculosa illa pœnarum genera desiverunt. Apostolos imitamur tunc demũ, quandò secundum Leges ab eis præscriptas agimus, facta eorũ singularia cũm timore admiramur & veneramur (4.) Servator dicit, ut qui Ecclesiã audire nolit, profani hominis loco æstimetur, *Matth.* 18.17. Nimirum tradatur Regibus, ut morte puniatur, tanquam qui non sit Ecclesiæ filius. *Respondeo*: Servator agit de litibus civilibus quæque nobis adversus proximum nostrum facile oboriri possunt. De falsæ doctrinæ præconio nusquam mentio est, multò minus de ablatione capitis agitur. Publicani & pagani instar esse, est relegari à cætu piorum, *Lucæ* 7.34. *c.* 18.13. *Ephes.* 2.11.12. Hoc non stabilit pœnam capitalem. Cum hæreticus admonitus non volet mutare sententiam excludatur à cœtu, ejiciatur ab urbe. Hoc nunc in Ecclesiâ agit excommunicatio, quod olim agebat interfectio verissimè ait Augustinus *quæstionibus ad Deuteronomium lib.* 5. *cap.* 39. (5.) Quod hæretici sunt lupi rapaces, raptores, de ovili, itaque mortis pœnam commerentur, Matth 7.15. Actor. 20.29. *Respondeo*: Lupi sunt *μεταφορικῶς*, quatenus doctrinã falsã pervertunt animos eorum, qui temerè credunt omnia. Notantur ergò mores τῶν λ[illegible]

ne-

neque tamen indè sequitur, debere illos occidi quomodò occiduntur lupi. Vetant enim cum Servator, *Lucæ 9.59.* tum Apostoli, *2. Corinth. 10. 4.* (6.) Quod magistratus non habet gladium frustrâ, *Roman. 13. 4.* Ergò debet hæreticis, qui pacem turbant, inferre pœnam capitis. *Respondeo*: Agit Paulus de illis qui mala *agunt*. Atqui hæreticus *docet* mala, non agit. Qui mala *agit*, id est, facinoribus turbat societatem humanam plectitur meritò capite. Qui mala *docet*, admonetur erroris, & nisi paret, removetur à cœtu, *2. Timoth. 4. 2. Titi 3. 10.* Interest Ecclesiæ, ut pacis doctrina propagetur sine cæde & sanguine, & Deus honoretur cultu spontanio, *Psalm. 110. 3. Esaiæ 11. 6. 9. Ephes. 6. 15.*

CAPVT SEPTIMVM.

Diatriba singularis de Cruce.

SUMMARIA.

1. *Pœnæ capitales apud Judæos.*
2. *Crux ignota Judæis.*
3. *Petrus cruciarius.*
4. *Cruciarii obvelatio.*
5. *Cruciarii flagellatio.*
6. *Cruciarii abductio.*
7. *Cruciarii onus impositum.*
8. *Calvariæ mons.*
9. *Cruciarii elevatio.*
10. *Impalatio.*
11. *Crucis variæ species.*
12. *Crucis partes.*
13. *Crux inversa.*
14. *Crux altior.*
15. *Cruciarii potus.*
16. *Cruciarii vestimenta.*
17. *Custodes ad crucem.*
18. *Cruciarii titulus.*
19. *Cruces humiles.*
20. *Cruciarii interfectio.*
21. *Cruciarii sepultura.*

1. SPondani verba sunt: Apud Judæos homicidarum pœnam fuisse crucem, tradi Philo *libro de legibus specialibus*. Sed divina quadam dispensatione factum est, ut supplicium, quod Barabbæ duplici ex causâ debebatur, tum ut latroni, tum ut homicidæ, converteretur in Servatorem, cujus nulla esset mortis causa, ut Dei filius pro redemptione generis humani crucem subiret, quæ tàm apud Judæos, quàm etiam Gentiles insigne salutis esset. Hactenus ille *in Epitome Annalium pag. 32. num. 29.* Quod dicit, *crucem apud Judæos fuisse pœnam homicidarum*, sub examen vocabimus. Negant enim Josephus Scaliger *in animadversis Eusebianis pag. 109. seq.* Casaubonus *Exercitat. 16. dist. 77.* Petrus Faber *lib. 2. semestrium cap. 8.* Joh. Drusius *lib. 4. præteritorum pag. 97.* Joh. Gerhardi *in Harmonia Passionis cap. 13.* Georgius Calixtus *in Concordia Evangelica lib. 7. cap. 11.* Hugo Grotius *in Annotatis Evangelicis pag. 208.* Balduinus Walæus *commentariis ad Evangelia pag. 779.* Gerhardus Joh. Vossius in *Harmonia Evangelica lib. 2. pag. 241.* Constat, quod Lex Mosis, atque ex eâ derivata judicia, prout a Thalmudistis describuntur, solum quatuor supplicia enumerent in populo Judaico usitato, combustionem, lapidationem, gladium, strangulationem. *Combustio* quidem non fiebat ut corpus in cineres redigeretur, sed facinorosi os ferro aperiebatur, inde plumbum liquatum in fundeba-

batur, quo extra & intestina, exurebantur, corpore illæso. *Lapidatio* erat, cum lapidũ injectu opprimebatur intrà locum undique conclusum. *Gladio* feriebant cervicem. *Strangulabant*, quandò per sudarium collo injectum innectebant guttur, donec præfocaretur reus. Hæc relata sunt *in libro Sanhedrim cap.* 7. 1. *seqq.* & apud Mosem & Kotsi *in præceptis positivis num.* 248. & 365. quibus adde Johan. Cocchium *notis ad Sanhedrim pag.* 57. *seqq.* Wilhelmum Stikhardum *libro de Jure Regio Hebræorum pag.* 103. 104. Joh Leusden *in Philologo Hebræo dissertat.* 47. De Crucifixione apud Judæos nihil occurrit, sive legem spectes sive exempla. Primus atrocissimum ignominiæ supplicium istud adhibuit Alexander Hasamonæus, & octingentis crucibus totidem rebelles Judæos afflixit, non tàm secundum leges patrias, quàm ex usu Parthorum & Romanorum, quorum studia bellica tunc temporis in Oriente clarissima erant, Josephus *lib.* 13. *Antiquitatum cap.* 22. Totum ergò supplicium Romanorum est, flagellatio, suffixio in cruce, lateris suffossio, vestimentorum divisio. Parthi, Macedones, Pœni quoq; affigebant crucibus, hoc tamen cum discrimine quod apud gentes illas viri illustres perinde ut vilioris sortis homines pœnâ istâ necabantur, *Esdræ* 6.11. *Esther.* 7. 9. 10. Curtius *lib.* 4. *cap.* 15. Justinus *lib.* 9. & 18. *histor.* Herodotus *lib.* 1. *histor.* Romani servis tantum crucis supplicium irrogabant. Paulus Jure consultus lib. 5. sententiarum dist. 22. ait: *Si servi de Domini salute consuluerint Mathematicos, summo supplicio, id est, Cruce afficiuntur.* Itaque servile supplicium vocant Tacitus *lib.* 2. & 4. *histor.* Capitolinus *in vita Macrini cap.* 12. Vulcatius *in Avidio Cassio cap.* 4 Hinc illud servi fatum: *Noli minitari, scio crucem mihi futuram sepulchrum, ibi majores mei siti sunt, pater, avus, proavus, abavus*, Plautus in Milite glorioso Actu 2. sc. 4 Et consentit *Horatius*: Si quis eum servum, patinam qui tollere jussus, Semesos pisces, trepidumq; ligurrierit jus, In cruce suffigat, Labeone insanior inter Sanos dicatur. *Lib.* 1. *serm.* 3. Solebat irrogari quoque liberis, verum seditiosis, latronibus, fugitivis atque illis qui populum concitabant adversus magistratum, *l.* 38. §. 2. *ff. de pœnis*, Florus *l.* 3. *c.* 9. Valerius Maximus *l.* 2. *c.* 7. Cicero *Oratione pro Deiotaro*, & prolixè Marcellus Donatus *elucidationibus ad Tacitum pag.* 202. *seq.* Itaq; dicitur Act. 2. 23. διὰ χειρῶν ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλετε. Interfecistis eum crucifigendo; per Romanos qui ἄνομοι sunt, quod Dei Legem nullam observarent eodem sensu ἁμαρτωλοί, Mat. 27. 48. Marci 14. 41. Lucæ 26. 7.

II. Contendunt Baronius *Tomo* 1. *Annalium p.* 230. Justus *Lipsius l.* 1. *de Cruce cap.* 11. Gretserus *l.* 1. *de Cruce c.* 18. 19. Carolus Sigonius *lib.* 6. *de Republ. Hebræorum cap.* 8. Galatinus *lib.* 6. *de Arcanis Cathol. Verit. cap.* 8. Theodorus Beza *libro de Excommunicatione pag.* 107. Joh. Scarpius *part.* 1. *Cursus Theolog. pag.* 383. Cornelius à Lapide *commentariis ad Galat.* 3. 13. *num. marg.* 66 67. Matthias Stephani *lib.* 1. *de Jurisdictione cap.* 8. *num.* 11. *seqq.* Philippus Caroli *in Philologia sacra Dialogo* 3. Joh. Stephanus Menochius *lib* 8 *de Republica Hebræorum cap.* 2. *quæst.* 3. quod supplicium hoc fuerit è consuetudine Judæorum, eâ quidem observatâ differentiâ, ut Romani facinorosos clavis per manus ac pedes adactis suffixerint patibulo, Iudæi verò funibus alligaverint. Probare

bare conantur: (1.) Quod Moses jubente Deo Hebræorum primates ex arboribus suspendit, Numeror. 25. 4. *Resp.* Hebræi, quos suspendebant, eos primum jugulabant sive humi præfocarent nervo prostratos, uti hodienum Turci Mauri atque Indi facere consueverunt, sive lapidibus obruerent, inde cadavera ad lignum pendula ostentui exponebantur, eratque hujusmodi suspensio non tàm supplicium quam supplicii consequens, *Deuter.* 21. 22. *Josuæ* 10. 26. Thalmudistæ *in libro* סנהדרין *cap.* 6. *dum.* 4. Nec verum est, quod primates suspenderit, erantque in eo plurimi Interpretes. Verba sonant: *Assume omnes principes populi & suspende illos coram Domino.* Debebat Moses convocare principes, atque illis præsentibus judicium ferre contrà eos qui peccaverant. Pronomen *illos* referri debet ad populum, id est, qui è populo deliquerant, non verò ad Principes, uti claré exprimit Chaldæus Paraphrastes, atque sequuntur Vatablus & Grotius *in notis ad h. l.* (2.) Quia Reges Cananitarum suspenduntur in ligno, Josuæ 8. 29. cap. 10. 26. necnon posteri Saulis, 2. Samuel. 21. 9. *Resp.* Eo, quo dictum est, modo, nec enim vera erat strangulatio, multò minus erat crucifixio, sed cadavera ostentui exponebantur è patibulo. (3) Quia Paulus illud, maledictus qui pendet in ligno, Deut. 21. 22. applicat ad Christum crucifixum, Galat. 3. 13. *Resp.* Applicat per modũ analogiæ, quandoquidem suspensio de ligno est generale, aliquid, & potest accommodari furcæ, cruci, patibulo, palis acutis *Grotius* annotat: Apud Ebræos non erat pœna vel crucis vel patibuli, sed eorum qui ob gravia crimina, puta idololatriam, erant lapidati corpora patibulo suspensa, per aliquot horas erant ostentui populo, ut qui supplicio ipsi non interfuissent, eo conspectu à criminibus absterrentur: at si tàm contumeliosum erat, post mortem suspendi, multò certè contumeliosius erat crucis supplicium, quod & ipsum cum afflictione suspensionem conjunctam habet, atque Romanis moribus erat maximè infame, undè nomen Cruciarii, *ad h. l. pag.* 527. Eodem modo etiam Seneca Epist. 7. dicit, *latrones suspendi*, id est, crucifigi. Et illos quos Saraceni palis infurcaverunt, per sessum adactis, *crucifixos esse*, scribit Elmacinus *lib.* 2. & 3. *historiæ Arabicæ.* De Regulo apud Pœnos captivo Seneca: *Tàm vigilabit in pluma, quàm ille in cruce*, libro de providentia cap. 3. Atqui paulò anteà dixerat, Regulum in machinâ religatum, & resectis palpebris necatum esse perpetuâ vigiliâ. Quæ eadem referunt Appianus *in Punicis* & Cicero *in Pisoniana.* Neque tamen Seneca memorat solus Reguli crucem, verum etiam Florus *lib.* 2. *historiæ Romanæ cap.* 2. Silius Italicus *lib.* 6. *de bello Punico secundo*, & rursum Seneca *Epist.* 48. ubi annotat Lipsius: *potuit post illa tormenta in crucem pro more Pœnorum sublatus esse.* Hæc ille. Atqui non dubito, quin ipsam illam machinam ligneam ferreis clavis præfixam & supplicio Reguli comparatam, isti authores *crucem* dixerint, namque Crux quid aliud est quàm machina lignea, cui ferreis clavis affigerentur damnati? Epist. 67. *arcam Reguli* appellat. Prorsus eadẽ in hoc negocio *sunt machina, crux, arca.* Audacius multò declamator ille apud Marcum Senecam *Controversia* 3. *lib.* 1. crucem apellat saxum Tarpejum, *quod* ait, *in ista cruce Vestam nominaverat.* Manilius de Andromedâ: *Adstrinxere pedes scopulis, injectaque vincla. Et cruce virginia moritura puella pependit*, lib. 5. Astronomiæ. σταυρὸν Lucia-

 nus

nus vocat montem Caucasum, in quo Prometheus erat alligatus pro supplicio.

III. Locus est Johan. 21.18. *Postquam senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget ac transferet quò noles.* Petro mortem in cruce defungendam prædicit Servator. uti rectè exponunt Josephus Scaliger *notis ad Novum Testam pag. 5. 6.* Grotius *in annotatis Evangelicis pag. 1029.* Balduinus Walæus *commentario perpetuo ad Evangelia pag. 1011. 1012.* Romæ crucis candidatus, postquam flagellis cæsus fuerat, manibus dispessis & ad patibuli cornua deligatis, per urbem circumferebatur, & ex diutinâ traductione illâ tandem extrà portam Esquilinam in Campo Martio uni è crucibus, quæ multa eo loco distributa erant, suffigebatur nudus, clavis per manus (jam ope funium revinctas) pedesque adactis. Et quanquam Beza *annotatis ad Johannem pag 447.* Calixtus *in Concordia Evangelica lib. 7. cap. 6.* contendant, dicendi genus à Christo usurpatum communius esse, neque ad crucis supplicium præcisè applicari posse, errant tamen, & satis eos convincunt verba manifesta collata cum *Johan.* 13.36. Quod enim dicitur, *extendes manus tuas*, constat dicere, manibus dispessis patibulum quod gestabat, amplexurum, uti loquitur Plautus in milite glorioso: Et idem in Persâ: *manus vobis dono.* Et ibidem: *dabis sub furcis*, id est, extendes, quod proprium crucis est, *ἐκτείνας σεαυτὸν ὡς οἱ ἐςαυρωμένοι*, ait Epictetus *lib. 4. dissertat. cap. 26.* Sequitur, *& alius te cinget.* Cinctio illa vinculorum in patibulo est, ut corpora firmius atq; cum adminiculo penderent. Denique est, *transferet quò nolis.* Circumlationem & traductionem per ora populi intelligit, ut Marci 15.20.22. Ergò verbis illis *ποίῳ θανάτῳ* supplicium notat, quo Petrus damnatus est, in quo manus extenduntur, videlicet crucem. Persequemur ista latius, illo ordine quo succurrunt in historiâ Passionis.

IV. Primum est: *operuerunt faciem ejus.*] Marci 14. 65. Caput obnubere illi in quem sententia mortis vel recitata erat, vel recitanda esse certò, sciebatur, solebant Romani & populi alii, uti diximus *lib. 2. Antiquitatum Romanarum cap. 7. dist. 2.* Horribile carmen erat: I lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato intrà vel extrà pomerium, infelici arbore suspendito, Livius *lib. 1. histor.* Scilicet, dum verberabantur, namque deinde cum ad supplicii locum ibant cruciarii, oculos ejus recludebant, *Lucæ 23.28. seqq.*

V. Secundum est: *Jesum flagellavit.*] Matth. 27.26. Marci 15.15. Erat pars horrendi carminis, *verbera intrà vel extrà pomerium.* Cæterùm & Judæi flagellabant, non tamen alios, nisi quos ità cæsos dimittebant citrà supplicium capitale, *Deut.* 25.2.2. *Corinth.* 11 25. Josephus *lib. 4. Antiquit. Judaic. cap. 8.* Ad hunc morem respicit Pilatus ergà Jesum Nazarenum hactenus mitis, *παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω*, Lucæ 23. 16. Alii verberabant eos, qui deinde vel gladio cæsi vel in crucem acti peribant. Livius de servis conjuratis, *multi occisi, multi capti, alii verberati, crucibus affixi*, lib. 30. histor. Verberati, id est, flagris percussi. De Judæis suis Josephus, *μαστιγούμενοι καὶ προβασανιζόμενοι τοῦ θανάτου πᾶσαν αἰκίαν, ἀνεσταυροῦντο*, lib. 5. de bello Judaico cap. 32. Curtius de Alexandro: *Omnes verberibus affectos sub ipsis radicibus*

bus petræ crucibus jussit affigi, lib. 8. histor. cap. 11. Seditiosorum militum exempla, qui primum virgis cæsi, inde securibus percussi fuerint, narrat Livius *lib. 2. & 28. histor.* De Antigono Hasamonæo, quem vivum ceperat Antonius ità refert Dion Cassius, ἀντίγονον ἐμαςίγωσε ςαυρῷ προςδήσας, καὶ μετὰ τοῦτο ἀπέσφαξε, lib. 49. histor. Ejus authoritate inducti Baronius, & ex illo Spondanus *in Epitome Annal. pag. 2.* Petrus Seguinus *libro de numismatis antiquis pag. 83.* scribunt, *Antigonum esse fustibus cæsum & cruci alligatum.* Atqui ςαυρὸς in verbis Dionis est *palus*, erectum lignum, quam vocabuli esse propriam notionem, dudum observavit Eustathius *in scholiis Homericis*, & confirmat versus Homeri, ἀμφὶ δὲ οἱ μεγάλην αὐλὴν ποίησαν ἀνάκτι, ςαυροῖσι πυκινοῖσι, lib. 22. Iliad. Itaque ἀποςαυροῦν apud Thucydidem *lib. 1. 2. 4. 6. 7.* Xenophontem *lib. 4.* ἑλλη(νι)κῶν est palis cingere, vallos in circuitu figere. Vertere debuisset Baronius, *ad palum deligatum*, quomodò erat in horrendo carmine, *deliga ad palum morte affice*, Livius lib. 1. histor. Nimirum de illis qui securi percutiebantur. Tria verbis distinctis ponit Dion, μαςίγωσιν virgas, ςαυρῷ πρόσδεσιν deligationem ad palum, ἀποσφαγὴν mactationem. Postquam virgis cæsus fuerat, securi percussus est, ut prodit, Josephus *lib. 15. Antiquitatum cap. 2.* ἀντίγονον τὸν ἰουδαῖον πελεκίσαι παραγαγὼν ἐπελέκισεν, ait Plutarchus *in vita Antonii*. Puto huc referri debere illud *Plauti*: O carnificinum cribrum, quod credo fore, Ità te forabunt patibulatum per vias Stimulis, si noster huc reveneritsenex *In Mostellaria Actu 1. sc. 1.* De stimulis propriè dictis interpretantur Taubmannus *in commentariis h. l. pag. 531.* & Lipsius *lib. 2. de Cruce cap. 6.* Sed opus non est, quandò μεταφορικῶς ità appellat virgas, quibus propellebantur Cruciarii, ut eò alacrius progrederentur in viâ, uti boves stimulis invitantur ad promovendum jugum. *Nudi* & femoralibus cincti ibant ad supplicii locum, itaque in viâ ipsâ & sub furcâ cædebantur destrictis flagris, uti de Chærea tribuno refert Josephus *lib. 19. Antiquitat. cap. 5.* Alias ad crucem vestiti ibant, quandò prius in carcere fuerant concisi flagris, quod etiam Jesu Nazareno accidit. Flagra illa in partem magnam supplicii venerant à temporibus Hostilii Regis, qui Metium desertorem hoc dolorum genere exercuerat, teste Dionysio Halycarnassæo *lib. 5. Antiquit.*

VI. Tertinm est: *Et abduxerunt eum.*] Matth. 27. 31. Marci 15. 20. Lucæ 23. 26. Iohan. 19. 16. Per vias trahebant ostentui. Dionysius Halycarnassæus δι᾽ ἀγορᾶς αὐτὸν μαςιγούμενον ἐαίλειεν ἕλκειν, lib. 7. Antiquit: *Arnobius*: Servum pessimè meritum per Circi aream mediam traduxisse cęsum virgis, & ex more mulctavisse post patibuli pœnâ, *lib. 7. advers. gentes.* Plautus in milite glorioso: *Credo ego tibi esse eundem extrà portam dispessis manibus, patibulum cum habitis*, Actu 2 scen. 4. Locus est Hebr. *6. 6.* ἀνασαυροῦντες ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντας. Conjugit ἀνασαυροῦν & παραδειγματίζειν, nimirum hoc est quod dicitur, per ora populi differre & ostentui exponere. Sensus est: Qui veritatem à Servatore promulgatam & semel perceptam, deinde repudiat, ostendit eo ipso, credere se, quod Servator fuerit impostor, ac proindè dignus, qui in crucem ageretur, & populi ludibrio exponeretur.

nus vocat montem Caucasum, in quo Prometheus erat alligatus pro supplicio.

III. Locus est Johan. 21.18. *Postquam senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget ac transferet quò noles.* Petro mortem in cruce defungendam prædicit Servator. uti rectè exponunt Josephus Scaliger *notis ad Novum Testam pag.* 5. 6. Grotius *in annotatis Evangelicis pag.* 1029. Balduinus Walæus *commentario perpetuo ad Evangelia pag.* 1011. 1012. Romæ crucis candidatus, postquam flagellis cæsus fuerat, manibus dispessis & ad patibuli cornua deligatis, per urbem circumferebatur, & ex diutinâ traductione illâ tandem extrà portam Esquilinam in Campo Martio uni è crucilibus, quæ multa eo loco distributa erant, suffigebatur nudus, clavis per manus (jam ope funium revinctas) pedesque adactis. Et quanquam Beza *annotatis ad Johannem pag* 447. Calixtus *in Concordia Evangelica lib.* 7. *cap.* 6. contendant, dicendi genus à Christo usurpatum communius esse, neque ad crucis supplicium præcisè applicari posse, errant tamen, & satis eos convincunt verba manifesta collata cum *Johan.* 13.36. Quod enim dicitur, *extendes manus tuas*, constat dicere, manibus dispessis patibulum quod gestabat, amplexurum, uti loquitur Plautus in milite glorioso. Et idem in Persâ: *manus vobis dano.* Et ibidem: *dabis sub furcis*, id est, extendes, quod proprium crucis est, ἐκτείνας σεαυτὸν ὡς οἱ ἐσταυρωμένοι, ait Epictetus *lib.* 4. *dissertat. cap.* 26. Sequitur, *& alius te cinget.* Cinctio illa vinculorum in patibulo est, ut corpora firmius atq; cum adminiculo penderent. Denique est, *transferet quò nolis.* Circumlationem & traductionem per ora populi intelligit, ut Marci 15.20.22. Ergò verbis illis ποίῳ θανάτῳ supplicium notat, quo Petrus damnatus est, in quo manus extenduntur, videlicet crucem. Persequemur ista latius, illo ordine quo succurrunt in historiâ Passionis.

IV. Primum est: *operuerunt faciem ejus.*] Marci 14. 65. Caput obnubere illi in quem sententia mortis vel recitata erat, vel recitanda esse certò, sciebatur, solebant Romani & populi alii, uti diximus *lib.* 2. *Antiquitatum Romanarum cap.* 7. *dist.* 2. Horribile carmen erat: I lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato intrà vel extrà pomerium, infelici arbore suspendito, Livius *lib.* 1. *histor.* Scilicet, dum verberabantur, namque deinde cum ad supplicii locum ibant cruciarii, oculos ejus recludebant, *Luca* 23.28. *seqq.*

V. Secundum est: *Jesum flagellavit.*] Matth. 27.26. Marci 15.15. Erat pars horrendi carminis, *verbera intrà vel extrà pomarium.* Cæterùm & Judæi flagellabant, non tamen alios, nisi quos ità cæsos dimittebant citrà supplicium capitale, *Deut.* 25.2.2. *Corinth.* 11. 25. Josephus *lib.* 4. *Antiquit. Judaic. cap.* 8. Ad hunc morem respicit Pilatus ergà Jesum Nazarenum hactenus mitis, παιδεύσας οὖν αὐτὸν ἀπολύσω, Lucæ 23. 16. Alii verberabant eos, qui deinde vel gladio cæsi vel in crucem acti peribant. Livius de servis conjuratis, *multi occisi, multi capti, alii verberati, crucibus affixi,* lib, 30. histor. Verberati, id est, flagris percussi. De Judæis suis Josephus, μαστιγούμενοι καὶ προβασανιζόμενοι τοῦ θανάτου πᾶσαν αἰκίαν, ἀνεσταυροῦντο, lib. 5. de bello Judaico cap. 32. Curtius de Alexandro: *Omnes verberibus affectos sub ipsis radicibus*

bus petræ crucibus jussit affigi, lib. 8. histor. cap. 11. Seditiosorum militum exempla, qui primum virgis cæsi, inde securibus percussi fuerint, narrat Livius *lib. 2. & 28. histor.* De Antigono Hasamonæo, quem vivum ceperat Antonius ità refert Dion Cassius, ἀντίγονον ἐμαστίγωσε σταυρῷ προσδήσας, καὶ μετὰ τοῦτο ἀπέσφαξε, lib. 49. histor. Ejus authoritate inducti Baronius, & ex illo Spondanus *in Epitome Annal. pag.* 2. Petrus Seguinus *libro de numismatis antiquis pag.* 83. scribunt, *Antigonum esse fustibus cæsum & cruci alligatum.* Atqui σταυρὸς in verbis Dionis est *palus*, erectum lignum, quam vocabuli esse propriam notionem, dudum observavit Eustathius *in scholiis Homericis*, & confirmat versus Homeri, ἀμφὶ δὲ οἱ μεγάλην αὐλὴν ποίησαν ἄνακτι, σταυροῖσι πυκινοῖσι, lib. 22. Iliad. Itaque ἀποσταυροῦν apud Thucydidem *lib.* 1. 2. 4. 6. 7. Xenophontem *lib.* 4. ἐλληνικῶν est palis cingere, vallos in circuitu figere. Vertere debuisset Baronius, *ad palum deligatum*, quomodò erat in horrendo carmine, *deliga ad palum morte affice*, Livius lib. 1. histor. Nimirum de illis qui securi percutiebantur. Tria verbis distinctis ponit Dion, μαστίγωσιν virgas, σταυρῷ προσδέσει deligationem ad palum, ἀποσφαγὴν mactationem. Postquam virgis cæsus fuerat, securi percussus est, ut prodit, Josephus *lib.* 15. *Antiquitatum cap.* 2. ἀντίγονον τὸν ἰουδαίων βασιλέα πελέκει ἐπελέκισεν, ait Plutarchus *in vita Antonii.* Puto huc referri debere illud *Plauti*: O carnificinum cribrum, quod credo fore, ità te forabunt patibulatum per vias Stimulis, si noster huc revenerit senex *In Mostellaria Actu* 1. *sc.* 1. De stimulis propriè dictis interpretantur Taubmannus *in commentariis h. l. pag.* 531. & Lipsius *lib. 2. de Cruce cap.* 6. Sed opus non est, quandò μεταφορικῶς ità appellat virgas, quibus propellebantur Cruciarii, ut eò alacrius progrederentur in viâ, uti boves stimulis invitantur ad promovendum jugum. Nudi & femoralibus cincti ibant ad supplicii locum, itaque in viâ ipsâ & sub furcâ cædebantur destrictis flagris, uti de Chærea tribuno refert Josephus *lib.* 19. *Antiquitat. cap.* 5. Alias ad crucem vestiti ibant, quandò prius in carcere fuerant concisi flagris, quod etiam Jesu Nazareno accidit. Flagra illa in partem magnam supplicii venerant à temporibus Hostilii Regis, qui Metium desertorem hoc dolorum genere exercuerat, teste Dionysio Halycarnassæo *lib.* 5. *Antiquit.*

VI. Tertium est: *Et abduxerunt eum.*] Matth. 27. 31. Marci 15. 20. Lucæ 23. 26. Iohan. 19. 16. Per vias trahebant ostentui. Dionysius Halycarnassæus οἱ ἀγορᾶς αὐτὸν μαστιγούμενον ἐκέλευεν ἕλκειν, lib. 7. Antiquit: *Arnobius*: Servum pessimè meritum per Circi aream mediam traduxisse cæsum virgis, & ex more mulctavisse post patibuli pœnâ, *lib.* 7. *advers. gentes.* Plautus in milite glorioso: *Credo ego tibi esse eundem extrà portam dispessis manibus, patibulum cum habetis*, Actu 2 scen. 4. Locus est Hebr. 6. 6. ἀνασταυροῦντες ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντας. Conjungit ἀνασταυροῦν & παραδειγματίζειν, nimirum hoc est quod dicitur, per ora populi differre & ostentui exponere. Sensus est: Qui veritatem à Servatore promulgatam & semel perceptam, deinde repudiat, ostendit eo ipso, credere se, quod Servator fuerit impostor, ac proindè dignus, qui in crucem ageretur, & populi ludibrio exponeretur.

VII. Quartum: *Et bajulans crucem suam exivit.*] Johan. 19. 17. Romani eo supplicii genere animadvertebant in homines obscuros & despicabiles, uti dictum est *suprà dist.* 1. Perinde Christus homo non Romanus, & ut ipsis videbatur, vile caput, non alio mortis genere affici potuit quàm crucis. Cruciarii ipsi ferebant sibi crucem, id est, partem ejus nimirum furcam seu antennam, partem de cruce compactâ. Plutarchus *libro de sera numinis vindicta*, τῷ σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος τῶν κακούργων ἐκφέρει, τὸν αὐτοῦ σταυρόν. Plauti verba in eundem sensum vide *suprà dist.* 6. Inscitè verò Christum σταυροφόρον pingunt homero-tenus, cum brachia in antennâ deligata non pingant. Scribit *Menochius*: Hoc tamen onere, ut ad montem Calvariæ vivus perveniret, Christus levatus est, nam imposuerunt crucem Simoni, ut portaret illam post Iesum, Lucæ 23. 26. in quæ verba ait *Cajetanus*: Christus ferebat illam in anteriori parte, Simon in posteriori, atque ità ibat post Jesum. *Sic ille.* Sed verius est, aliquamdiu Christum solum gestavisse crucem moxque eidem suffectum Simonem, qui solus etiam illam portavit, *l. d. quæst.* 6. Respondeo: Furcam portaverat hactenus Christus, atque cum viribus fractus fortè non amplius progredi posset, illam deinde Simoni imposuerunt donec in Golgothâ ademptam Simoni denuò religarent ad Iesu tergum, ut eâ advinctus elevaretur in crucile. Error *Cajetani* est, qui putat crucile etiam portatum fuisse, id quod viribus humanis repugnat.

VIII. Quintum: *Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha.*] Matth. 27. 33. Marci 15. 22. Lucæ 23. 33. Iohan. 19. 17. De Golgothâ mentionem quoque faciunt Hebræi *in Zoar.* Pictores sub cruce Christi deformare solent calvariam, nempè Adami esse putatur, ut ex Alberto Magno annotat Ioh. Molanus *libro de Imaginibus cap.* 78. Traditio Veterum est, Adamum sepultum esse in monte Calvariæ, ubi Christus in crucem actus exspiravit. *Ibi erectus est medicus, ubi jacebat ægrotus*, ait Augustinus Serm. 71. de tempore. Verum de hac re meritò dubitat Hieronymus *commentariis ad Ephes.* 5. 14. & adversus Nonnum Panopolitanum rectè disserit Heinsius *in Aristarcho sacro c.* 9. Notatio est à Rad. גלל *volvit*, inde cum Syriacâ terminatione in fine pro venit גלגלתא *craniorum mons*, non quod Adami calvaria ibi tumulata esset, sed quod ibi facinorosi vitâ mulctarentur, ut benè monent Jansenius *in Concordia Evangelica cap.* 143. Grotius *in notis Evangelicis pag.* 485. Vossius *in Harmonia Evangelica lib.* 2 *pag* 357. *seqq.* Excipiunt: Supplicium istud apud Hebræos nec lege sancitum nec consuetudine invenimus approbatum, quod gladio ferirent, Spontanus *in Epitomâ Annalium pag.* 33 Jacobus Gretserus *lib.* 1. *de Cruce cap.* 18 Respondeo: Contrarium est verum, secundum expressam literam Thalmudis, *suprà dist.* 1. & exempla, 1. *Regum* 2. 25. 34. 46. 2. *Regum* 10. 7. Tum quoque post subactam à Romanis Iudæam gladio puniverunt reos, uti patet, *Matth.* 14. 10. *Actor.* 12. 2.

IX. Sextum: *Et crucifixerunt eum.*] Matth. 27. 35. Marci 15. 25. Lucæ 23. 33. Ioh. 19. 18. Servator ità prædixerat olim, *ego si exaltatus fuero à terris, omnes traham post me ipsum*, Ioh. 12. 32. 33. Intelligit τὴν σταύρωσιν. & cum addit, πάντας ἑλκύσω, notat quod sententiâ judicis in se animadvertendum esset. Qui enim ad supplicium abducuntur, omnes ad spectaculum illud trahunt. Simul ad

cru-

crucem ventum erat, ſpoliabant hominem, & ſic in eam dabant. Artemidorus: σταυροῦσθαι ἀγαθὸν τῷ πένητι, καὶ γὰρ ὑψηλὸς ὁ σταυρωθεὶς, τοὺς δὲ πλουσίους βλάπτει, γυμνοὶ γὰρ σταυροῦνται, *lib. 2. Onirocriticorum cap.* 58. Ergò nudi in crucem dati ſunt: jacentem verò illam, an verò erectam? Quod in erectum crucile allevati ſunt plerumque haut poſſunt negare Lipſius *lib. 2. de Cruce cap.* 8. Menochius *l. d. quæſt.* 10. attamen fuiſſe in crucem jacentem datos quandoque probare conantur: Pro jacente dicunt vetera *Acta de Pionio Martyre*: Ultrò ſe veſtimentis ſpoliavit, & in cœlum ſuſpiciens, ac Deo gratias agens, ſuper lignum ſeipſum extendit, militique tradidit, ut clavis configeretur. Satis clarè, atque etiam mox clarius: Eum igitur ligno fixũ erexerunt. Dici nihil poteſt quin fixio hic in jacente facta fuerit, quæ poſt erecta. Et ratio etiam aliqua ſuadet: Nonne enim facilius hominem ſic affigere ſupinum & inclinatum, quàm tollere in erectam, pendulum, labentem vacillantem? *Hæc illi.* Sed non credo uſurpatam iſtam in jacente cruce fixionem, niſi præter morem, & exempla puto nulla exſtare, niſi cum fortè manus Scriptorum in referendo aberravit, quod in Veterum actis ſolenne eſt. Attamen hæc de Pionio relatio non obſtat. *Super lignum ſeipſum extendit*, tunc cum ſtaticulo inſedit ultrò, ac manus ad patibuli cornua religatas clavis inſuper figendas obtulit. *Et eum ipſum ligno fixũ erexerunt*, videlicet crucifixum applicuerunt palo arrectario. Non etiã quod palum erexerint deinde, uti quidem putat Lipſius. Ratio ejuſdem nihil perſuadet. Facillimum erat hominem in ſtaticulo ſedentem, atque expaſſas manus præbentem clavis figere. Tantò difficilius hoc videri poterat Lipſio, quod ille ſtaticulum ignorat, potuerat verò addiſcere ex Irenæo, qui Crucem ità deformat: *Ipſe habitus crucis fines & ſummitates habet quinque, duos in longitudinem duos in latitudinem, & unum in medio, ubi requieſcit qui clavis configitur*, l. 2 adverſ. gentes c. 42. Hæc verba Irenæi adducit ipſe *l. 2. de Cruce c.* 10. & porrò addit illa Iuſtini Martyris, καὶ τὸ ἐν τῷ μέσῳ πηγνύμενον ξύλον ὡς κέρας καὶ αὐτὸ ἐξέχον ἐστιν, ἐφ᾽ ᾧ ἐποχοῦνται οἱ σταυρούμενοι. Verum ſenſum nõ vidit ſuppedanio intricatus, quod ipsũ tamẽ an credat, an repudiet, certò ſecum ſtatuere haut poteſt. Cæterum de ſtaticulo plura dicemus *infrà diſt.* 12. ubi eſt de Crucis partibus. Cicero pro Rabirio: *In campo Marcio crucem ad civium ſupplicium figi & conſtitui jubes.* Stabat ergò jam defixa, dum cauſa diceretur & Cruciarium ſuum expectabat. Ioſephus de Iudæo quodam à Romanis capto, ὁ δὲ Βάσσος προσέταξε καταπηγνύναι σταυρὸν, ὡς αὐτίκα κρεμῶν τὸν Ἐλεάζαρον. Statui primùm, deinde ſuffigi. Idem cognoſcimus ex illo Titi Quintii epigrammate in Alcæum Poëtam, ἄφλοιος καὶ ἄφυλλος, ὁδοιπόρε, τῷδ᾽ ἐπὶ νώτῳ Ἀλκαίῳ σταυρὸς πήγνυται ἠλίβατος. Fronde libroque carens ſuper iſto monte viator, Ut crux Alcæo figitur alta, vides.

X. Erant cruces aliæ ſimplices, aliæ compactæ. Simplices habebant tantum palum arrectorium, ad quem facinoroſus clavis manus pedeſque affixus pendebat, uti docet Lipſius *lib. 1. cap.* 5. Quanquam crediderim talem crucem pingi magis à Lipſio, ac ut defendat exemplis. *Cæterùm eò pertinet Crux acuta*, uti vocat Seneca Epiſt. 101. ubi ſunt verba Mecænatis, quæ ità legit Joh. Frid. Gronovius: *Vita dum ſupereſt, benè eſt, Hanc mihi vel acuta Si ſedeam cruce ſuſtine.* Quod verò Lipſius animi anceps ve-

hunc sensum longè optimum, obscuris quibusdam conjecturis ductus incertum facere (*notis ad l.1. de Cruce pag.83.* omninò frustrà est. *Dicit*: Seneca velut interpretans subdit, suffigas licet & acutam sessuro crucem subdas, est tanti vulnus suum premere & patibulo destrictum pendere. Atqui pendere & patibulo quidem vix est, ut conveniat in crucem acutam. *Sic ille.* Convenit optimè, quandò patibulum usurpat de unico ligno etiam, in quo homo quomodocunque expansus dolorosam vitam trahit, moriturus tunc cum supplicii exactor jusserit. Et quare non dicatur aptè *pendere*? Namque velut sedendo pendet cruciarius, quandò in pali vertice retinetur ne prolabatur ultrà. Porrò quod Dilherrus *libro de crucifixione Jesu Christi pag.57.* Georgius Calixtus *in prælectionibus de Cruce pag. 4.* Joh. Henricus Meibomius *libro de vita Mecænatis cap. 24. num. 20. 21.* interpretantur acutam crucem de illo qui insidet crucifixus staticulo prominenti à crucis arrectario stipite, illud, inquam, inconveniens omninò est, ac repugnat literæ manifestæ. Sedebant in acutâ cruce, qui palo adacto per sessum ità inhærebant fixi, ut ne in terram proruerent. Hanc eandem indigitat Arnobius verbis illis, *ne velut trabalibus clavis affixi corporibus hereatis*, lib. 2. pag 51. Trabales clavos de palis adactis per corpora noxiorum explicat Elmenhorstius *in notis pag.70.* Describit *Seneca*; Cogita hoc loco carcerem & cruces, & eculeos & uncum, & adactum per medium hominem, qui per os emergat, stipitem, *Epist. 14.* Notanter, *qui per os emergat*, inde Lipsius *lib. 1. de Cruce cap. 6.* pingit, ut cuspis ferrata transadacta cruciario per sessum, emineat sursum per os. Corrigit Fontanus Responso de Cruce, *non ex ore quidem, uti pingitur apud Lipsium, sed ex humero*, pag 8. Atqui Lipsium tuentur manifesta verba Senecæ, & fieri potest, ut alibi per os, alibi per humeros extrusa cuspis infigeret palo miserum. Ex humero protrudunt hodiè Turci, neutro modo Europæi, sed hi palum ità adigunt per corporis interiora, ut caput perforet, doloremq; citius finiat. Rursum *Seneca*: Video istic cruces, nec unius generis, sed aliter ab aliis fabricatas. Alii capite converso in terram suspenderunt, alii per obscena stipitem egerunt, *Consolat. ad Marciam cap* 20. De crucibus inversis plura dicemus *infrà dist. XIII.* Ad hoc crucis genus referri debet illud Pauli sensu figurato prolatum, *σκόλοψ τῇ σαρκὶ ἐδόθη μοι* *2. Corinth. 12: 7.* *σκόλοψ* hic est crux, itaque Lucianus *in Peregrino* vocat Jesum Nazarenum *τὸν ἀνασκολοπισθέντα σοφιστήν*. Quem crucifixum scimus.

XI. De compactâ disserit *Menochius*: Compacta erat triplex, decussata, commissa & immissa. *Decussata* est, in quâ duo ligna inter se obliquantur, & ità componuntur, ut figuram literæ (X) exhibeant. Vocatur quoque *Crux Andreana*, quoniam Divus Andreas hujus generis cruci affixus est. *Commissa* illa est, in quâ ligno uni erecto aliud brevius superimponitur, ità ut exhibeat formam literæ (T) majusculæ. *Immissa* illa est, in quâ lignum longum, vel stipes suprà lignum transversarium eminet, (†) quæ eminentia crucem hanc distinguit à commissa. Hinc intelligitur, cur apud Ezechielem *cap. 49. 4.* dixerit Dominus Angelo: *Transi per mediam civitatem Jerusalem, & signa Thau super frontes virorum gemen-*

mentum. Voluit Dominus pios illos munitos signo crucis, quæ literæ ejus figuram habuit apud Hebræos, & Christi sanguine deinde consecrata est, ut intelligerent vi crucis salutem sibi parari. Testatur *Hieronymus*, antiquis Hebræorum literis, quibus usque hodiè Samaritani utuntur extremam Thau crucis habere figuram, quæ in Christianorum fronte pingatur, & frequenti manus inscriptione signetur, *commentario ad cap. 9. Ezechielis.* Hactenus Menochius *l. d.* secutus Justum Lipsium *lib. 1. cap. 7* Gretserum *lib. 1. cap. 1.* Respondeo: Crux decussata est fabula, ac solo Andreæ supplicio nititur. Non parum dubitat Lipsius de istis Actis, & fabulosa plurima addita esse, fatetur Spondanus *in Epitoma Annalium pag. 124. num. 13.* Commissa perindè confingitur, ut evincunt rationes, tum quod crux omnis præferebat elogium, itaque in Constantini Imperatoris nummo, quem commentariis illustrant *Josephus Scaliger* & *Marquardus Freherus*, exprimitur Crux immissa, id est, quæ titulum habet; tum quod non poterat ex illâ cruciarius patibulo alligatus appendi Pingit quidem Lipsius, ut factum sit per crenam in verticis summitate. verum oppidò patet, esse figmentum. Immissa unice Crux fuit ubi ad verticē erat positum elogium, & paulò infrà verticem erat ramus ab scissus, paxilli vice, in quo antenna suspensa dirigebat cruciarium, ut subsideret ad staticulum. De loco Ezechielis constat, Thau ibi valere nominaliter, ut dicatur *signum*, quomodò Ariæ-Montanus expressit Notionaliter accipit Hieronymus, ut litera Thau fuerit hominum frontibus inscripta, quæ formam crucis repræsentat in veterum Phœnicum & Hebræorum Alphabeto, quod ab illo describunt Hieronymus de Prado, Cornelius à Lapide, Jacobus Tirinus Wilhelmus Estius *annotatis ad Ezechielem p. 570.* Validè autem redarguunt Josephus Scaliger *in Animadversionibus Eusebianis pag 109. 110.* Casaubonus *in Exercitat. 16. 78* Johan Michael Dilherrus *Tomo 1. Disputationum Philologicarum p. 51.* negantque, ità esse in Alphabeto. Si Hieronymus, ait *Scaliger*, consuluisset Alphabethum Samaritanum aliter pronunciasset, neque secutus esset fidem Origenis, qui neque ipse viderat, sed aliena fide id scribebat. Visuntur quidem hodiè Sicli, qui quotidiè Ierosolymis effodiuntur, & sub Regibus Juda in usu fuerunt. In illis nummis eædem literæ incusæ sunt, quæ in scriptis Samaritanorum leguntur sine ulla vel exigua mutatione, & putare veterum Hebræorum alias literas fuisse, quàm quæ in illis Siclis visuntur, & sub Regibus Juda in commerciis Judæorum erant, extremæ insaniæ & imperitiæ est. *Hæc ille.* Nos equidem haut negamus, veteres Phœnicum, Hebræorum, Samaritanorum literas esse prorsum easdem, & hanc sententiam defendimus *libro de Scriptura sacra Exercitat. 13. sect. 1. seq.* Verum novimus unius literæ plures figuras esse, adeoque licet ejusmodi Thau quod formam crucis immissæ repræsentat, non perindè occurrat in libris Samariticis, quos literis Samaritanis apud Gallos, Batavos, Britannos, Helvetios ediderunt viri docti, Waltonus, Castellus, Morinus, prostat tamen ejus figuræ in Alphabeto Samaritano, quod prodiderunt R. Asarias Mantuanus *in Meor Enaim p. 171.* Wilh. Scichardus in *Bechinath Happeruschim p. 80.* Veteres siclos literis Samariticis insignitos, ubi Thau est in forma crucis, habent Villalpandus

dus *in Appatatu ad Templum Ezechielis*, & Cl. Hottingerus *Differtat. de Nummis Hebræorum Tab.3 num.3.4.5.Tab.5.num.4.* Sed de mystico sensu non contendemus ultrà Immissa Crux erat vel recta vel inversa. Recta est, in quam facinorosus levabatur capite sursum verso.

XII. Hæc constabat tribus partibus, arrectario ligno vel stipite, qui erectâ statione in terrâ defigebatur, & Crucile dictus est: ligno transversario, quod patibulum & antenna vocatur, atque dispessis brachiis Cruciarii alligabatur, cum traduceretur per ora populi & à lorariis cæderetur palâm. *Alius te cinget*, est Johan. 21. 18. Cinctio illa est brachiorum religatio ad patibulum, uti dictum est *suprà dist.* 3. & verè ait Theophylactus commentariis ad h. l. τὴν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ ἔκτασιν καὶ τὰ δεσμὰ δηλοῖ. Tertullianus in Scorpiaco: *Tunc Petrus ab alio cingitur, cum cruci adstringitur.* Nam deinde clavis etiam figebantur in crucile adducti, quomodò pedes in congruâ parte stipitis non vinciebantur tantum, sed quoque clavis configebantur. Lucanus: *Laqueum nodosque nocentes Ore suo rupit: pendentia corpora carpsit, Abrasitque cruces*, lib.6. Laqueus nodique nocentes sunt vincula, quibus nocentes religabantur ad crucem. Paulò post: *Insertum manibus chalybem.* Notantur clavi ferrei. Quod verò laqueum ad illos quibus gula frangitur laqueo, refert Petrus Faber *lib.* 3. *Semestrium cap.* 16. in eo luculenter aberrar. Quid enim illi ad cruces in propatulo erectas? Et quod Calixtus *prælectionibus De Cruce p.2.* scribit. *funes alligatorũ in cruce nullo autoris dicto adstrui posse*, falsũ perindè est, uti constat per testimonia sacra, profana, quæ modò protulimus. Tertia erat sedile, id est, lignum sessile, quod à medio pali arrectarii prominebat, eique insidebat cruciarius, ac subsidentis corpus hinc inde sustentabatur crucibus pendulis. Staticulum vocat Tertullianus *lib.* 1. *advers. nationes cap.* 11. deque illo meminerunt Justinus *in Tryphone*, Irenæus *lib.* 2. *cap.* 42. testes certæ fidei, quoniam ævo illo cruces durabant. Et quanquam Nicol. Fullerus *lib.* 4. *miscellan. sacrorum cap.* 12. velut conjecturis quibusdam staticulum istud evertere, frustrà tamen agit. Manifesta sunt verba Justini, ἐφ᾽ ᾧ ἐποχοῦνται. Ergò inter femina hoc habebant cruciarii, eiq; velut inequitabat, quod est ἐποχεῖσθαι. Tertullianus ait: *Unus ortus autem medio stipite palus*, libro adversus Judæos cap.10. Unicornem palum vocat. quia unum tantum cornu ex anteriore crucis parte eminendo habuit. Quartam partem addunt Gretserus *lib* 1. *de Cruce cap.*42. Dilherrus *Tomo* 1. *Disputat. Philologicarum pag.*505. Calixtus *in Concordia Evangel. lib.* 6. *cap.* 13. Bellarminus *lib.* 2. *de Imaginum cultu cap.* 26. Jacobus Gothefredus *notis ad lib.* 1. *Tertulliani advers. nationes pag.* 119. Nicolaus Fullerus *l. d.* Barradius *Tomo* 4. *Concord. Evangelicæ lib.* 7. *cap.* 13. Josephus Scaliger *in animadvers. Eusebianis pag.* 109. Casper Bertrami *notis ad Evangelium Matthæi p.* 808. videlicet suppedanium lignum, in quo cruciarii pedibus insisterent, ac veluti requiescerent. Verum isto ligno haut opus est quandò corpus cruciarii poterat tolli & levari citrà illud suppedanium. Hoc enim, quamvis maximè ponatur ad sustinendam corporis molem fuisse commodum non potuit sufficere, staticulo (quod eorum plurimi cupiunt) remoto. Corpus & pedes

des, quò arctius recto stipiti applicantur, eò illud prorsum ruit pronius. Ergò verè dicendo, patibulati corpus requiescebat in staticulo, inque eodem consistens carnifex dispessas alligatasq; in patibulo manus, doloris proliciendi causâ clavis figebat Itâ neque scalis opus fuit, quas præter historiam & veterum fidem appingunt Justus Lipsius *notis ad lib. 2. de Cruce pag.* 88. Thomas Bartholinus *in Epistolis Medicis Centur.* 1. *pag.* 393. Nummus verò ille Constantinopolitanus apud Lipsium (*notis ad lib. 2. de Cruce p.* 90.) in quo est Crux Servatoris cum suppedanio, à recentiori editione est, quæque nullam meretur fidem.

XIII. Crux inversa est, in quam facinorosus levabatur capite deorsum verso. Testimonium Senecæ habes suprà *dist.* 10. De Petro Apostolo est communis relatio, inversâ cruce periisse, Eusebius *lib. 2. histor. Ecclesiast. cap.* 25. *lib. 3. cap.* 1. & 14. Irenæus *lib. 3. c.* 1. & 3. Tertullianus *libro de præscriptionibus hereticorum*, Augustinus *Sermone* 28. *de Sanctis*, Theodoretus *Oratione de Charitate.* Eodem sensu audiamus *Prudentium*: Prima Petrum rapuit sententia, legibus Neronis Pendere jussum præminente ligno, Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis Ambire tanti gloriam magistri, Exigit ut pedibus mersum caput imprimant supinis, Quò spectet imum stipitem cerebro, Figitur ergò manus subter, sola versus in cacumen. Hoc mente major, quò minor figurâ, *libro de Coronis Carm.* 12. Refert idem Patricides *in Originibus Alexandrinis*, quas Johannes Seldenus ab Oriente allatas edidit. De Calliopio Martyre, verso in terram capite cruci affixus est, Baronius *in Martyrologio Romano pag.* 155. De aliis in Ægypto martyribus prodit idem Eusebius *lib.* 8. *histor. Ecclesiast. cap.* 8.

XIV. Septimum: *Et crucifixerunt cum eo duos latrones.*] Matth. 27. 36. Marci 15. 27. Lucæ 23. 33. Johan. 19. 18. Contendunt Gretserus *l. d.* Thomas Bartholinus *libro de aperto latere Christi cap.* 17. Daniel Heinsius *exercitationibus sacris ad Nonnum pag.* 515. illam crucem, in quâ affixus Jesus exspiravit, altiorem præ duabus aliis fuisse, in quibus latrones defuncti sunt. Res non est, conjectura verò est. Hoc tamen certum est: Crux eò infamior erat, quò altior fuit, uti constat de cruce Mardochæi, *Esthera* 7. 9. Si exempla edenda essent in viro famoso, & ob delictum atrox, aut si hoc supplicio esset afficiendus ille, cujus odium erat apud omnes flagrantissimum, depangebatur crux altissima. Justinus de Cartalone, *in altissimam crucem in conspectu urbis suffigi jussit*, lib. 18. histor. De Galbâ *Suetonius*: Implorantique leges & civem Romanum se esse testificanti, quasi solatio & honore aliquo pœnam levaturus, mutari multoque præter cæteras altiorem & dealbatam statui crucem passus est, *lib.* 7. *c.* 9. Altiorem ut digniori, albatam ut civi qui gestabat vestes albas, quod diximus *lib.* 4. *Antiquitatum Romanarum cap.* 5. *dist.* 8. Improbo patibulo eminens affigatur, est in fragmentis Salustii *lib.* 4. (& ibidem Salmasius *in observatis variis* Antonii Thysii *pag.* 467. 468.) Improbo, id est, excelso, quomodò *improba puppis* dicitur apud Silium Italicum *l.* 13. ubi *improba* est idem quod *maxima*, quomodò exponit D. Heinsius *in notis ad h. l. pag.* 131. Hoc si observetur, non movebunt quenquam conjecturæ Lipsii, quas adfert *notis lib. 3. de Cruce pag.* 92 Patibulum verò hoc loco prò totâ cruce ponitur. Di-

versitatem istam cognoscimus ex epigrammate hoc Lucilii, *μακροτέρῳ σταυρῷ σταυρούμενον ἄλλον ἑαυτοῦ ὁ φθονερὸς Διοφῶν ἐγγὺς ἰδὼν ἐτάκη*, Cum Diophon cruce suffixum majore videret, Altius esse alium, tabuit invidiâ.

XV. Octavum: *Et dederunt ei vinum myrrhatum.*] Matth. 27.34 Marci 15 23 Nihil tale apud Romanos fuit, sed itâ Ebræorû consuetudo ferebat. Consuetudo inquam, paulò post reditum è captivitate Babylonicâ adhibita, uti nos docet Maimonides *Expositione ad* סנהדרין *cap.* 13. In Lege Mosis nihil simile reperias, neq; aliàs in sacris literis. *Menochius* scribit: Hanc Judæorum consuetudinem probare possumus ex Amos 2. 8. ubi hoc legimus, *vinum damnatorum bibebant in domo Dei sui*, id est, bibebant vinum generosissimum & aromatibus conditum, quale cruciariis ad levamentum doloris præberi mos erat, *l. d. quæst.* 7. Neque aliter Spondanus *in Epitome Annalium p.* 32. *num.* 30. Hieronymus à Prado *commentariis ad Ezechiel.* 23. 31. Respondeo: Tempore Amosi Prophetæ non erant cruciarii, uti dictum est *suprà dist.* 1. & verò adductus locus itâ sonat, *apud omne altare etiam vinum damnatorum biberunt in delubris suis.* Damnatorum id est, per vim & fraudem mulctatorum. Hoc benè exprimunt Alexandrini, *οἶνον ἐκ συκοφαντιῶν*. Indè perceptum precium contulerunt in solennitate publicâ, ut largissimè comessarentur, apud altaria, postquam vitulis sacra fuerant. Cæterum dabant cruciariis vinum myrrhatum, ideò ut exsternaret velut facinorosos ne dolores mortis sentirent. Esse enim hanc myrrhæ efficaciam, scribit Galenus *lib.* 15. *simplicium cap.* 19.

XVI. Nonum: *Et diviserunt vestimenta ejus.*] Matth. 27. 35. Marci 15, 24. Lucæ 23. 34. Johan. 19. 23. Pallium (quod Romanorum togæ respondebat) divisum in partes, acceperunt plures, tunicam verò integram sortito arripuit unus miles, ut prolixè disserit Casaubonus *Exercitat.* 16. *sect.* 84. & illi adde Balduinum Walæum *commentario perpetuo ad Evangelia pag.* 993. 994. Octavium Ferrarium *l.* 3. *de re vestiaria cap.* 16. Johan. Dorscheum *Opusculo de tunica Christi inconsutili cum confutatione fabulæ Trevirensis.* Hoc quoque veniebat ex more Romano: Milites enim qui supplicia exsequebantur spolia facinorosorum sibi capiebant, ut videre est ex rescripto Cæsaris Adriani, *l. divus D. de bonis damnatorum.* An vero Servator post Resurrectionem suam vestibus opertus incesserit, ociosè disputat, & nudum fuisse definit Richardus Montacutius *Tomo* 1. *Originum Ecclesiast. pag.* 460. Ante eum docuerat idem Alphonsus Tostadus *paradoxo* 5. *c.* 34. ubi rationem adfert, quia si vestibus amictus fuisset non potuisset lateris vulnus ità expeditè monstrare Apostolo Thomæ, eique contrectandum præbere. Conatur refellere Cornelius à Lapide *commentariis ad Acta Apostolica pag.* 49. ubi ait Servatorem induisse vestes, & verò illas in latere apertas habuisse, ut vulnera, possent manibus apprehendi, & oculis usurpari Probat, quia Sociis ad Emahuntem euntibus apparuit sicut peregrinus & quia in Magdalenæ oculis apparebat esse hortulanus. Habebat ergo vestes, quæ peregrino & hortulano velut propriæ esse videri poterant. *Hæc ille.* Ego non video, quamobrem glorioso corpori Servatoris, illud statim post resurrectionem erat, vestes addere debeamus Apparuit tunc solùm cum voluit, radios ad hominum visum emittendo, quorum beneficio visibile erat. Et horum radiorum con-

figu-

figuratio varia aliam nunc, aliam aliàs speciem corporis repræsentabat in oculis hominum, ut non semper agnosceretur. Non ergo à vestium mutatione fuit, ut nunc peregrinus, nunc hortulanus esse videretur. Plura dicemus loco alio.

XVII. Decimum: *Et sedentes servabant eum ibi.*] Matth. 27. 36. Ne de crucibus detraherentur mortui per amicos & cognatos, adjungebantur milites excubitores, quod vetustissimum est, uti de Ægyptiis refert Herodotus *lib.* 3 Petronius Arbiter *in Satyrico*: Miles cruces asservabat, ne quis corpora detraheret ad sepulturam, *pag.* 140. Rursum Plutarchus de Cleomene, ὀλίγαις δὲ ὕστερον ἡμέραις οἱ τὸ σῶμα τοῦ κλεομένους ἀνεσταυρωμένον φυλάττοντες, εἶδον εὐμεγέθη δράκοντα τῇ κεφαλῇ περιπεπλεγμένον, *in vitis illustribus pag.* 224.

XVIII. Undecimum: *Pilatus scripsit titulum & posuit super crucem.*] Matth. 27 37. Marci 15. 26. Lucæ 23 38. Joh. 19. 19. 20. Titulus exprimebat mortis caussam, & loco supremo ad verticem crucilis affigebatur, Dion Cassius, διά τε τῆς ἀγορᾶς μέσης μετὰ γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως αὐτοῦ δηλούντων διαγαγόντος, καὶ μετὰ ταῦτα ἀνασταυρώσαντος, *l.* 54. *hist.* Martialis:

Traducta est titulis,

libro spectaculorum Epigram. 4. Sic enim locum prava lectione,

Traducta est Getulis,

deturpatum, emendat Lipsius *notis ad lib.* 2. *de Cruce c.* 11. Ramiresius *notatis ad h. l. p.* 8. Titulum vocat quoq; Suetonius *l.* 4. *c.* 32. (ubi servi furis supplicium describit) & *l.* 12. *c.* 10 Cælatura fuerit, an Scriptura, dubitatur. Daniel Heinsius *Aristarcho ad Nonnum c.* 9. & 28 putat fuisse cælaturam, ἐκτετυπωμένον γραφίδι vocant Græci. At scripturam fuisse, disputant Salmasius *libro de modo usurarum p.* 674. *seq.* & *Epistola.* 1. *de Cruce p.* 284. *seq.* Balduinus Walæus *commentario perpetuo ad Evangelia p.* 989. 990. Quomodò titulos & tabellas dealbatas indè calamo & atramento inscriptas, ut scire possent, quorũ intererat, palàm affigebant Græci & Romani, atq; illi quidem λεύκωμα vocabant, hi Album, uti diximus *l* 2. *Antiquit. Romanarum c.* 3. *dist.* 7. Postremæ huic sententiæ favent verba Evangelistarum planissima, αἰτία γεγραμμένη ait Matth ἐπιγραφὴ γεγραμμένη ajunt Marcus & Lucas, ἔγραψε τίτλον ait Johannes. Quæ omnia docent, scriptam fuisse criminis caussam, non vero sculptam. σανίδα λευκὴν eodem sensu appellat Nicephorus *lib.* 8 *histor. cap.* 29 id est tabulam albam nigris literis depictam.

XIX. Duodecimum: *Stabat autem juxtà crucem mater ejus.*] Johan. 19. 25. Quod omnes dici possint sublimes pependisse, qui affixi erant cruci, non est dubium. Nam & nocentes *in crucem tolli, levari*, dicebantur, aut etiam *inscendere eam*. Itaque vulgares cruces non erant admodum altæ (1.) Quia eam inscendebant facinorosi, cum in staticulo sedebant. (2.) Quia ut morerentur, hastis confodiebantur, aut laniebãtur à canibus: humiles ergo fuerunt. (3) Quia poterant in eâ hærere, & proxime adstantes cõpellare ut perciperent eloquia, uti Jesus alloquitur matrẽ. (4.) Quia titulus ad caput cruciarii poterat deponi & legi ab omnibus, id quod esse non potuit, si cruces nimiùm attollerentur.

XX. Decimum tertium: *Unus militum lancea latus ejus fodit.*] Johan. 19. 34. Annotat. Calixtus, *vel ex petulantiâ & insolentiâ militari, vel periculũ facturus, an bona fide obivisset*, in Concordiâ Evangel. lib. 6. c 15 Nihil horũ de vero est Lanceâ confixit latus sinistrum

ſtrum Redemptoris, non ut exploraret, an mortuus eſſet, verum ut animam agenti (quomodò putabat ille) vitam omninò eriperet, finiretque dolores. Cor perforavit inde enim ſanguis provenit, & antè quidem eodem ictu læſit pericardium, quod continet aquæ copiam pro cordis exæſtuantis refrigerio, ait Hippocrates, *lib.* 2. *de Corde*, & prolixè confirmant Bauhinus *lib.*2. *Anatomiæ pag.*203.204. Andreas Laurentius *lib.*9. *hiſtoriæ Anatomicæ p.*347. Andreas Veſalius *lib.*6. *Anatomiæ cap.* 8. De aquâ illâ teſtatur quoque Galenus *lib.* 5. *de locis affectis cap.*2. Naturaliter igitur aqua illa profluxit de corde pendentis in cruce Servatoris, uti nobiſcum docent Ariæ-Montanus, Beza, Grotius, Tirinus, Daniel Brenius *notatis ad h.l.* Torniellus *in Annalibus ſacris Tomo* 2. *pag.* 395. Quod enim Joh. Maldonatus, Cornelius à Lapide, Franciſcus Toletus *commentar. ad h.l.* Cornelius Janſenius *in Concordia Evangelica cap.* 143. Georgius Blaſius *notis ad Syntagma Anatomicum Veslingi pag.*146. differunt *miraculoſum fuiſſe profluvium aquæ de vulnere*, fruſtrà certè ſunt, nec enim alio fine hoc refert Evangeliſta, quam ut doceat, perfecto vulnere ſuſcepto Chriſtum verè mortuum fuiſſe. Dicit *Blaſius*: (1.) Jam ante conſtabat, eum verè mortuum eſſe, Johan.19.30.ſeqq. *Reſpondeo*: Verè defunctus quidem erat, ſed tamen volebat miles addere ſupplicio, quod hactenus illi deerat. (2.) Aqua illa de pericardio non profluxiſſet extrà thoracis cavitatem. *Reſpondeo:* Mortis illatæ cauſa proxima deſcribitur itâ expreſsè, ne dubitetur, verè moriendo nobis per omnia ſimilem factum eſſe, & mortis robur fregiſſe, *Hebr.*2.9.10.14. (3.) Sanguis qui effluxit copioſus erat, itaq; non poterat ab illo diſcerni modica aqua illa, quæ penes cor reſidet. *Reſp.* Quantulacunque illa eſt, ſufficit quod pericardio tacto defluxerit extrà vulnus modico rivulo. Scilicet, cruciarii moriebantur in crucibus, & non per ipſas. Alios in cruce uſtulabant, alios beſtiis immiſſis lacerabant, alios haſtâ fodiebant, aliis crura frangebant, alios fumo è viridibus lignis provocato enecabant. Exempla referunt Lipſius *lib.* 2. *de Cruce cap.* 24 *lib.*3.*cap.*10.11. Julius Cæſar Bulengerus *libro de Venatione Circi cap.* 56. Sed & quidam antè jugulati, poſt in cruce ſuffixi eſſe leguntur, quomodò Julius Cæſar piratas ſuos punivit, Suetonius *lib.*1. *cap.*74. Fame abſumptos eſſe è conſuetudine Romanâ, haud facilè reperias, quamvis itâ præſumant Petrus Faber *l.d.* Lipſius *lib.* 2. *cap.*12. Verum exempla nulla proferunt.

XXI Decimum quartum *Joſeph. acceſſit ad Pilatum, & poſtulavit corpus Jeſu*] Matth. 27.58. Marci 15.43. Lucæ 23.52. Johan. 19. 38. Quandò cadavera ſupplicio affectorum dabantur amicis ad ſepulturam, cum illi rogabant gratia aliqua erat, ut Pauli & Ulpiani reſponſa docent, *ff. Tit. de cadaveribus punitorum*, & illis adde Petrum Fabrum *lib.* 2 *Semeſtrium cap.* 9 Jacobum Durantium Caſellium *lib.*1. *variarum Lect. cap.*4. ubi etiam adferunt exemplum Joſephi rogantis pro cadavere Servatoris. Verum hoc potius erat ſecundùm leges Ebræorum, *Deut.* 21.23. & mores eorum (quod refert Maimonides *in Expoſitione* סנהדרין *c.*15.) quibus vetitum erat, cadaver inſepultum relinquere, ne pollueretur terra, & jumẽta poſſent aliquandò.

Vellere creſcentem de noſtris oſſibus herbam,

Lucano dicente. Die illo quo enectum erat,

in

in terram defodiebatur, & volebant Romani permittere, ut ità fieret. Aliàs *pascebant in cruce corvos*, teste Horatio lib. 1. Epist. 16. Et Lucanus refert, *percussaque viscera nimbis & incoctas admisso Sole medullas*, lib. 6. De corporibus in cruce relictis situque marcidis agit. Plauti locus adductus est *suprà dist.* 1. Genes 40. 19. *Cum adhuc tertius futurus est dies, recensens Pharao te, faciet ne sit deinceps recensio tui, & suspendet te de ligno, sic comedent volucres carnem tuam.* Ergò secundum mores veterum Ægyptiorum facinorosi in cruce permanebant. Annotat Franciscus Junius: *Recensebit te Pharao.*] Cum familiam & servitia omnia lustrabit, te numerabit quoque in illorum catologo. Olim officiorum nomina in albo sive abaco inscripta erant, secundum ea fiebant foramina in abaco, in quæ foramina indebantur clavi capitati sive paxilli, quibus solebat informari & antè oculos haberi expedita ratio mensium, dierum annorum, officiorum, actionum servitiorum, pecuniæ attributæ vel numeratæ, & similium. Sic annalem clavum depactum fuisse à Pontifice, author est *Festus*. Sic divisores, qui distribuendo Cæsarum donativo inter milites præerant, si quibus dederant annotabant clavis impactis in abacum, & indè clavarii à *Tacito* appellantur. Sic alia multa. Hunc clavum Ebræi vocant caput: foramen abaci basim. Itaque tollere caput nihil aliud est, quam per clavos servitia recensere, sive retineantur ut vers. 13. sive eximantur, ut vers. 19. *Sic ille*, & eodem ferè sensu Aben Esdras *commentariis ad h. l.* Quæ vero aliàs in literis sacris exstant post ævum Prophetarum descripta, & autores habent divinâ eruditione celebres Sapientes חכמים, uti sunt *Proverbiorum supplementa cap.* 30. 17. de cadaveribus abjectis referunt, quoniam hæc talia Barbarorum apud quos vixerant in exilio, moribus conveniebant, uti dictum est *in Libro de Scriptura sacra Exercitat.* 12. *dist.* 2.

CAPUT OCTAVUM.

De Jure circà Bellum.

SUMMARIA.

1. *Definitio Belli.*
2. *Belli causæ justæ.*
3. *Modus gerendi bella.*
4. *Hostes legitimi.*
5. *Gentes incultæ moribus.*
6. *Bellum terrestre, navale.*
6. *Bella sunt licita.*
8. *Bella in veteri fœdere.*
9. *Militum piorum exempla.*
10. *Christiani milites.*

11.12 *Solvuntur rationes contrariæ.*

13. *Princeps inter prælia.*

14.15. *Equitatus & peditatus.*

16. *Insidiæ & proditores.*

17.18. *Foris adoriri hostem.*

19.20. *Cædes facere in bello.*

21.22. *Prædas agere in bello.*

23. *Bello parta retinentur.*

I. **B**ellum *est, quo Princeps, armis persequitur hostes.*] Bellum κατ' ἀντίφρασιν dictum esse, quasi minimè bellum sive pulchtum tradunt Barthol. Keckermannus *lib. 1. System. Logici sect. 2. cap. 1.* Goclenius *lib. 1. Institut. Logic. pag.* 260. Scönbornerus *lib. 6. Politicorum cap. 1.* Verum quidem est, haud quicquam pulchrum bello inesse interim de vocabuli notatione rectius differit *Scaliger*:

Nos bellum quasi duellum putamus esse dictum, quia fuit initio duellum, à duobus. Nam licet multi sint milites, duæ tamen partes sunt & inter duos primum fuit bellum. Ergò quemadmodum dis bis, duonum bonum, ità duellum efficit bellum. *l.3. de re poëtica c.90.* Prolixè in hunc sensum commentatur Obertus Gifanius *in Collectaneis ad Lucretium p.333* Joh. Gerh. Vossius *in Lexico Etymologico p. 69.*

II. *Armis*] Causis justis impulsus, quæ sunt uno verbo, quod hostes jus reddere nolunt, uti latissimè prosequuntur Albericus Gentilis *l.1. de Jure belli c.5.6 seq.* Hugo Grotius *l. 2. de Jure belli & pacis c.1. 2. seq.* Multùm in causas hujusmodi intendebant veteres Romani propereà laudati ab exteris: Vos estis Romani, qui ideò bella vestra felicia esse, quia justa sint præ vobis fertis, neque tàm exitu eorum, quod vincatis, quàm principiis, quod non sine causa suscipiatis, gloriamini, Livius *l. 45. hist.* Eorundem carmen feciale erat: *Ego vos contestor, populum illum injustum esse neque jus persolvere.* Sæva enim res bellum est, cumulumq; secum trahit injuriarum atq; insolentiæ, tantò magis improba res, cum propter iniquas causas geritur. Itaque apud Ebræos expiatione opus habebant illi, qui redibant à bello, quamvis justo ad eluenda piacula, *Numer. 31.50.* Cæsar laudat victorias suas sexagintà, quas Plinius *cum injuria generis humani & sine gloria obtentas esse* Dicit, li.7 cap.25. Sed nec ille, qui bellum justis de causis in se provocavit, debet bello peti, cum justam satisfactionē offert. Rex Ezechias, cum fœdere non stetisset, quod ejus majores pepigerant, Regis Assyriorum vectigales futuri ob latam adversus hostes opem, bello impetitus fatebatur culpam, & Regi *benefico* solvebat mulctam, quâ non contentus Assyrius novum quasi bellum obtrudebat *beneficiario* suo, cædem, deportationes, eversiones agrorum atque urbium comminabatur, rursum Ezechias, fretus bonitate causæ & Deo suo confisus, vim hostium sustinebat, & denique superabat, *2. Regum 18.7.14. c.19.35.* Pontius Samnis post res Romanis redditas, deditumque belli authorem: Expiatum est, ait, quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cœlestium fuit, quid ultrà tibi Romane, quid fœderi, quid Diis arbitris fœderis debeo? Neminem nec populum, nec privatum judicem fugio, Livius *l.8 hist.* Ita cum Thebani omnia æqua obtulissent Lacedæmoniis, ii verò ultrà pertenderent, bonam causam ab his ad illos transivisse, ait Aristides *Leuctrica prima.*

III. *Persequitur.*] Uti sunt justæ causæ, ità modus gerendi bella debet esse legitimus, quod perinde optimè docent Hugo Grotius *l.3. de Jure belli ac pacis c. 1. seqq.* Albericus Gentilis *lib.2. de Jure belli cap.1. 2 seqq.*

IV. *Hostes.*] Damnantur meritò bella & paria latrociniis esse statuuntur, quæ geruntur ideo solum, ut vicini spolientur, nostræque vires augeantur. Verissimè tradit Aristoteles 7. politic. 2. *bella ex talibus causis accepta esse injusta, adeoque turpe esse invadere vicinos nullius noxæ compertos*, quod vero addit, *nisi illi sint barbari & natura servi*, in gratiam Regis sui addidit contra Persas armis rem gerentis, in quo bello equidem Macedones non tam datas causas quàm acceptas proferebant. Una vera causa erat, spoliare gravem accolam & à tot seculis potentem. Atqui: (1.) Propria Regis Cura est, conservare imperium, extendere velle nonnisi ex accidente est. (2.)

Po-

Populus, quem habet propriè subjectum, per turbas longè quæsitas exponitur cædibus, exhauritur vectigalibus, impletur odiis unde seditiones oriantur facilè. (3.) Regis salus haud consistit in eo quod est contrà naturam. Atqui vicinos in pace agentes invadere bello, tantum ideò, ut vel ab infirmiore subacto augeas imperium tuum, vel à potentioris spoliis opes aliquas percipias est contrà naturam, ergò bella talia damnantur.

V. Perinde falsa est opinio Johannis Genesii Sepulvedæ, qui *peculiari libro pag* 423. *seqq. Operum* disserit, ac laudat Thomas Campanella *libro de Monarchia Hispanica cap. 6.* quod Regibus licitum sit, gentes aliquas invadere, quamvis ab eis hactenus injuriam non acceperint, tantum ideò quod à Religione meliori sint alieni. & moribus incultis utantur. Eò refert gesta Iberorum apud Indos Occidentales, ubi incolas crudelissime afflixerunt, & millia hominum innumera neci dederunt, Defendit factum idem Besoldus *lib. 2. doctrinæ civilis c. 12. dist. 21.* & profert bella gesta adversus Chanaanis populos. Atqui non magis patrocinatur hoc exemplum Hispanis militibus, quàm vel Abrahami factum parricidis, *Genes. 22. 2. seqq.* vel Israëlitæ cum vasis Ægyptiorum mutuò sumptis abeuntes tueri possint fures, *Exodi* 12. 35. *seq.* Una dominandi libido armavit, & altera divitiarum immensarum cupido arma Iberorum conservavit, in miseros Indos per vasta Oceani spatia disseparatos, ut rectè monet Thuanus *lib. 1. histor.* & prolixius nobiscum disserunt Ferdinandus Vasques *l. 1. Controvers. illustrium cap.* 24. Franciscus Victoria *Relect. 1. de Indis num.* 40 Becanus *Tomo 2. Theologiæ Scholasticæ p.* 462. Baldassar Aiala *l. 1. de Jure belli c. 2. dist.* 28. Josephus Acosta *l. 2. de procuranda Indorum salute c. 2. seq.* Ludovicus Molina *de Justitia & jure Tomo 2. Disputat.* 105. Gregorius de Valentiâ *Tomo 3. Disputat. 1. quæst.* 10. Hieronymus de Cævallos *Tomo 4. Speculi opinionum communium pag.* 195. Negamus ergò, quod Regibus liceat bello invadere populos alios, eam solum ob causam, quia barbari & infideles sunt. Rationes sunt: (1.) Quia Natura inter omnes homines cognationem quandam constituit, jure verò cognationis alii aliis opitulari & benefacere tenemur, multò magis etiam, quod pax exigit, ab injuriis abstinere. (2) Quia nō debet Rex aliquis vi cogere eos, qui non habent Religionem veram, ut veram Religionem velint suscipere. Docebat Apostolus, quod *Deus nos ad Evangelium vocaret in pace*, Roman. 14. 17. 19. Neq; media erant violenta, per quæ Apostoli toto orbe vulgabant Evangelium. 1. Tim. 3. 16. μέγα ἐστι τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον. Ità vocat Evangelium quod humanâ industriâ nequivit reperiri, & vim ad pietatem nobis ingenerandam habet maximam, Mat. 16. 17. Roman. 1. 3. ὃ ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ. Cepit vulgari per homines, quantum extera species ferebat, infirmos, Christum & Apostolos ejus. Vulgò legitur, Θεὸς ἐφανερώθη, quæ lectio est corrupta, neq; illam habent Latinus, Syrus, Arabs Interpretes, ἐδικαιώθη ἐν πνεύματι. Per miracula plurima approbata est veritas ista. πνεῦμα sunt miracula divina, per metonymiam, quæ est 1. Corinth. 2. 4. & alibi ὤφθη ἀγγέλοις. Angeli hoc arcanum per homines mortales didicerunt, Eph. 3. 10. 1. Petri 1. 12. ἐκηρύχθη ἐν ἔθνεσιν. Non Judæis tantum annunciata est veritas, sed & populis aliis, qui alieni à Deo fuerant, Ephes. 2. 12. Colos. 1. 21. ἐπιστεύθη ἐν κόσμῳ. id est, in magnâ parte mundi, Rom. 1. 8. Colos. 1. 6. ἀνελήφθη ἐν δόξῃ. Admodum exaltatum est, ueni-

nempe quia multo majorem attulit sanctitatem quàm ulla ante hac doctrina. Ergo instillabant illi pietatis doctrinam in populorũ animos, non per carnifices, sed per humanas compellationes: non armis, sed miraculis: non ut dæmonibus addicerent animas de corporibus suis ante diem ejectas, sed ut Angelis excitarent gaudiũ convertendo hominem: non ut obtruderent per cædem, sed ut docendo imbuerent: non ut simulatã pietatem extorquerent, sed ut veram animi probitatem formarent: non ut darent ansam criminandi super injustitiã persecutionis ad sanguinẽ, sed ut conversatione placidã Dei gloriam promoverent. Rectissimè dicit Lactantius: *Necesse est, ut bonum versetur in Religione non verò malum. Nam si sanguine & armis Religionem amplificare velis, jam non amplificabitur illa, sed polluetur & violabitur* ait Lactantius lib. 5. Institut divinar. cap. 20.

VI. *Estq; terrestre vel navale. Terrestre est, quod in campo geritur. Navale est, quod mari geritur.*] De utroq; genere belli egimus *l. 3. Recensus Antiquitatum Romanarum, cap. 4. & lib. 4. dissertat.* 1. Quibus adde Justum Lipsium & Robertum Valturium *libris de militia Romana*, Thomam Rivium & Henricum Ranzovium *libris de militia navali.*

VII. Quæritur hic: (1.) *An liceat bellum gerere?* Respondeo: Negant Geisterani, Anabaptistæ, Photiniani, Confessio Hornẽsis *Artic.* 19. Colloquium Embdanum *Actione* III. Wegelius *libro de belli delectu*, Socinus *parænesi ad Evangelicos c. 3. & defensione adversus Palæologum p.* 120. *& seq.* Daniel Brenius *lib. de Regno Christi*, Ostorodus *in Institut. Germanicis c.* 28. Valentinus Smalzius *Disput. 6. contrà Franzium p. 390. seq.* Volkelius *l. 4. de vera Religione c.* 16. Joh. Werdenhagen *Introduct. ad Politicam lib. 3. c.* 10. *quæst.* 13. *seqq.* Nos verò affirmamus. Rationes sunt. Prima: Quia viri Sancti in populo Judaico bella gesserunt & ab ipso Deo leges pro expeditionibus bellicis rectè administrandis acceperunt, victorias suas eidem Deo imputaverunt, *Gen.* 14. 13. *seq. Exodi* 17. 8. *Numer.* 10. 9. *c.* 31. 27. *Deut.* 13. 20. *c.* 20. 1. 2. *seq. Psalm.* 18. 35. *Hebr.* 11. 32. *seq.* Excipit Socinus: Licebat in Veteri Testam. bella gerere, quod Deus multis modis declaraverat, se id tunc temporis non improbare. *Resp.* Atqui in Novo Testam. haut declaravit uspiam, quod improbet bella, potius dicendum est quod approbet secundùm jus Gentium, quæ pro defensione opũ, honoris, corporũ necessariò fiunt, etiã per arma uti porrò docebimus. *Regerit*: Deus in Veteri Test. donaverat populo terrã Chanaan, adeoq; terrenã possessionem cupiebat armis defendi, additã promissione, victores fore, si Legẽ servarent, Deut. 18. 7. Sed in Novo Test. Deus nemini donavit agros, ubi terrenis opibus spretis jussit cœlestia quærere Mat. 6. 19. 20. *In Parænesi p.* 24. Resp. Atqui illa quæ Gentium jure quivis possidet non minus sunt ejus propriæ opes, quam si Deus donavisset. Neq; jus hoc per Evangeliũ aboletur, imò stabilitur, *Matth.* 5. 5. *Ephes.* 6. 2. 3. 1. *Timoth.* 4. 8. *cap.* 5. 8.

VIII. Secunda: Quia Viri Sancti in Novo Testam. collaudant militum piorũ acta, dantq; illis præcepta, secundũ quæ vivendo & milites esse & Deo grati esse possent. Joh. Baptista rogabatur à militibus, uti ediceret, quid ipsi deinceps agere deberent, postquã aquã sacrã perluti vitæ novitatem sectari vellent. Respondebat, ne rapinis incumberent, utq; contẽti stipẽdiis suis militiæ deservirẽt, *Luc.* 3. 14. Rectè *Augustinus*: Quibus propriũ stipẽdiũ sufficere debere præcepit, illis militare utique

utique non prohibuit, *Epist.5.ad Marcellin.* Regerunt: Non potest id quod Johannes Baptista milites jubet, regulam vivendi omnibus præscribere communem veluti. Johannes enim non erat novi fœderis Author, sed tantùm futuri Authoris præcursor. Christus est Author ille, qui novum genus vivendi prædicavit, ab hoc igitur discenda sunt omnia, quæ ad vitam piè & probè agendam pertinent, *Socinus* defensione contra Palæologum, pag. 385. 388. *Daniel Brenius* notis ad Evangelium Lucæ, pag. 59. *Respondeo:* Sanè Baptista erat præcursor Servatoris, adeoque prædicatio ejus fuit initium Evangelii, *Matth.*11.12. *Marc.*1.1. *Luc.*1.76.77.*cap.*3.18 *Johan.*1.6.7.8. Debuit ergò viam munire omnibus ad Servatorem, & docere, quod cum Servatoris mente consentiret, non quod illi contrarium fore certò novisset. Novum genus vivendi, quod Christus attulit, non est tale, ut bella gerere prohibeat, neque enim alia dicit Paulus Apostolus, cùm negat, quemquam propriis stipendiis militare, 1.*Cor.*9.7. Jubet stipendia solvere, itaque militiam approbat, quando, uti *Tacitus* dicit, nec quies gentium sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi possunt, *lib.*4.*histor.*

IX. Tertia: Quia Servator ipsemet commendat piorum militum fidem, & defert petitis eorum, uti constat de Centurione ejusque milite ægroto, *Matth.*8.8.*seq.* Excipit *Socinus:* Hoc nullius est ponderis, quoniam Centurio ille homo paganus erat, & verò nondum aderat tempus, quo extraneis prædicaretur Evangelium. Ejus fidem commendat quidem Servator, non tamen illum in Regnum Dei ingressum esse, id est, novi fœderis compotem, affirmat, *l.d.pag.*392. Respondeo: Paganus fuerat hactenus, sed proselytus factus doctrinam Servatoris amplectebatur, non obstante quod Evangelium necdum prædicatum erat apud extraneos. Scilicet Baptista multos erudiverat, & qui Judææ finibus continebantur, ejus concionibus & persuasionibus adducti, novam doctrinam cupidis animis percipiebant. Contradictoria sunt illa, *habebat fidem*, sed *nondum erat in Regno Dei.* Jam antè dictum est, eos, qui doctrinam à Baptista prædicatam recipiebant, novi fœderis gratiam accepisse, *Malach.*4.5.6. *Marc.*1.1. *Luc.*3.21.22.*Joh.*5.33.34.*seqq.* Demùm constat, illos, qui militiam sectabantur, plurimos fuisse in Regno Dei & Servatoris fidem didicisse, *Actor.*10.1.*seq cap.*13.7.

X. Quarta: Quia Christi fideles voluerunt olim cum Imperatoribus nondum ad fidem conversis, exire in militiam, adversus hostes Imperii, & armis rem gerere pro salute publica. Dicebat *Tertullianus.* Externi sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, *in Apologetico, cap.*37. Notissima est expeditio Marci Aurelii Philosophi adversus Marcomannos, Quados, Suevos, Hermunduros, Burios, quo tempore siti marcidus exercitus imbres cœlitùs impetravit, atque hoc precibus Christianorum debuit, uti testes sunt Justinus Martyr, *Apolog.*2. Tertullianus *in Apologetico, cap.*5.*& libro ad Scapulam, cap.*4. Eusebius *lib.*5.*Histor.Ecclesiast.cap.*5. Gregorius Nyssenus *Orat.*8.*in Martyres*, Paulus Orosius *lib.*7.*histor.cap.*15. Ducebat Cæsar multos Christianos sub signis, imprimis legionem Melitæam, & ad eorum gloriam ipse retulit

hoc datis ad Senatum Romanum literis, ad quas in Archivo urbis depositas provocat Tertullianus, edidit que secundùm exemplar Vaticanum Onufrius Panvinius *Commentariis ad librum secundum fastorum, pag. 232. seqq.* Nihil de Christianis meminit Capitolinus *in vita Antonini*, sed Imperatoris ipsius meritis ac precibus adscribit: Dion Cassius verò *lib. 71. histor.* expressè ad Magos refert, quem sequitur *Claudianus* animi tamen dubius: Non tantis patriæ studiis ad templa vocatus Clemens Marce redis: Cum gentibus undique cinctam Exuit Hesperiam paribus fortuna periclis. Laus ibi nulla Ducum, namque flammeus imber in hostem decidit: Hunc dorso trepidum flammante ferebat, Ambustus sonipes, hic tabescente solutus Subsedit galeâ, liquefactaque fulgure cuspis Canduit, & subitis fluxêre vaporibus enses. Tunc contenta polo, mortalis nescia teli Pugna fuit: Chaldæa mago seu carmina ritu Armavêre Deos, seu quod reor, omne Tonantis Obsequium Marci mores potuêre mereri, *libro de sexto Consulatu Honorii, num. 339 seqq.* Miraculi tanti memoriam conservavit Imperator, erectâ in urbe columnâ Antonianâ, ubi visitur figura *διὸς ὀμβρίε*; Jovis Deorum maximi prolixè barbati, nubes cogentis, pluvias effundentis, grandines jaculantis. Jovem Pluvium appellabant veteres, uti dictum est *lib. 1. Antiquit. Roman. cap. 1. dist. 23.* Tibullus *Te propter nullos tellus tua postulat imbres, Arida nec pluvio supplicat herba Jovi*, lib. 1. Eleg. 8. Columnam renovari curavit Sixtus V. Papa, eamque deformavit Cardinalis Baronius *Tom. 2. Annal. Eccles. pag. 263.*

XI. Instant: (1.) Prædictum est, quòd in Novo Testamento bella haut futura essent, quòd conflare deberent gladios in vomeres, quòd nemo alterum occideret, in monte sancto, *Esa. 2. 4. cap. 11. 6. 7. 8. 9.* (2.) Jubet Servator, ut diligamus inimicos nostros, *Math. 5. 45. seqq.* Atqui bello invadere & ad necem persequi armis, non est diligere illos, *Ostorodus* l. d. *Daniel Brenius* libro de Regno Christi, cap. 8. 9. *Respondeo:* (1.) Vaticinia illa primo sensu intelligi debent pro statu ævi ejus, quo obsidionem ab Assyriis hostibus patiebatur Hierosolymorum urbs, sed tamen ab Esaia percipiebat solatium, forè ut divina ope liberata, deinceps in longa pace ageret, projectisque armis optata tranquillitas passim esset, atque nemo alterum læderet, *2. Reg. 19. 29. 30. 31. 2. Chron. 32. 21. 22.* Sublimior expositio est de Messiç temporibus, quando Evangelium orbe toto promulgabatur, non quidem armis, sed persuasionibus, vi vocis & inermibus armis, adeò ut etiam qui dissentire vellent à fide, non cogerentur ad recipiendam illam, namque Evangelium est doctrina pacis, *Luc. 9. 55. 56. Johan. 14. 27. 2. Cor. 10. 4. Eph. 6. 15.* Nihil inde sequitur adversus bella pro aris & focis gerenda, quatenus Reipublicæ interest, procurari à Regibus, ne civium conditio per invasiones hostium deterior reddatur. (2.) Servator ibi præscribit regulas vitæ, quas observare debeamus in conversatione familiari. Benefaciendum est inimicis, quando hactenus vitæ atque opibus nostris parcunt, neque insidias struendo, Legem charitatis priores ipsi violant. Cæterùm adversus hostes publicos, seu pacis turbatores dictum est illud: *Magistratus non fert gladium frustrà*, Roman. 13. 4. Inde argumentamur: Quicunque ob vindictam malorum armatus est gladio, ille etiam

potest

potest bella gerere. Atqui Reges & Principes ob vindictam malorum armati sunt gladio. Ergò.

XII. Pergunt *Smalcius* & *Brenius*: (1.) Pro Religione bella gerere velle, improbum est. Religionem nemò ab hoste patietur eripi sibi, quatenus viro forti non potest injuria fieri. Manebit semper eadem Religio in eo, qui Deo confidit ex animo, sive pax fuerit sive bellum. Imò fervorem majorem esse in Religione tempore belli, quàm pacis, res ipsa testatur. Religionem falsam imperare potest hostis, non verò obtrudere, nam qui Dei amans est, mavult perdere vitam, quàm Religionem mutare. Et quare non potius vitam profundendo, Religionem defendimus, omissis armis, quando non omnes vincunt, qui se armis defendunt, quàm ut defendendo Religionem, arma capiamus & sanguinem profundamus? Certè, in hoc periculum nullum salutis est, in illo verò ex nostro omnium sensu periculum esse potest. *Respondeo*: Benè se res habet, quòd vir fortis non patitur vim animo suo inferre, potius exsilia mortemque subeat, quàm ut Religionis veritatem, repugnante animi sensu abneget. Exempla plurima veteres & recentes Confessorum historiæ suppeditant. Proindè an melius sit, Religionem moriendo tueri, vel armis propulsare animorum turbatores conveniat, non est levis quæstio. Sanè, quando unius hominis negocium agitur, præstiterit fortè pati injurias, quàm propulsando eas, aliorum ferociam provocare, & cædibus intestinis occasionem præbere. Cùm verò agitur res non eorum solùm, qui tunc vivunt, sed posteritatis unà, Reges Ecclesiæ nutricii haut permittent, ut Religionis publicum exercitium ab hoste quocunque spolietur aut abrogetur. Exemplum, quod imitari liceat, præbent Maccabæi, pars melior Judæorum, 1. *Maccab*. 3. 1. 2. *seqq*. Neque enim possunt Deo rationes præstare, qui posteris suis Religionem veram interceperunt, aut stupore aliquo percussi, ut mori vellent per desidiam, cùm tamen vitam suam fortiter ulcisci possent, aut obsequio illegitimo compressi, ut vellent in gratiam alterius abdicare illa, quæcunque meliori jure sibi posterisque suis retinere potuissent. (2.) Nec minori cum injuria pro regione geritur bellum, quando incertum est, an ille sit obtenturus regionem, qui eam armis defendit. Multos videre est, qui se & suos & omnia sua hac ratione perdiderunt, ita ut si aliter egissent, regnare possent, qui nunc extrema sunt mancipia. Nonne igitur præstat, varios tentare modos, quibus regio conservetur, præter bellum, quales sunt fœderum pactio, de jure suo quodammodò remissio, tributorum solutio, regionis deditio, quæ omnia fieri possunt absque jactura salutis, vitæ & fortunarum. Nimirum hostem suum pro domino agnoscere, atque ita eum sibi devincire præstat semper, quàm incerto prælii eventui & victoriæ fallaci committere omnes fortunas suas, vitamq; ipsam. *Resp*. Quòd Rex bonus rerumq; suarum providus omnia prius consilio experiri debeat, ac armis tentet, optimum factu est. Sin pergat hostis nocere, & pacis leges repudiet, an victas manus dabit ille, qui populo cum imperio præest, & justis armis arma injusta propulsare potest? Fœdera, tributorum pensiones, agrorum deditiones non tàm ad pacis leges & innoxium viciniæ jus servandum cogunt vicinum hostem, quàm efferant magis, ut magis insultare

etiam velit. Rectius fecerit, cùm atroces injurias ulciscitur armis, imprimis adversus Barbaros, quorum dominio sese spontè subjicere, est melioris orbis damnum promovere.

XIII. Quæritur: *An Princeps ipse debeat interesse præliis?* Respondeo: Affirmant Bodinus *lib.5.de Republica, cap.5.* Tholosanus *lib.11.de Republica, cap.4.* Keckermannus *in Cursu Philosophico, disputat.35. quæst.7.* Danæus *lib.6. Politicæ, cap.5.* Adamus Conzenus *lib.10. Doctrinæ Politicæ, cap.23.* Machiavellus *lib.2. de Republica, cap.30.* Vernulejus *lib.4. Institutionum Politicarum, tit.6. cap.9.* Et consentimus. Rationes sunt: (1.) Quia præsentia Regis veluti numen est, à quo milites præsentiam animi veramque fortitudinem accipiunt. *Urget præsentia Turni*, ait Virgilius lib.9. Æneid. (2.) Quia Regis præsentia & præsentissima actio est validum incitamentum, ut milites etiam animo præsenti atque forti manu agant omnia, uti docet Julius Cæsar *lib.3. de bello Gallico.* (3.) Quia Regis præsentia est instar omnium, ut concorditer omnia gerantur, quando ejus unius imperio omnes obediunt, & sola obedientia in bello præstantissima res est, 1. *Sam.* 8. 19. 20. *cap.* 9. 16. (4.) Quia Regis maximè interest, ut victoria potiatur. Debet ergò adesse, vel saltem non procul ab expeditione abesse. (5.) Quia docent Annales, feliciter omnia acta esse, cùm Principes ipsi adfuerunt expeditionibus. Præsentiâ suâ Nebucadnesar Chaldæus, Cyrus Persa, Alexander Macedo, Julius Cæsar Romanus, Tamerlanes Scytha partem orbis meliorem pertinaciter urgendo vicerunt, Selymus Turcus Asiam edomuit, Gustavus Suedus invictas Austriacorum Principum opes primus ipse exterorum Regum fregit. (6.) Quia Reges præliorum & victoriarum authores verbis suis probaverunt. Selymus victor Asiæ monitum hoc dabat filio Solymanno: Rebus gerendis ipse præsens esto, quando cupis fructus utiles è bellis percipere, uti refert Hermannus Risebergius *in Historia Turcica, pag.146.*

XIV. Quæritur (3.) *An præstet equitatum majori copiâ, quàm peditatum, alere?* Respondeo: Equitatum in majori copia præferunt Adamus Conzenus *lib.10. Doctrinæ Politicæ, cap.31.* Scipio Amiratus *lib.19. Dissertat. Polit.2.* Henricus Ranzovius *lib.1. de Bello, cap.11.* Rationem adferunt, quia equites hostilem aciem facilius circumveniunt & profligant. Peditum copiam majorem adhibendam esse, statuunt Clemens Timplerus *lib.4. Systematis Politici, cap.10. quæst.12.* Machiavellus *lib.2. Dissertat.18.* Justus Lipsius *lib.5. Doctrinæ Civilis, cap.7.* Aptè & ad mores nostri ævi, quando non solùm præliis verùm etiam obsidionibus urbium res belli geritur, controversia deciditur: Equites in præliis utilissimam operam navant, pedites in urbibus obsidione claudendis, faciendis assultibus, deponendis præsidiis. Adeoque quanquam minor copia equitum semper laudatur, major copia peditum, hoc tamen opus erit, ut prospiciatur, ne vel isti vel illi desint exercitui in justa copia. *Machiavellus* pro commendando peditatu adfert rationes istas: (1.) Quia populus Romanus in expeditionibus suis belli præcipuum robur constituebat peditatum, adeò ut re propè desperatâ, hoc remedium adhibuerint, jubendo, ut equites descenderent ab equis, ac pedestre certamen inirent, quo-

quomodo factum est in conflictu adversus Samnites ad Lacum Regillum, Livius *lib. 2. histor.* Dionysius Halycarnassæus *lib. 5. Antiquitatum.* (2.) Quia pedites loca invia & ardua facilè superant, ubi non possunt adire equites. (3.) Quia pedites facilius observant ordinem, atque turbato illo, rursum coire possunt, cùm tamen equites nonnisi difficillimè ordinem servent, atque turbati semel, haut ita facilè in priorem seriem redigantur. (4.) Quia pedites intra aciem collocati, longè facilius turmas equestres hostium vel perfringunt ipsi, vel prohibent ingruentes bombardis, sarissis, contis oblongis, quàm ut ipsi ab equitibus horumque armis profligentur. (5.) Quia Italiæ populi in bellis adversus Germanos, Gallos, Hispanos occeptis victi semper fuerunt, quòd operam omnem adhibuerant in curanda militia equestri, peditesque neglexerant. (6.) Quia docent Annales, quàm sit exercitus firmus à peditatu instructus. Pompejus, Marcus Crassus, Antonius Triumvir, Romanorum Duces per universum Orientem totoque Parthorum Imperio cum successu dimicaverunt: Habebant verò modicum equitatum, peditatumque amplissimum, ubi hostes eorum amplissimas equitum turmas adduxerunt. Victi semper discesserunt, & Crassus dolo magis quàm virtute hostium periit. Helvetiorum copiæ pedestres apud Novariam profligabant exercitum Ludovici Regis Galliæ, equitum numero satis magno constantem, insuper tormenta bellica & machinas campestres abducebant. Nec minus posteà Franciscum Regem equitibus plurimis circumdatum, biduano prælio sustinebant pedites ipsi ad Marignanum, donec labore indefesso fracti excederent campo, & victoriam cruentam hostibus deferrent. Sed & multis annis ante Carolum Burgundiæ Ducem, valido æquitatu confisum, pedites ipsi ad Gransonum, & lacum Moratensem, ad Nancejum animosis conflictibus superaverant & everterant. Janisari, pedites sunt apud Turcos, ex instituto Amurathis Sulthani, eorumque fortitudine stetit hactenus Imperium. Certè validissimis Dacorum, Hungarorum, Mamaluccorum, Sophianorum copiis victorias extorserunt, quæ maximam partem constabant equitatu, atque ei debilem peditatum adjunxerant. (7.) Quia pedites non ita respiciunt ad fugam, itaque pugnando audacius & mortem præferendo, vincunt quidem tardius, sed vincunt certius. Hæc Machiavellus.

XV. *Respondeo:* (1.) Imbelles Orientis Reges, & adversus irruptiones hostium non satis prævisas, non semper ad pugnam sese offerre poterant, quando nec Romani carebant equitatu, quem auxilio petebant à sociis in Oriente Regibus. Horum unus alteri semper infensus, lites mutuas serebant, & quocunque modo Romanos juvabant, adeòque vincebant hi minorum gentium Regulos, non tàm peditum suorum virtute, quàm sociorum equitatu provecti ad conserendas manus: Parthos verò non domuerunt unquam, sed hi potius Romanas aquilas non semel in fugam converterunt. (2.) Neque peritus aciei instruendæ Princeps, in locis ejusmodi confligendum statuit, sed copias melioribus modis in loca oportuna deductas conservat, suam esse victoriam ratus, cùm non est prælio victus. (3.) Pedites ab equitum incursu facilè turbantur, cùm apertis locis consistunt, neque aciem muniverunt fossis, loricis, sepimentis arborum

succisarum. (4.)Nostri equites cùm brevibus tormentis conjungunt bombardas ad latus pendulas, oblongas, adeoque eminus obsidendo peditatum solâ fame ad deditionem faciendam compellunt. (5.)Clades acceperunt Itali, non quòd equitatum curando errarent, sed quòd indurato militum robori, quos Germani Galli, Hispani exercitiis crebris formaverant, novitii ipsi occurrerent, aut mercenariis nimium fiderent, uti cumprimis Veneti facere consueverunt. (6.) De Romanis anteà dictum est. Helvetii vicerunt Gallos desperatâ pugnâ, adorti eorum pedites intra præruptos fossarum ductus, quo non poterat eques auxilio ire, & cum noctis silentio usi non prævisos conflictus hosti obtruderent. Eodem victoriæ genere intra montium diverticula oppresserunt Austriacos & Burgundos. Quanquam Burgundiæ Ducis infelices pugnæ ortæ sunt plurimùm inde, quia proditores in exercitu suo habebat, & vice ultima non satis exploratæ hostium cum validis copiis accelerantium militiæ sese objiciebat, audaci magis quàm forti consilio usus, uti dixi in Recensu historiæ universalis *lib.* 13. *cap.* 4. *dist.* 9. Turci victorias obtinuerunt, antequam Janisari pedites essent, neque tamen illis equitum copia exilis adest, cùm pugnandum est. Dacis & Hungaris intestinæ dissensiones cladem attraxerunt, Mamaluchos & Sophianos fugaverunt tormentorum campestrium beneficio, quibus carebant populi isti. (7.)Pedites ab equitatu deserti, aut capiuntur abjectis armis, aut in fuga occiduntur.

XVI. Quæritur: (4.) *An liceat dolis, insidiis, proditoribus rem agere contra hostes?* Respondeo: Si non violatur data fides, laudantur insidiæ, doli, proditores. Talium olim fautores magni fuerunt Philippus Macedo, Lysander Spartanus, Hannibal Pœnus, acerrimi Sophistæ in armis, cavendi, fallendi, vincendi artibus insignes, quique gaudebant longè magis circumvento per dolum hoste, quàm si illum aperto marte superavissent. Justinus *lib.* 5.6.7.8.9.10. *histor.* Livius *lib.* 23. *seq.* Plutarchus *in vitis illustribus*. Neque hoc malè, nisi toties violatæ fidei crimen addidisset. Cæterùm proditoribus uti velle, non laudant Philippus Henonius *Disput. Polit.* 7. *dist.* 60. Timplerus *lib.* 4. *System. Polit. cap.* 10. *quæst.* 25. Ranzovius *lib.* 2. *de bello cap.* 6. Adferunt rationes: (1.)Quia proditio est peccatum mortale, ortum à perfidia. Atqui nullum peccatum mortale debet approbari cùm aliàs, tùm in bello. *Respondeo:* Ratio quidem ponderis ejus est, ut proditor avocari possit, ne consilia proditoria deducat in actum, non tamen hostis avocabitur eodem modo, ne velit proditionem alterius in commodum suum adhiberi. (2.) Quia viri proditores omninò sunt infames. *Respondeo:* Instrumenti præstantia secundùm externa effecta censetur, non verò secundùm bonitatem internam. (3.) Quia viri proditores sunt hostes patriæ & populi sui. *Respondeo:* Atqui proditorum opera uti velle, nihil vetat, quando licitum est, damna hostium quovis modo procurare. (4.)Quia proditores repulerunt illi, quibus curæ erat fortiter agere, uti constat de Furio Camillo & Fabricio apud Romanos, Livius *lib.* 13. *histor.* Eutropius *lib.* 2. Aulus Gellius *lib.* 3. *cap.* 8. Cicero *lib.* 3. *de Officiis*. Respondeo: Libuit viris illis jure suo non uti, etiam tunc cùm licebat. Dicebat *Augustinus:* Cùm justum bellum suscipitur, an pugnâ apertâ, an

verò

verò ex insidiis vincas, nihil ad justitiam interest, *lib.6. Quæstionum in Josuam, num.* 10. Sanè alii aliter egerunt. Servilius Consul Viriatum hostem per fraudem & domesticos percussores sustulit, quando armis edomare illum non poterat, Appianus *in Hispanicis*, Florus *lib.2.cap.17.* Imitabatur Metellus, apud Salustium *in Jugurtina cap. 46. & 61.* Estque in literis sacris exemplum, quòd Hebræi in superanda urbe Lussa, utuntur viri proditoris ope, *Judicum* 1.14. *seqq.* Breviter: Proditio grata est, proditor haut semper in precio est, uti prolixius docent Machiavellus *lib.3. de Republica, dissertat.* 10. Verulejus *lib. 4. Politica, tit.* 10. *cap.7.* Adamus Conzenus *lib.* 10. *Politica, cap.38.*

XVII. Quæritur: (1.) *An præstet foris adoriri hostem, quàm domi nostræ exspectare?* Respondeo: Domi hostem operiri nos debere, contendit Johannes Chokierus *notis ad Onosandrum cap.29.* Rationes profert: (1.) Quia commeatus & arma necessaria facilius domi parantur, quàm foris. *Respondeo:* Imò ista omnia facilius & minori cum patriæ dammno comparantur in hostico solo aut cum sterilitas loci prohibet, è patria deportentur ope jumentorum. (2.) Quia hostium conatus facilè impediuntur inter amicos & locis notis, haut inter ignotos & peregrinos ob infesta odia. *Respondeo:* Nihil ignotum adeò erit in solo hostico, quod non per exploratores, captivos, precio redemptos proditores notum fieri possit. (3.) Quia foris cum suprema clade exercitus dimicatur, neque fugientibus è prælio ad loca tuta pervenire licebit: Atqui domi nostræ clades minor est, fugientes defenduntur, levius damnum est ob facilem reparatu exercitum. *Respondeo:* Non tàm bonæ causæ argumentum quàm ignaviæ solatium est, quòd domi sit tutior fuga, quàm foris. Fortius pugnat miles, cùm fugæ spes abest. Clades accepta domi terribilior est, non ita terribilis est, quò longius abest. Et verò quò longius abest, eò levius damnum inferat rebus illis, per quas exercitus clade affectus restitui poterit. (4.) Quia miles accenditur patriæ, amicorum, cognatorum amore, ut velit pro illis pugnare & pugnando vincere, sine quorum incolumitate nulla est vitæ jucunditas. *Respondeo:* Hanc ipsam causam fortiter pugnandi secum asportat civis bonus in solum hosticum, ut ita non referat vincentis, quo loco hostem superet, modò non superet hostis, ac patriæ nostræ rebus damna maxima inferat. (5.) Quia populi domi suæ fortes & felices victi sunt, cùm foris arma circumtulerunt, exemplo Atheniensium, qui in Sicilia cæsi longo tempore non poterant ab accepta clade respirare, Justinus lib.4.h.stor. *Respondeo:* Clades illa non tàm propter solum hosticum, quàm propter militum negligentiam eveniebat. Et tamen brevi tempore ab illa clade respiraverunt, cladem verò internecinam, non quidem in hostico solo acceperunt, sed domi à Spartanis victi, uti dictum est in Recensu historiæ universalis *lib. 2. cap. 2. dist.* 11. Certè Romani, Tartari, Turci, Germani, Galli, Suedi in peregrinis terris feliciter pugnaverunt. Romani Hannibalem, Hannibal Romanos in peregrinis terris devicerunt, domi suæ alter ab altero cæsus & fugatus est, uti diximus *lib. 2. cap. 2. dist.* 17. ibidem.

XVIII.

XVIII. Rectè ergò docent Machiavellus *lib.2.de Republica,differtat.*12. Keckermannus *in Cursu Philosophico,disputat.*33.*quæst.*13. Renatus à Lusingas *libro de Incrementis Imperiorum,pag.*15.*seqq.* Scipio Amiratus *lib.*18.*differtat.*2. Vernulejus *lib.*4.*Institutionum Politicarum, tit.*9.*cap.*1. Adamus Conzenus *lib.*10.*Politicorum,cap.*44 quòd Rex hoc sedulò agere debeat, ut hostem in solo ejus invadat. Rationes sunt: (1.) Quia hoc modo avertitur direptio subditorum nostrorum, à quibus operæ bellicæ præstandæ sunt ordinariis modis. Neque enim pecuniarum subsidia conferent illi, quos spoliavit hostis, & civitatibus ab hoste expugnatis non ita facilè potiri liceat, quando opeibus & præsidio instructæ difficillimum bellum faciunt, ac demùm cum multo sanguine militum & gravissimo incommodo civium recuperantur. (2.) Quia miles remotior à patriis laribus, & fugæ minus intentus erit, & magis ad pugnandum invitabitur spe prædarum agendarum in peregrino solo, non ita ausurus domi suæ. (3.) Quia docent Annales, felicius egisse peritos belli duces, cùm foris exercitus suos regebant. Annibal feliciter pugnabat in Italia, atque idem suadebat Antiocho Regi Syriæ, ut si populum Romanum vincere vellet, cum exercitu suo transiret in Italiam, Livius *lib.*34.*histor.* Agathocles Siculus profusis domi suæ viribus omnibus, cæsus, victus, fugatus à Pœnis, cum parvo exercitu in Africam profectus, debellabat hostes, militibus suis jam ante pollicitus villarum, oppidorum, urbium direptionem, unde præda ubertima comparabatur, Justinus *lib.*22.*histor.* Batavi tum maximè nocebant Hispanis, cùm tubas & tympana foris circumferebant, suæque patriæ quietem conciliabant, hostem in Orientis & Americæ portubus, intraque præsidia ipsius alia adorti cum exercitu navali, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.*23.*cap.*2.*dist.*2. (4.) Quia clade quamvis acceptâ viros perdimus, terroris verò minus perferimus ad cives nostros. In prælio ad Ticinum victis Gallis, una Regis captivitas infeliciter accidebat, victoribus Hispanis ad invadendam Galliam victoria non proderat.

XIX. Qæritur: (6.) *An liceat cædes facere & prædas agere in bello?* Respondeo: Certare odiis in bello, cædesque facere, licitum esse, ajunt Livius *lib.*21. *&* 26. *histor.* Cicero *Orat. pro Dejotaro & Marcello*, Spartianus *in vita Severi*. Licitum intellige, non quòd actus ille omni culpa careat, sed quòd per leges non puniatur, quando rebus nostris commodat. Non enim omni culpa vacat, ubi innocentes perinde & noxii cadunt, quod in bellis fieri, ait Tacitus *lib.*1. *Annalium.* Etiam infantum & mulierum cædes impunè habentur, in quantum licentiâ istâ defenduntur, *Deut.*2.34.*cap.*20.16. 1.*Sam.*15.3.*Psalm.*137 9. Ejusmodi occidiones citra sexus atque ætatis discrimen fecerunt Thraces in Mycalesso, Thucydides *lib.*1. *histor.* Macedones in eversione Thebarum & Tyri, Justinus *lib.*12. Curtius *lib.*4. Romani in destructione Carthaginis ac Numantiæ, Florus *lib.*2. *histor. cap.*15. *& pag.*18. Germanicus ad Rhenum & Mœnum, Tacitus *lib.*1.*Annalium*; Julianus Cæsar in Assyria, Ammianus *lib.*14.*histor.* Quin captivis etiam atque supplicibus necem inferre licet, nisi cùm victor singulari gratiâ commotus, vitam eis relinquit. De captivis est dictum Elisæi vatis: *Quos captivos abduxisti*

xisti gladio & arcu tuo, eos percute, 2.Reg.6. 22. Eò quidem progredi voluit jus belli, ut nec Reges, nec illustres Principes bello captos in vivis conservare vellent ii, qui victoriæ lege metiebantur omnia. Quòd enim *Magister Herminianus lib.*4. scribit, Romanos neminem Regem, quem armis ceperant, vita spoliavisse, hoc, inquam, vero non respondet, uti exemplis multis probari potest. Eumenius *Panegyrico ad Constantium Cæsarem*: Renovâsti Imperator veterem illam Romanorum legem, quâ de captis hostium Regibus vindictam morte sumebant: Postquam enim triumphi solennia ornavissent, abrepti in carcerem, necabantur, dederuntque aliis Regibus exemplum, ut mallent Romanorum amicitiam colere, quàm justitiam exasperare. *Sic ille*. Exempla sunt in promptu. Pontius Samnitium Regulus securi percussus est, Livius *lib.9. histor.* Aristonicus Rex Pergami, & Jugurthas Numida in carcere fuerunt strangulati, Appianus *in Mithridatico*, Eutropius *lib.4. histor.* Orosius *lib.5. cap.8. & 15.* Antigonus Rex Hebræorum, volente Antonio Triumviro, cervicem securi subjecit Antiochiæ, Josephus *lib.14. Antiquitatum, cap.2.* Francorum & Allemannorum Reges bello captos, victor Maximianus objecit bestiis pro spectaculo, Eutropius *lib.10. histor.* Multò crudelius egit Carolus Andegavensis Rex Siciliæ, qui Conradinum Sueviæ Ducem prælio victum & captivum, in consilio militari adductum, votis eorum, qui Regibus iniqui semper fuerant, damnatum, publico supplicio affecit, *velut latronem & Ecclesiæ spoliatorem*, ait Sigonius *lib.7. Historiæ Italicæ.* Nec æquior illis *Forcatulus* de eodem Conradino: Capitis temerarii amissione plecti jussus est, *lib.2. de Philosophia Gallorum, fol.* 118. Fœdo prætextu, fœdiori ausu, quoniam Conradinus erat Siciliæ hæres, uti dictum est in Recensu historiæ universalis *lib.* 19. *cap.1. dist.5.* & consentit Justus Lipsius *lib.2. Monitorum Politicorum, cap.14.* adeoque Gallis nimiam facilitatem animi in exsequendo sanguinario Papæ decreto exprobrant Galliæ cives, Philippus Mornæus *in Mysterio iniquitatis, pag.898. seqq.* Johannes Bodinus *lib.2. de Republica, cap.6.* Quòd supplices occisi fuerint, & factum jure belli defendatur, habes apud Homerum *locis multis*. Turnus dicebat: *Ulterius ne tende odiis*, & tamen Æneas ei *ferrum sub pectore condit, vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras*, ait Virgilius lib.12. Æneid. Exempla in Romanorum gestis, ubi supplices & deditos captivos interfecerunt, videris apud Livium *lib.2. & 28. histor.* Ciceronem *Orat. 5. Verrina*, Salustium *in Jugurthina*, Dionem Cassium *lib.45. histor.* Tacitum *lib.12. Annal. & lib.1. histor.* Alii verò aliter.

XX. Lactantius factum illud Æneæ in Turnum vocat impium & crudele, quòd non pepercerit supplici, *lib.5. Institutionum divinarum, cap.10.* Porrò fuit receptâ lege apud omnes gentes, ut qui bello caperentur, victorum arbitrio servi perpetui essent, nec ipsi tantùm, verùm & nati ipsorum, & qui nascerentur ab illis, tantùm quòd progenitores eorum armis oppressi, atque intra præsidia deducti essent, Aristoteles *lib. 1. Politicorum, cap.4.* Polybius *lib.2. histor.* Dion Prusæensis *Orat.15.* Oppianus *lib.2. de Piscatione*, Tacitus *lib.1. Annal. lib.2. & 3. histor.* Servius *Commentariis ad lib. 1. Æneidos.* Hoc eo fine Jus gentium constituit, ut victores contenti dominium habere

in captivos, quos illicò occidere impune poterant, vivos servarent ad ministeria. Europæ gentes illæ, qui libertati velut rei inæstimabili, precium aliquod etiam inter arma statuebant, ad servitia non detrudunt captivos, vel enim precio accepto restituunt veteri domino, vel militiæ suæ permiscent novo juramento obligatos, quando à veteris domini fide captivitas absolvit eos, vel obstrictos juramento, quòd contra ipsos militare deinceps nunquam velint, dimittunt, uti docet Franciscus Victoria *Relectione de Jure belli, num.* 42.

XXI. Sic quoque prædas agere & solitudines facere in agris hostium, permisit Jus gentium, *Cicero lib.* 3. *Deut.* 20. 14. Itaque *Livius* dixit: Sunt quædam belli jura, quæ ut facere, ita pati fas sit, sata exuri, tecta exuri, prædas hominum pecorumque abigere, *lib.* 31. *histor.* Ipsas urbes dirutas, solo æquatas, homines ejectos, mœnia eversa, populatos agros, incendia domorum, direptos colonos, omnibus apud Historicos paginis legas. Neque hîc excipiuntur sacra, id est, templa & templorum instrumenta, quibus cultum divinum peragunt ministri sacrorum. Rationes sunt: (1.) Quòd res sacræ & religiosæ sint, non quidem naturâ suâ, verùm ex instituto hominum, unde quæ genti uni sacra & religiosa sunt, ea genti alii talia non sunt. Romani prisci Solis, Lunæ, Terræ visibilium Deorum cultum amplexi, annis multis statuas nullas habebant. *Quod si adhuc mansisset, castius Dii observarentur,* ait Varro loco illo, quem descripsit Augustinus *lib.* 4. *de Civitate Dei, cap.* 36. Atque idem Varro addiderat: *Qui primi Deorum simulacbra populis posuerunt, sic civitatibus & metum dempserunt, & errorem addiderunt.* Persæ abstinebant à simulacris, eratque illis pervigil Ignis unicum symbolum Dei magni, SOLIS, itaque horum πυραθεῖα, & adjunctam aram, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι, referunt Strabo *lib.* 15. *Geograph.* Curtius *lib.* 3. & 4. *histor.* Theodoretus *lib.* 5. *Histor. Ecclesiast. cap.* 29. In literis sacris, ubi de Phœnicibus sermo est, dicuntur חמנים, *Levitic.* 26. 30. quod Ariæ Montanus vertit, *Simulachra Solis*, meliùs verò exponit Rabbinus Becchai de locis, ubi Solem colebant ignibus sacris exstructis, nec enim tàm simulachra quàm loca fuisse, constat ex *Esa.* 17. 8. *Ezech.* 6. 4. Loca videlicet, quæ πυραθεῖα vocat Strabo *l. d.* πυρεῖα, Procopius *lib.* 1. *Persicorum*. Aræ fuerunt apud gentes illas, quibus templa non lubebat condere, uti sunt Persæ, Phœnices, Celtæ. His enim Luci erant vice templorum, & in illis positæ aræ, vel in excelsis montibus, ceu locis Soli atque Lunæ magis propinquis. De Persis affirmat Herodotus *lib.* 1. ubi est, ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες θυσίας ἔρδειν, & adde Strabonem *lib.* 14. *Geograph.* Proinde Xerxes cum immensis copiis Græciam ingressus, omnia Deorum templa vastavit, *ruinis & ignibus delevit*, quæ sunt verba Alexandri Magni, apud Curtium *lib.* 3. *cap.* 19. & de illo facto Xerxis vide porrò Solinum *in Polyhistore, cap.* 53. Pausaniam *in Arcadicis*. Scilicet Magi criminabantur (μωρίαν ἐπιφέροντες, ait Herodotus *l. d.*) Græcos, quòd Deos includerent parietibus, cùm tamen omnia illis patentia essent, uti Cicero *lib.* 4. *de Legibus* narrat. (2.) Quòd sacra profanis æquentur victoriæ jure, uti pronunciant Cicero *Verri-*

nis.

næ 3. & 5. Pomponius Jurisconsultus *l. cùm locaff. de religiosis* 36. Thucydides *lib.* 4. *histor.* Livius *lib.* 5. & 25. *histor.* Josephus *lib.* 6. *de bello Judaico, cap.* 24. & 34. Plutarchus *in Fabio Maximo*, Virgilius *lib.* 2. *Æneid.* Et *Tertullianus* scribit: In bellis fiunt eædem strages mœniorum & templorum, pares cædes civium & sacerdotum, nec dissimiles rapinæ sacratum & profanarum divitiarum, *in Apologetico.* (3.) Quòd cùm populus alteri populo aut Regi se dederet, humana simul ac divina ejus arbitrio permitteret, Livius *lib.* 5. *histor.* Plautus *in Amphitruone*, Tacitus *lib.* 12. *Annal.*

XXII. De præda bellica retinenda inæqualiter statuerunt Gentium mores. In militia socia, quæ latrociniorum actus aliquos imitabatur, æqualis divisio instituta esse legitur, & Davidis exemplo constat, 1. *Sam.* 30. 22. 23. 24. Veterum Hebræorum mores observabant idem, namque apud eos de agro, qui bello captus fuerat, Rex tantum auferebat, quantum singulæ tribus, Thalmud libro de Rege. Apud veteres Græcos arma bello ablata, & pretiosa quæque dona, aurea, argentea, reservabant sibi Duces, reliqua permittebantur militibus, ut quæ quisque in castris hostium expugnatis quærendo inveniret, rapiendo sibi reservaret, Euripides *in Troadibus & Andromacha*, Virgilius *lib.* 2. *Æneidos.* Non aliter agunt hodiè Europæ populi. Recentiores Græci non permittebant rapi cœco impetu, adeoque manubiæ in medium allatæ primùm, deinde pro meritis distribuebantur inter milites, pars aliqua in fiscum referebatur, ut in futuros usus superesset, Herodotus *lib.* 9. Plutarchus *in vitis Agesilai, Lysandri, Aristidis.* Idem quoque faciebant Pœni, Strabo *lib.* 12. Livius *lib.* 23. *histor.* nec non Romani, Dionysius Halycarnassæus *lib.* 11. Vellejus *lib.* 2. Livius *lib.* 5. Inde est, quòd tot peculatus & repetundarum actiones occurrant pro Servilio, Camillo, Coriolano, Scipionibus, apud Plutarchum, Livium, Florum, Aurelium Victorem. Quod benè factum, quando censibus & vectigalibus in militiæ usum non adeò vexabantur cives, atque Legiones ordinariæ commodè aliàs alebantur, quorum neutrum hodiè est, ubi miles provincialium censibus victitat, & regiones optimæ quævis per tributa immodica exhauriuntur. De qua re alibi plura.

XXIII. Quæ belli jure occupantur, illa vel pari jure, armorum scilicet, defenduntur adversus veteres dominos, vel pactis redimuntur, ut nostræ res pergant esse. Ita Longobardi agros Italicos, Gunni & Avares Pannonicos, Germani Borussicos & Livonicos, Franci Gallicos, Gotti Hispanicos, Normanni Anglicos, Turci Asiaticos agros obtinuerunt, Mauri Hispanicos, uti plurimis locis in *Historia universali* diximus. Perindè ad victorem pertinent, quæcunque ille victis populis ademit, quanquam sint inter adempta aliqua, super quibus victi antiquas lites adversus populos alios habent, veluti qui bello ista amiserunt. Id verbis manifestis contendit Hannibal apud Livium *lib.* 21. *historiarum*, sed armorum successu frustratus non obtinuit. Theodoricus Ostrogotorum Rex armis pepulit Odoacrum Italiæ Regem, & in verba sua adactam Italiam solebat reddere

Zenoni Graciæ Cæsari, quamvis hic reposceret illam, Agathias *lib.* 1. *histor.* Pompejus ablatam Tigrani Syriam nolebat restituere Antiocho Eusebi, quamvis hæredi, quia stolidum esset, alienæ victoriæ fructum arripiendo, commoda intervertere iis, quorum interesset, pro armorum usura percipere emolumentum, Strabo *lib.* 12. *Geograph.* Justinus *lib.* 40. Appianus *in Syriacis*. Idem jus asseruerunt Hebræi in terris, quas olim Amorrhæis ademerant, & trecentis annis possederant adversus Ammonitas, *Numer.* 21.22.23.24. *Judic.* 11.23.24.27. Romani adversus Volscos, Vejos, Ligures, Dionysius Halycarnassæus *lib.* 6. & 7. *histor.* Livius *lib.* 41. *histor.* Plutarchus *in Romulo*. Franci adversus Romanos, Procopius *lib.* 4. *Gotticorum*. Quòd verò Abraham Hebræus spolia Regibus ad Euphratem sociatis erepta, Sodomitis à quibus ipsi priores illa rapuerant, voluerit reddere, gratia fuit, quam pro liberali inter eos habitatione præstare voluit, neque de jure compelli poterat, ut ita ageret, *Gen.* 14.15.16.21.22.23.24.

CAPUT NONUM.

Diatriba singularis de Aquila Romanorum.

SUMMARIA.

1. *Aquila in Legionibus.*
2. *Fanum aquilæ impositum.*
3. *Fanulorum exempla.*
4. *Tabernaculum Moloch.*
5. *Castrensis apparatus.*
6. *Marmor Cesianum.*
7. *Imagines Cæsarum.*
8. *Sacella castrorum.*

I. Legionis apud Romanos signum erat Aquila, id est, alitis ejus simulachrum aureum, hastæ præpilatæ suffixum, & pede altero fulmen sæpè ferens. *Suetonius*: Somniavit Jovem Optimum Maximum prætextatis compluribus circa aram ludentibus unum secrevisse, atque in ejus sinum signum Reipublicæ, quod manu gestaret, reposuisse, *lib.* 2. *cap.* 94. Signum Reipublicæ de Aquila quæ & Legionum signum erat, exponit Sabellicus *Enarrationibus ad h. l. fol.* 1.2.3. Aliter *Causabonus*: Ego, *inquit*, signum Reipublicæ interpretor δημοσίαν σφραγῖδα, quâ obsignari solita diplomata, & quæcunque alia Reipublicæ nomine signabantur. Symbolum autem potestatis & dominii est sigillum. Ideò soliti morientes annulum signatorium dare iis, quibus plurimùm vellent, ut de Alexandro narrant *Diodorus* & *Curtius*, vel quos hæredes instituissent, uti est apud *Valerium Maximum*. Quâ figurâ autem Reipublicæ, id est, signum publicum fuerit, nisi si fuit ipsius Romæ imago, qualis in nummis sæpè videtur, nescio, *notis ad h. l. pag.* 311. Neutrum amplector. Signum Reipublicæ est Aquila, non quidem Militaris illa, quam Legiones ostentabant, sed Consularis altera, quæ Consulis sceptro insidebat, eratque Consul ὁ πεοστάτης civitatis, uti diximus *suprà lib.* 1. *cap.* 16. *dist.* 4. Erat aliàs etiam lupus, canis, porcus, equus, teste Plinio, *lib.* 10. *cap.* 4. *histor. natur.* sed pleraque hæc desueverunt post tempora Consulis Marii, atque ille tantùm Aquilas adhiberi voluit. Nummi sunt cum Aquilis Legionum apud Abrahamum Gorlæum

Tab.

*Tab.*35.*num.*3. Petrum Seguinum *libro de numismatis antiquis*, *pag.*109. Antonium Augustinum *Tab.*7.*num.*18.19.20.22. *Tab.* 8.*num.*18.19.20.21.22. *Tab.*21. *num.*23. Tunc enim Reipublicæ perindè ac Legionum signum esse cepit, quando olim Reges, deinde Consules manu præferebant sceptrum, in cujus fastigio erat Aquila, namque ab Ethruscis acceperat Tarquinius Priscus inter alia sceptrum ἀετὸν ἔχον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς. Dionysius Halycarnassæus *lib.* 3. Hinc in usu permansit esse apud Romanos, dracones verò sub Trajano Cæsare & deinceps adhibiti sunt, uti refert Vegetius *lib.* 2. *cap.*13. & videre est in Columna Trajani *fol.*21.22.25.26.48.53.65.103. per Alphonsum Ciacconum descripta. *Propertius*: Aut quibus in campis Mariano prælia signo Stent, & Teutonicas Roma refringat opes. *lib.*3.*Eleg.*2 Salustius de Catilina: Ipse propter Aquilam adsistit, quam bello Cimbrico Marius in exercitu habuisse dicebatur. *Hæc ille.*

II. Aquilæ verò imponebatur famulum aliquod quadratum, uti in Columna Trajani *fol.*5. videre est. Præcedit Imperator gladium in sinistro habens latere, sequuntur eum signiferi quidam & milites plurimi, qui omnes gladium in dextro latere habent. Pictura quedam talis est apud Justum Lipsium *lib.*4. *de Militia Romana*, *pag.*271. Nimirum ad religionem sanciendam. Erat enim Aquila signum sacrum, itaque sacratas Aquilas vocat Valerius Maximus *lib. 6. cap.* 1. Nec amabant tantùm, sed venerabantur etiam illud. *Tacitus*: Aquilam amplexus religione sese tuebatur. *Et paulò post*: Sequetentur Romanas aves, propria Legionum numina, lib.1. Annal. *Claudianus*: Augustus veneranda prior vexilla salutat, lib.2. in Ruffinum. Non quia Crucis in iis sacrum erat signum vel Labarum, uti vult Spondanus *in Epitoma Annalium*, *pag.*434. sed ex more, quem Principes exercitibus servabant, primùm post tempus aliquod visos salutare, & more commilitonum reliquorum signa venerari. Ergò ornabant ungebantque, velut aliorum Numinum simulachra, uti docent Plinius *lib.*18. *cap.*4. Suetonius *lib.*4. *cap.*13. Aquila cum serto ad alas expassas implicito, est in Columna Trajani *fol.* 10. Nimirum innuebat hoc, quod sacrum erat. Ita non fiebat in signis aliis.

III. Estque de re illa Dionis locus *lib.*40. *histor.* ἐστὶ δὲ νεὼς μικρὸς καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται. Quem Lipsius allegat *lib.*9. *de Militia Romana*, *dialog.*5. sed non rectè exponit de sacello castrorum, in quo signa reponebantur. Et cùm non satis caperet Adrianus Junius *lib.* 3. *Animadvers. cap.*2. ad paradoxa referre voluit. Paucis verbis omnia dicit Stephanus Forcatulus, ναΐσκος, *id est, ferculum vel sacrariolum*, lib.6. de Imperio Galliorum. pag.375. Hoc ut rectè capiatur, notandum est, templorum quædam simulachra fuisse armaria illa, in quibus idola reposita minori formâ (icunculas vocat Suetonius *lib.*6.*cap.*56.) stabant, ut possent ubique & clanculum circumferri pro cultu adhibendo. Locus est *Actor.*19.24. ἀργυροκόπος ποιῶν ναοὺς ἀργυροῦς ἀρτέμιδος. Colebatur Diana in urbe Epheso, Dearum maxima, & ναοὶ sunt armaria illa ubi reponerentur Divæ ejus simulachra parva, ne aliquid perfecto cultui deesset. Rectè ita monet Erasmus *in notis*, & sequuntur Casaubonus *annotatis ad h. l. pag.*451. Hugo Grotius *notis ad Acta Apostolica*, *pag.*110.111. Johannes

m 5

hannes Tristanus *Commentariis de Imperio Romano, Tom. pag.* 39. Negat verò Beza *in notis magnis*: Non video, *ait*, quomodo ædiculæ istæ ναοὶ dici possint, nisi idoneis testibus probetur, templi specie fuisse fabricatas, quod mihi ne verisimile quidem videtur. Simpliciter accipio, Demetrium hunc templa argentea Dianæ solitum procudere, id est, aut in nummis, aut in aliis imagunculis celeberrimi illius templi figuram repræsentare, *pag.* 91. Reponimus Bezæ, nisi idoneis testibus probetur, olim nummos tales fuisse, non videmus, unde sententia illa defendi possit. Atqui ædiculas ex auro vel argento confectas indigitari, plurimis optimæ fidei Scriptorum testimoniis probabitur. νεὼς ἥρως βραχὺς ἐπὶ τραπέζης τινὸς est apud Dionem Cassium *lib.* 39. *histor.* Meminit cùm aquilæ argenteæ tùm sacrarii ejus Cicero *Catilinaria* 1. & 2. ναΐσκους & πινακίσκας refert Strabo *lib.* 14. *Geograph.* Sunt ergò ναοὶ ἀργυροῖ templi ejus præclari *iconismi*, & in illis Diva ipsa tutelaris velut cultoribus suis. καὶ ποιήσας αὐτῷ ἄξιον οἴκημα, ἐν τοίχῳ ἔθηκεν αὐτό, *Sap.* 13. 15. οἴκημα est ædicula. Tertullianus libro de Idololatria: *Si templum, si aram, si ædiculam ejus instruxeris.* Aliud est templum, aliud ædicula. Apulejus: *In ipso ferè meditullio Eponæ Deæ simulacrum residens ædiculæ, quod accuratè corollis roseis equidem recentibus fuerat ornatum*, lib. 3 de Asino aureo, pag. 141. Quod enim Justus Lipsius emendare vult, *residens sedicula*, non ita benè factum est, uti monent Johannes Brantius *notis ad Apulejum*, *pag.* 94. Johannes Pricæus *notis ibidem pag.* 177. Janus Gruterus *lib.* 6. *Suspicionum, cap.* 4. Fiebant etiam è ligno fanula ista. Herodotus τὸ δὲ ἄγαλμα ἐὸν ἐν νηῷ μικρῷ ξυλίνῳ κατακεχρυσωμένῳ περιέχουσι. Et tunc erant inaurata, quod nos docet Herodotus verbis modò allegatis.

IV. Alius locus est Actor. 7. 43. καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφάν. Verba sunt deprompta ex *Amoso c.* 5. 26. ubi est in Hebræo מלככם סכות. Hîc σκηνὴν optimè interpreteris *afferon*, in quo sedebat imago Regis quondam Ammonitarum, ex quo Ammonitæ stellam Saturni nominabant Moloch, & sacrificiis ex hominibus delectis venerabantur, uti diximus *lib.* 1. *Antiquit. Roman. cap.* 6. *dist.* 11. סכות verò est diminutivum à סוכה. Multæ ad hunc locum Prophetæ sunt multorum divinationes, quas referunt Johannes Tarnovius *commentar. ad h. l. pag.* 145. *seqq.* Salomon Glassius *lib.* 4. *Philologiæ sacræ, pag.* 802. *seqq.* Verùm nihil certius est eo, quòd nos diximus. Fanulum istud solenniter circumferebatur à sacrificulis thensæ impositum, *Esa.* 46 2. *Jer.* 10. 5. *Baruch* 6. 3. ξόανον vocant Grammatici veteres, meminitque eorum *Servius*: Erant simulachra brevia, quæ portabantur in lecticis, & à suis cultoribus mota, infundebant vaticinationem, quod fuit apud Ægyptios & Carthaginenses, *notis ad lib.* 6. *Æneid. pag.* 503. ubi est illud Virgilii, *agitataque numina Trojæ.* Remphan est idem Saturnus, alio nomine apud alios populos dictus. Ita retulimus *lib.* 1. *Antiq. Rom. lib.* 1. *cap.* 6. *dist.* 14.

V. Quòd verò ejusmodi fanula Godescalcus Stevvechius *notis ad Vegetium, pag.* 103. monstrare vult in nummis Constantini, hoc inquam, non laudamus. Quos enim ille pingit nummos, docet inspectio, nihil eos habere nisi δίβιλλον seu Labarum attritum per vetustatem, ut appareat esse velut turricula acuminata, adeoque famulum non esse. Alia sententia est *Johannis Pierii Valeriani*: Inter

castren-

castrensia, *ait*, ornamenta honoresque invenias plerisq; locis non tantùm signa, verùm etiam areas pullarias, castrorum modulos, signorum loculos & coronas, quæ quoniam observatione digna sunt, & eruditis jucunda, minus gravabor quędam subtexere, qualia uno marmore apud Paulum Cardinalem Cæsium animadverti. Castra quidem hujusmodi contignatione fabricata erant, tignis octo pro parte qualibet ita compactis, ut sibus quæque locis in transversum conserta, clavis sive fibulis leonina capita præ se ferentibus conjungerentur, quorum quidem clavorum hieroglyphicum erat, vigilantem esse. Supra hujusmodi castrorum speciem capita duo adsculpta erant, velo quodam à dextro usque in lævum portento, & superinsidente. Supra utrumque caput singulæ laureæ. A castrorum angulis inferiori parte loculi duo, unus hinc inde alter, qui quadratâ formâ intus vacui in acutam cuspidem definebant. Hi terræ impingebantur pro theca, mox signi pars ima in eum inserebatur. Ibidem erat & pullaria cavea cum duobus pullis pascentibus, inter quam & castra signum Aquilæ conto præfixum. Idque manifesto ostendit, quâ ratione fieret, cùm exemptus loculo contus suspensus videatur, loculo vacuo apparente. A lateribus longissimi conti duo signis, præmiis & gestaminibus militaribus instructi, in quorum summo cuspis ad loculorum formam, ima pars ferro præmunita, capulisque prædita, ut commodè sisti & avelli possent. Apud Dionem *lib.* 40. *histor.* leges de loculo parvo, in quo aquila aurea collocaretur, eum longissimo conto præfixum in exercitu à signiferis gestari, qui ut facilius terræ impingi posset, in acutam cuspidem defineret. De quo videndus etiam Cornelius Tacitus *lib.* 1. *Annal.* in expeditione Germanici, ubi de hoc loculo sive de sistendis signis loquitur. Inscriptio addita est:

> *Marco Pompejo Marci filio, Anisio Aspero Centurioni Legionis decimæ quintæ, Apollinaris Centurioni cohortis tertiæ, prætoriæ, primopilari legionis tertiæ Cyrenensis, præfecto castrorum Legionis vicesimæ victricis Atimetus libertus Pullarius fecit, & sibi & Marco Pompejo Marci filio & Cinciæ Colibertæ, Aspro, Saturninæ, filio suo & uxori suæ, Marco Pompejo Marci filio colliberto, Aspro filio minori.*

Hactenus Pierius *lib.* 42. *Hierogl. pag* 418. 419.

VI. Marmor, ad quod provocat, est quoque apud Casparem Gevartium *lib.* 1. *Elector. cap.* 2. Nos quædam libero judicio usi annotabimus. Arcæ pullariæ erant pro Auguribus, de quibus meminit Inscriptio, & diximus *lib.* 1. *Antiquitat. Roman. cap.* 12. *dist.* 9. 10. 11. 12. 13. Castrorum modulos nuspiam vel in marmoribus, vel in nummis cernas, tantùm quòd castrum prætorium videas in nummis apud Antonium Augustinum *Tab.* 19. *num.* 6. *Tab.* 64. *num.* 14. Perindè uti signorum loculos nuspiam indigitant marmora, nummi, Authores. In præsenti marmore videt Pierius, quæ non sunt castra. Quorsum enim Leonum capita? Quorsum capita duo obtecta velo & ornata laureis? Hæc talia sanè haut possunt ad castra applicari. Mira clavorum expositio: *Clavi sunt leonis formâ, quia in castris vigilare debemus!* Quid ergò contignatio ista videbitur esse? Dicam esse ornatum vehiculi militaris, qualia ornamenta perindè injecta sunt curribus horum, qui Ludos Circen-

Circenses agitabant. Extat nummus cum inscriptione S.P.Q.R. Juliæ Augustæ, apud Onufrium Panvinium *lib. 2. de Ludis Circensibus, pag.* 89. Et verò quæ sit Julia illa, diximus suprà *lib.* 1. *cap.* 8. *dist.* 18. Porrò capita illa Leonum, non erant clavi in tignis castrorum, sed erant bullæ in curribus & vehiculis. Denique loculos fingit Pierius. Quos ille tales putat esse, cuspides sunt ferreæ à contis vexillaribus revulsæ, aut capuli vacui, pars inquam signi castrensis, quomodo pars currus exstat penes eam. Quòd loculi quidam terræ impingerentur seorsim, conjectura inanis est. Signa ipsa inferiori parte cuspidem sive capulum ferreum habebant, atque ita humo infigebantur. Hoc vel inde constat, quando toties legitur, Aquilas evelli non potuisse cùm volebant in hostem ire copiæ, idque prodigii loco habebatur, Florus *lib.* 2. *cap.* 6. Suetonius *lib.* 5. *cap.* 13. Valerius Maximus *lib.* 1. *cap* 6. Servius *notis ad lib.* 2. *Æneid. pag.* 250. Nimirum quia retinebantur à terra, intra quam consistebant. Si loculos peculiares habuerunt, quomodo non poterant commodè à loculis iis abstrahi, & loculi illi vacui fodiendoerui? Neque *Dionis* locus ad capulos tales à conto vacuos pertinet, sed fanula notat, intra quæ stabat Aquila, imprimis prætorianæ cohortis signum, uti ad oculum monstrat Columna Trajana. Frustrà ergò de loculis excogitavit Pierius, quem Tacitus nullo prorsus suffragio juvat.

VII. Ergò quia tantum honoris attribuebant vexillis suis Romani, vocantur τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, *Matth.* 24. 15. quod de signis militaribus Romanorum benè exponunt Hugo Grotius *in annotatis h. l. pag.* 407. Balduinus Walæus *in Commentario perpetuo ad Evangelia, pag.* 268. 269. Scilicet *Tertullianus* dicit: Religio Romanorum tota castrensis, signa veneratur, signa jurat, signa omnibus Diis præponit, *in Apologetico, cap.* 16. Affixi erant iis signis clypei, atque in clypeis pictæ fuerunt imagines Cæsarum, quos aut vivos etiamnum, aut defunctos inque Deorum numerum per consecrationem relatos adorabant. Icunculas istas in orbe aureo vel argenteo collo tenus expressas, videre licet in Columna Trajana *fol.* 6. 28. 38. 42. 51. 63. 73. 86. 88. 90. 100. Eusebius describit Labarum, & fuisse in eo dicit τὴν τῦ θεοφιλῦ βασιλέως ἐν εἰκόνα χρυσῆν μέχρι στέρνων, τῶν τε αὐτῦ παίδων ὁμοίως, *lib.* 1. *de vita Constantini.* Suetonius: Artabanus transgressus Euphratem, Aquilas & signa Romana, Cæsarumque imagines adoravit, *lib.* 4. *cap.* 14. Itaque Signiferi alio nomine dicebantur Imaginiferi. Gallica Inscriptio:

> *Memoriæ. æternæ. Solemnio. Fido. milit. Leg. Minerviæ. Imaginifero. Maturinia. Victorina. Conjugi. carissimo. ponendum. curavit. &. sub. ascia. dedicavit.*

Gruterus *in Volumine, pag.* 552. *num.* 1. Talia signa Titus conspicua in castris suis posuit, quasi templum templo Hierosolymitano contrarium. *Tacitus*: Fulgentibus Aquilis signisque & simulachris Deorum in modum templi, *lib.* 15. *Annal.* Abominabantur ista Judæi, cultores unius Dei, inque conspectu suo non facilè tolerabant, uti patet è gestis rebus cum Vitellio, de quibus refert Josephus *lib.* 18. *Antiquit. cap.* 7. quòd cùm ille in Arabiam ducere vellet exercitum suum, Judæorum Proceres deprecati fuerint seriò, ne per agros Palæstinæ duceret, veriti

veriti pollutionem terræ sanctæ à signis militaribus, & ad ea suspensis idolis aureis, ταῖς πρὸ μαῖς, uti vocant Josephus & Græci alii apud Suidam *in Lexico*, & Julium Cæsarem Bulengerum, *lib.* 12. *de Imperatore Romano*, *cap.* 13. Arrianus in Epicteto, τα σημεῖα τῆς ἐπιλ κῶν ςρατίας, ἐ κόρες βασίλειοι, αἰετοί, ςέμματα, πάντα χρυσᾶ. Manilius hoc illustrat: Venerisque ab origine proles Julia descendit cœlo, cœlumque replevit, Quod regit Augustus socio per signa tonante Cernit, & in cœtu divûm magnumque Quiritem, *lib.* 1. *Astronomic. pag.* 25. In hoc loco mirè se torquet, ut sensum indaget, Caspar Barthius *lib.* 11. *Adversar cap.* 10. neque satis ad verum exponunt Josephus Scaliger *in annotatis pag.* 90. Johannes Tristanus *Commentariis de Imperio Romano*, *Tom.* 1. *pag.* 116. 117. Sensus verus ille est: Julium Cæsarem cœlo oriundum per Venerem in cœlum, & inter Deos superos receptum esse, Augustum verò videre patrem unà cum Jove & Romulo in cœtu, id est, in urbe & extra urbem in signis militaribus coli. Hæc nos docuit Thomas Reinesius *in Epistolis Philologicis*, *pag.* 670. 671. Cæterùm scribit Modestinus: Crimen majestatis facto vel violatis signis vel imaginibus maximè exacerbatur in milites, *leg. ult.* §. 7. *ff. ad L. Jul. Majest.* ubi vulgò legitur, *violatis statuis*, verùm meritò corrigit Jacobus Godofredus *notis ad lib.* 1. *Tertulliani adversus nationes*, *pag.* 123. Signa militaria intelligit, ad quæ appendebantur imagines sive iconculæ.

VIII. Attamen Lipsius *lib.* 4. *de Militia Romana*, *dialog.* 5. tueri vult sacellum castrorum, in quo signa reponebantur. Adfert Herodianum, qui *lib.* 4. *histor.* de adventu Antonini verba faciens, ait, venisse illum εἰς τὸν νεὼν ἔνθά τα σημεῖα ᾗ ἀγάλματα τῦ ςρατοπέδυ προσκυνεῖται. Eò quidam referunt illa Flori de Perseo captivo apud Æmylium Consulem, cùm in conspectum venisset hostis, in templum recepit, & conviviis adhibuit, *lib.* 2. *Histor. Roman. cap.* 12. Templum de prætorio, ubi Aquilæ reponebantur, exponunt Gruterus *notis ad Florum*, *pag.* 143. & Christophorus Ruperti *Observationibus ibid. pag.* 406. 407. Negat Salmasius veram lectionem esse, adeoque corrigit, in tentum recepit, estque tentum idem quod tentorium, *notis ad h. l. pag.* 67. Scilicet prætorium erat vice templi, quando ibi fuit locus sacrorum, & cumprimis Auguraculum, id est, cavea & pulli, pars magna sacrorum quæ in castris observabantur. Josephus τὸ ςρατήγιον ναῷ παραπλήσιον, prætorium templo simile esse dicit, *lib.* 3. *de bello Judaico*, *cap.* 9. Quid ergò dicemus? Templum etiam vocantur domus magnificæ, quomodo Valerius Maximus *lib.* 8. *cap.* 15. palatium vocat honoratissimum templum, & apud Ovidium *lib.* 4. *de Ponto*, *Eleg.* 5. sunt Julia templa, id est, Cæsaris forum, quod ille post victoriam contra Pompejum obtentam, templo Veneris circumduxit, ac Romanum forum esse voluit, non quidem rerum venalium, sed eorum, qui ad jura danda convenirent, teste Appiano *lib.* 3. *civilium*, & confer Justum Lipsium *lib.* 3. *de magnitudine urbis Romæ*, *cap.* 7. Denique peculiare tentorium in castris, ubi repositæ fuerint Aquilæ, non memorant Scriptores, locus verò Herodiani non sufficit, quia ille per similitudinem ita vocat prætorium. Signa militaria fuerunt, quæ ante prætorium stabant, non etiam alia, quæ in sacello re-

condebantur. Salmasii correctio in loco Flori locum non habet.

CAPUT DECIMUM.

Diatriba singularis de Triumphis Romanorum.

SUMMARIA.

1. *Triumphi cerimonia.*
2. *Spolia in triumpho.*
3. *Arcus triumphalis Titi.*
4. *Tituli & simulachra.*
5. *Imperator cum triumpho.*
6. *Currus in triumpho.*
7. *Ovationis cerimonia.*

I. DE triumpho peculiares libros scripserunt Bartholomæus Marlianus, Onufrius Panvinius, Julius Cæsar Bulengerus, quibus adde Robertum Valturium *lib.* 12. *de re militari cap.* 1. 2. *seqq.* Picturas universæ pompæ habent Onufrius Panvinius *l. d.* Jacobus Laurus *part.* 1. *Antiquitatum Romanarum num.* 5. 6. 7. Imperatori triumphanti, cùm per urbem in Capitolium curru subveheretur, acclamabant Milites: IO TRIUMPHE, ut scribit Varro *lib.* 5. *de causis LL.* Horatius:

Teq; dum procedis, Io triumphe,
Non semel dicemus, Io triumphe,
Civitas omnis,

lib. 4. Carm. 2. Triumphabant illi qui validam gentem sævissimis pugnis feliciter attriverant, & Rempublicam auxerant provinciæ alicujus accessione. Dictatores, Consules, Prætores. Habitu triumphali ornati, armillis sumptis, annulum verò ferreum (ut Plinius author est *lib.* 32. *histor. natur. cap.* 1.) digito gestantes, redimiti laureâ. Horatius:

Neque res bellica Delius
Ornatum foliis Ducem,
Quod Regum tumidas contuderit minas,

lib. 4. Carm. 3. Ramum lauri protensum dexterâ, sinistrâ eburneum sceptrum tenentes in curru obaurato sedebant. Nummos habet Antonius Augustinus *Tab.* 13. *num.* 18. *Tab.* 14. *num.* 3. *Tab.* 18. *num.* 15. *Tab.* 34. *num.* 22. 23. *Tab.* 46. *num.* 10. 14. *Tab.* 55. *num.* 16. *Tab.* 56. *num.* 10. Horatius:

Io triumphe, tu moraris aureos
Currus.

lib. 5. Carm. 9. χρυσὴ ἅμαξα ἐφ' ἧ οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολέμων πομπὰς πομπεύουσι, ait Philostratus *in vita Dionis Sophistæ*: Exponit Turnebus, quòd currus illi fuerint de solido auro, *lib.* 2. *Adversar. cap.* 16. Negatur hoc propter illa Tibulli:

At te victrices lauros Messala gerentem,
Portabit niveis currus eburnus equis.

lib. 1. Eleg. 8. Et Ovidii:

Illa Ducis facies in curru stantis eburno,
Excuteret frigus sensibus omne meis,

lib. 3. de Ponto Eleg. 4. Et Albinovani Pedonis consolatione ad Liviam:

Magnaq; maternis majoribus æqua paternis
Gloria quadrijugis aureus ibit equis.
Regaliq; habitu, curruq; superbus eburno,
Fronde triumphali tempora vinctus erit.

Conciliare vult *Torrentius*: Quid ergò si *aureos* pro *fulgentes* atque eximiè ornatos accipiamus? inquit ille *ad librum Epodon Horatii Commentario pag.* 367. Res ita se habet: Curus eburnei erant, perinde ut lecti, in quibus Cæsares defuncti efferebantur ad exsequias, uti dictum est *suprà lib.* 1. *cap.* 8. *dist.* 6.

dist. 6. cæterùm fuerunt bracteis aureis obducti. Florus lib.1.histor.Roman.cap.5.vocat *auratum currum*, & propertius dicit:

Cujus inaurati celebrarunt limina currus, lib.1.Eleg.16. Quod ad formam attinet non omnes habuerunt eandem. Currus oblongos, uti Circenses erant, pingunt nummi Trajani Cæsaris, quorum unus refert Cæsarem, ut manu habeat laurum, & quatuor elephantos ad currum junctos, alter Victoriolam, quæ duas in manibus habet laureas, duos equos funales, Sebastianus Erissus *Expositione ad nummos Cæsaris pag.* 174. 175. Rursum currus rotundos plurimùm cernas in nummis Augusti, Germanici, Titi Vespasiani, Adriani, Antonini Pii, Commodi, Bassiani, Macrini, Alexandri Severi, Maximini, Gordiani, quos exhibent Antonius Augustinus *Tab.* 29. *num.* 3. 9. *Tab.* 30. *num.* 13. Sebastianus Erissus *Expositione ad nummos Cæsarum pag.* 136. 223. 281. 365. 416. 460. 477. 489. 503. Gorlæus *Tab.* 16. *num.* 8. Petrus Seguinus *libro de numismatis antiquis pag.* 102. Johannes Tristanus *Commentariis de Imperio Romano*, *Tom.* 1. *pag.* 86. 153. 396. 507. Atque ut victoriæ notas aliquas velut coràm spectaret populus, respergebatur maculis sanguineis. Notat *Seneca*: Nullum ornamentum Principis fastigio dignius est, quàm illa corona ob cives servatos, non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia, *lib.* 1. *de Clementia cap.* 26. Eodem pertinent illa Claudiani:

Scilicet ut Latio respersos sanguine currus
Aspicerem,

libro de sexto Consulatu Honorii.

III. Per triumphalem portam (uti vocat Cicero *in Pisoniana*) advecti, maxima lætitiæ signa comperiebant, videbant vias flore stratas, audiebant plausus & acclamationes, summoventibus lictoribus cum bacillis turbam, ne se pompæ admiscerent, ordinemque turbarent. *Ovidius*: Quaque ibis, manibus circumplaudêre tuorum, Undique jactato flore tegente vias. Tempora Phœbeâ lauro cingentur: Ioque Miles Io magnâ voce triumphe canet, *lib.* 4. *Tristium Eleg.* 2. Tubicines præibant, & pæana canebant, sequebantur Popæ cum bobus, qui sertis onerati & cornibus inauratis ad sacrificium properabant. *Virgilius*: Et statuam ante aras auratâ fronte juvencum, *lib.* 10. *Æneidos*. Adolescentes in contis & hastis (fercula vocat Suetonius *lib.* 1. *cap.* 37.) præferebant spolia opima hostium, ipsi etiam laureis ornati, quod monstrat Arcus Triumphalis Titi Vespasiani, quem pingit Augustinus Torniellus *in Annalibus sacris Tom.* 2. *pag.* 273. Spolia cùm plura erant, quàm ut gestari possent commodè, curribus imposita vehebantur cum ostentatione.

III. Torniellus *l. d. pag.* 270. *seq.* differit pro obtinendis spoliis in Hierosolymorum destructione per Titum Vespasianum ablatis, fuisse inter illa, Arcam fœderis. Nos verò hoc negavimus *Auctariis ad Historiam Ecclesiasticam pag.* 270. *seqq.* Certè libri Maccabæorum, ubi describunt templi secundi utensilia, nominant quidem altare obauratum, candelabrum, mensam propositionis, 1. *Maccab.* 1. 23. sed de Arca nihil memorant. Perierat incendio templi primi à Chaldæis illato, unà cum Lege Mosis, quæ ibi recondita erat. Torniellus affirmat, quòd Arca Fœderis in templo secundo fuerit, & per Titi milites ablata. Probare

 vult:

vult :. (1.) Quia Jeremias abdidit arcam in monte Nebo, antequam Chaldæi urbem & templum devastarent, 2. Maccab. 2. 4. 5. *Respondeo*: Fabulæ sunt, quæ libro isto referuntur, uti docuimus *libro de Scriptura sacra, Exercitat. 22. dist. 2. 3.* (2.) Quia Josephus *lib. 7. de bello Judaico, cap. 24.* narrat, à Tito monstrata esse in Triumpho mensam auream, candelabrum aureum, Legem novissimam spoliorum. *Respondeo*: Legem puta, descriptum aliquod Legis exemplar, non verò duas Legis tabulas è Sina monte olim delatas, & intra arcam fœderis depositas, 1. *Reg.* 8. 9. 2. *Chron.* 5. 10. *Hebr.* 9. 2. 3. 4. Hinc nequaquam evincitur, quòd arca fœderis in excidio secundo adfuerit. Potius contrarium testatur Josephus, *suo tempore*, inquiens, *nihil repositum fuisse in sacrario templi*, lib. 6. de bello Judaico cap. 6. Quæ verba sententiam nostram confirmant. Denique in arcu triumphali, quomodo illum pingit Torniellus, videntur quidem mensa propositionis & ei annexæ duæ tubæ argenteæ, quarum usus in Jubilæo fuerat, nec non candelabrum aureum septem arundinibus interstinctum, nullum uspiam arcæ indicium est.

IV. Spoliorum accessio erant tituli & simulachra picta, lignea, aurea, argentea, ferrea, eburnea, devictarum gentium, urbium, classium, exercituum. *Ovidius*: Ergò omnis populus poterit spectare triumphos, Cumque Ducum titulis oppida capta leget, *l. d.* Et *paulò post*: Hic lacus, hi montes, hæc tot castella, tot amnes, Plena feræ cedis, plena cruoris erant. *Et post pauca*: Crinibus en etiam fertur Germania passis, Et Ducis invicti sub pede mœsta sedet. Collaque Romanæ præbens animosa securi, Vincla fert illâ, quâ tulit arma manu. Rursum *lib. 2. de Ponto, Eleg. 1.* Protinus argento veros imitantia muros, Barbara cum victis oppida lata viris. Fluminaque & montes, & in altas proflua silvas, Armaque cum telis instrue juncta suis. *Propertius*: Aut canerem Ægyptum & Nilum, cùm tractus in urbem Septem captivis debilis ibat aquis, *lib. 2. Eleg. 1.* Et *lib. 3. Eleg. 3.* Inque sinu charæ nixus spectare puellæ Incipiam, & titulis oppida capta legam. *Claudianus*: Hi famulos traherent Reges, hi facta metallo Oppida vel montes, captivaque flumina ferrent, *lib. 3. de laudibus Stiliconis*. Florus: Cæsar patriam victor invehitur, primum de Gallia triumphum transmiserat Rhenus, Rhodanus, & ex auro captivus Oceanus, altera laurus Ægyptia, tunc in ferculis Nilus, Arsinoë, & ad simulachrum igneum ardens Pharus, *lib. 4. Histor. Roman. cap. 2.* Tum subibant hostium Duces, vincti catenis & captivi. An etiam detonsi in signum servitutis? Ita putat Thomas Dempsterus *notis ad lib. 10. Johannis Rosini, pag.* 1704. & profert illa *Propertii*: Testor majorum cineres tibi Roma colendos, Sub quorum titulis Africa tonsa jacet, *lib. 4. Eleg. 12.* Atqui Propertius hoc non dicit, ubi *tonsa Africa* est idem quod depopulata creberrimis bellis. Neque agit de titulis, quos præferebant triumphorum Duces, verùm intelligit titulos sepulchrales, quomodo Juvenalis dixit, *titulo res digna sepulchri*, Satyr. 6. De catenatis in triumpho Ducibus indicat *Tibullus*: Novos pubes Romana triumphos Vidit & evinctos brachia capta Duces, *lib. 1. Eleg. 8.* Vinclaque captivâ Reges cervice gerentes, Ante coronatos ire videbit equos, *lib. 4. Tristium, Eleg. 2.* Horatius: Intactus aut Britannus ut descen-

descenderet Sacrâ catenatus via, *lib.5. Carm.* 7. Catenæ sæpius erant aureæ, vano solatio. *Silius Italicus:* Ante Syphax feretro residens, captiva premebat Lumina & auratæ servabant colla catenæ, *lib.*17. Eos prosequebatur novus ordo virorum amictu candido, qui triumphales coronas ferebant cum pompa. *Juvenalis:* Hinc præcedentia longi Agminis officia & niveos ad frena Quirites, *Satyr.*10.

V. Hos demum excipiebat Imperator, cujus vestis triumphalis erat purpura cum intexto auro, picta, clavos aureos habens. Silius Italicus: *Ipse adstans curru, atque ostro decoratus & auro, Martia præbebat spectanda Quiritibus ora*, lib.17. de bello Punico secundo. Ovidius: *Hoc super in curru Cæsar victore veheris, Purpureus populi ritè per ora tui*, lib.4. Trist. Eleg.2. ἁλουργίδα χρυσόπαστον appellat Dion Cassius *lib.63. histor.* πορφύραν ἀστέρων χρυσῶν ἐνυφασμένων vocat Appianus *in Punicis*, id est, purpuream togam aureis stellis intertextam. Eodem sensu Dionysius Halycarnassæus *lib.3.* dicit, χιτῶνα πορφυροῦν χρυσόσημον, *tunicam purpuream auro clavatam.* Depingitur in nummo Cæsaris unà cum corona laurea apud Antonium Augustinum *Tab.13. num.21.* Inscriptio Romana:

PR. TR. PL. Q. Augur. TR. MIL. ex. sorte. bellum. cum. Jugurtha. Numid. vel. Procos. gessit. eum. cepit. &. triumphans. in. Jovis. secundo. consulatu. ante. currum. suum. duci. jussit. III. Consul. absens. creatus. est. IV. Teutonorum. exercitum. delevit. V. Consul. Cimbros. fugavit. ex. eis. &. Teutonis. iterum. triumphavit. Rempublicam. turbatam. Seditionibus. &. TR. PL. &. Prætor. qui. armati. Capitolium. occupaverant. VI. Cos. vindicavit. Post. LXX. annum. patriâ. per. arma. civilia. pulsus. armis. restitutus. VII. Consul. factus. est. de. manubiis. Cimbricis. & Teutonicis. ædem. honori. &. virtuti. victor. veste. triumphali. calceis. puniceis.

Bartholomæus Marlianus *in Topographia Urbis, lib.6. cap.19.* Johannes Jacobus Boissardus *part.3. Antiquitat. Romanar. fol.*118. Est Tropæum Marii, & vestem triumphalem expressè nominat. Alio nomine sunt Tunicæ palmatæ. *Martialis:* I comes & magnos illæsa merere triumphos, Palmataque Ducem, sed citò redde togæ, *lib.7. Epigram.* 1. Nimirum quòd illis intexerentur victoriæ cum ramulis palmarum, filis aureis & purpureis. Currum trahebant quatuor equi albi, ut videre est in nummo Lepidi Imperatoris apud Antonium Augustinum *Tab. 6. num.*24. Propertius: Quatuor hinc albos Romulos egit equos. *lib.4. Eleg.*1. Nam quod Sextus Aurelius Victor *libro de viris illustribus cap.*23. scribit, Camillo crimini datum esse, quòd equis albis triumphasset, illud habet à Livio *lib.5. histor.* & Plutarcho *in vitis illustribus.* Et fortasse ævo illo usui novum, ita ansam præbuit calumniæ, cæteroquin deinde in usum venit, permansitque. Apud *Claudianum* Roma alloquitur Principem: Ast ego frenabam geminos quibus altior ires, Electi candoris equos, *libro de sexto Consulatu honorii.* Reprehendit Bulengerus libro de Triumpho cap.17. quòd Principis cum triumpho incedentis currui adjungantur *duo equi, non etiam quatuor.* Atqui de triumpho non loquitur Poëta, sed Consules tunc temporis hâc pompâ urbem

ingrediebantur. δι᾽ὀς ἵππ ι sunt apud Herodianum lib.7.histor. *Invehi quadrijugo curru & albentibus equis*, ubi triumphum describit, ait Plinius in Panegyrico cap.22. Et Apulejus in Apologia *triumphantibus quadrigas albas*. Ovidius: Sic tibi maturè fraterni funeris ultor, Purpureus niveis filius in stet equis, *lib. 2. de Ponto, Eleg.*8. Equi erant sertis ornati. *Ovidius*. Hic tibi sic redeat superato victor ab hoste, Inque coronatis fulgeat altus equis, *lib.2. Tristium, Eleg.*7.

VI. Postquam ævum insanire cepit, equorum vice adjungebantur leones, elephanti, cervi, & exempla produnt Suetonius *lib.*4. *cap.*37. *lib.*5. *cap* 11. Vopiscus *in Aureliano cap.*19. Plinius *lib.*8. *cap.*16. Quatuor elefantos ad currum rotundum junctos, in quo sedet Augustus lauream protendens manu, exprimit nummus apud Johannem Tristanum *Commentariis de Imperio Romano, Tom.*1. *pag.*86. Gorlæum *Tab.*16. *num.*8. *Tab.*28. *num.*2. Eodem modo triumphantem Cæsarem habet Æneas Vicus Parmensis *in nummis Tab.*8. *num.*48. Duos struthiones curru trahentes victorem Cęsarem, lauream sinistrâ, vexillum dextrâ tenentem, ostendit Gorlæus *in scalpturis gemmarum cap.*5. Scribit *Sidonius Apollinaris*: Nec tu cui currum curru superare Metelle Contigit, ostentas nobis Elephanta frequentem Grex niger albentes tegeret cum mole jugales, Authoremque sui celaret pompa triumphi, *Carm.*7. Vult quod jam olim Cæcilius Metellus in bello Punico primo victor triumphaverit elephantis ad currum junctis. Atqui Metellus non junxit ad currum velut jugales, sed duxit separato grege, & populo ostentavit, uti olim fecerat Manius Curius Dentatus triumpho adversus Pyrrhum Macedonem victor. Referunt ita Plinius *lib.*7. *histor. natur. cap.*43. Seneca *libro de vitæ brevitate cap.* 13. & vetus Inscriptio apud Janum Gruterum *in Volumine pag.* 307. *num.* 3. ubi est: L Cæcilius. Metellus. L.f. Pontifex. Max Dictator. qui. primus. elefantos. primo. Punico. bello. duxit. in. triumpho. primarius. bellator. optimus. orator. fortissimus. Imperator. auspicio. suo. maximas. res. gessit. maximo. usus. honore. Hactenus *Inscriptio Romana* de Metello. Agmen claudebant equitum & peditum exercitus, suo quisque ordine, *laureati omnes in lanceis pilisq;*, ajunt Festus Pomponius *lib.*11. *de verbor. significat. pag.* 321. Plinius *lib.* 15. *cap.* 30. Et cum dulci jubilo. Claudianus: Ipse albis veheretur equis, currumq; secutus Laurigerum, festo fremuisset carmine miles, *lib.*3. *de laudibus Stiliconis*. Martialis: Festa coronatus ludet convicia miles, Inter laurigeros cùm comes ibit equos, *lib.* 7. *Epigram.*7. Convicia dicit, quoniam infrunitus miles sæpè dicteriis exagitabat Imperatorem triumphantem, idque impunè, uti constat ex Suetonio *lib.* 1. *cap.* 49. 51. Rursum *Martialis*: Consuevere jocos vestri quoque ferre triumphi, Materiam dictis nec pudet esse Ducem. *lib.* 1. *Epigram.* 5. Ad Capitolium passibus æquis contendebant, cumque prope illud Imperator esset, jubebat is hostium Duces captivos in carcerem publicum sive Tullianum, *incultum tenebris & odore fœdo, atque terribilem facie*, (ait Salustius in Catilinaria) abripi & supplicio per lictores affici. Josephus, εἰς τὸν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς τόπον ἐσύρετο, lib.7. de bello Judaico cap.24. Locus ille foro proximus erat carcer, quem diximus, & describit mortem Simonis Bar-Gioræ, quem in excidio Hiero-

rosolymorum urbis vivum ceperat Vespasianus Imperator. Capitolium ingrediebantur, victima fiebat bove candido. *Ovidius:* Candidaque adducta collum percussa securi Victima, purpureo sanguine tingit humum, *lib.4.Trist.Eleg.2.* Jovi coronam auream & spolia opima suspendebant, inque gremium ejus deponebant laurum hactenus protensa manu gestatam, epulum publicis sumptibus adornabant, pecuniam in vulgum spargebant, Plinius *lib.9.natur.histor.cap.55.lib.14.cap.6.*, Suetonius *lib.1.cap.38.lib.3.cap.19.* Plutarchus *in vita Luculli*, Dion Cassius *lib.54.histor.* Eò alludit Seneca: Scilicet minus beatè vivebat Dictator noster, qui Samnitum Legatos audivit, cùm vilissimum cibum in foco manu suâ versaret, quâ tàm sæpè hostem percusserat, laureamque in Capitolini Jovis gremio reposuerat, *Consolat.ad Helviam cap.10.* De quo Senecæ loco vide Justum Lipsium *notatis ad Annales Taciti lib.2.num.44.*

VII. Hæc Triumphi gloria erat, amplissima illa, minor verò Ovationis. Consules & Prætores, victores hostium, qui debiles vel ignobiles erant, neque virium aliquid populo victori conciliabant, in publico ovabant. Pedites ingressi urbem, sed equo per urbem circumvecti sunt. *Tibullus:* Ille licèt Cilicum victas agat ante catervas, Ponat & in capto Martia castra solo: Totus & argento contextus, totus & auro Insideat celeri conspiciendus equo, *lib.1.Eleg.1.* Militari habitu induti, coronati myrto, ad Capitolium pergebant, tibicines comitabantur, sequebantur milites, ovem cædebant pro victima, Aulus Gellius *lib.5.cap.6.* Cæsarum ævo, uti alia quædam, sic hoc etiam immutatum est, & loco equi permissus est Victoribus currus, itaque Ovantes curru per urbem vehebantur, quod de Tiberio (antequam Cæsar esset) narrat Suetonius *lib.3.cap.9.*

CAPUT UNDECIMUM.

De Jure contra Fœdera.

SUMMARIA.

1. *Ritus paciscendi fœdus.*
2. *Fœdus sociale.*
3. *Fœdus æquale & inæquale.*
4. *Obsides.*
5. *Fœdus Chamborticum.*
6. *Fœdera cum infidelibus.*
7. *Solvuntur contrariæ rationes.*
8. *Fœdus cum Turco.*
9. *Solvuntur instantiæ.*
10. *David apud Philistinos.*
11. *Hussus exustus.*
12. *Fides hæreticis data.*

I. *FOEdus est, quo Princeps sibi obligat amicos.*] Apud Romanos veteres erant Feciales, non tàm Religionis quàm Justitiæ Sacerdotes, atque Jus illud profitebantur, quod circa pacta, fœdera, conventiones, conditiones populorum & Regum, Legatorum commissa, induciarum concordata, pacis & belli acta publicè versatur. Præses Collegii ejus erat Pater patratus. Inscriptio Mediolanensis.

D.S.I.M.P. Acil. Pisonianus. Pater. Patratus. qui. hoc. spelæum. viol. ignis absumptum. comparata. à. Reipubl. Mediol. pecuniâ. suâ. restituit.

Gruterus *in Volumine pag. 34. num. 9.*

Cum-

Cumque bello justo populum aliquem invadere volebant, feciales quatuor amandabant, ut denunciarent bellum, Dionysius Halycarnassæus *lib.* 4. Plutarchus *in vita Numæ*. Verbenâ coronati Oratores, capite velato ad fines populi ejus, quem hostem declaraverant, profecti, hastam sanguine tinctam immittebant, principium cladis ab exercitu accelerante imminentis De verbena testis est Virgilius: *Verbena tempora vincti*, lib. 12. Æneid. De hasta immissa scribunt Aulus Gellius *lib.* 10. *cap.* 27. Ammianus Marcellinus *lib.* 19. *histor.* Fœderis paciscendi ritus describitur apud Livium *lib.* 1. *histor.* ubi est de fœdere inter Tullum Hostilium & Albanos percusso. Verba obligantia sunt ista: Audi Jupiter, audi Pater patrate populi Romani, audi tu populus Albanus, ut illa palàm prima postrema ex illis tabulis cerave recitata sint sine dolo malo, utique hîc ea rectissimè intellecta sunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior defecerit publico consilio, dolo malo, illo die Jupiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodiè feriam, tantòque magis ferito, quantò magis potes pollesque. Id ubi dixit, porcum saxo silice percussit. Hæc *Livius*: Porcus pro sacrificio velut cædebatur, itaque nummus cusus ab Italicis populis, quo tempore bellum Marsicum cepit, in altera parte exhibet imaginem Italiæ cum laureato capite, in altera conjurati stant, atque in horum medio fecialis unus propè hastam sanguiniam, qui porcum sustinet, cujus immolatione fœdus perficiebatur, Stephanus Pighius *in Annalibus urbis num.* 662. Gorlæus *Tab.* 38. *num.* 1. Inde est, quod Virgilius scribit:

Cæsâ jungebant fœdera porcâ.

lib. 8. Æneid. ubi Servius notat: *Fœdera autem ait porcâ, nam ad hoc genus sacrificii porcus adhibebatur*, in Commentario pag. 529. Res erat indifferens, porcus, porca, uti etiam in sacris aliis. Cicero *lib.* 2. *de Inventione cap.* 30. In eo fœdere, *ait*, quod factum est quondam cum Samnitibus, quidam adolescens nobilis porcam sustinuit. Rursum *lib.* 2. *de LL.* Porco fœminâ, *ait*, piaculum dare. Suetonius *in Claudio*: Cum Regibus fœdus in foro icit, porcâ cæsâ ac vetere fecialium præfatione adhibitâ, *lib.* 5. *cap.* 25. Locus est *Gen.* 15. 9. 10. Offer mihi vitulam triennem, & Abraham offerens ei omnia hæc, cùm dissecuisset per medium, posuerat dimidiam cujusque partem è regione alterius. Et porrò *vers.* 17. 18. Condito Sole, ecce fumantem furnum & ardentem lampadem transeuntem inter segmenta illa. Hoc die pepigit Dominus cum Abrahamo fœdus, dicendo: Semini tuo dedi terram hanc. Scilicet, qui fœdus sanciebant, illi animalium carnes dissecabant & inter segmenta illa transibant. Vitula verò ut porca, scilicet victima sexus fœminini. Eratque ritus ille usitatus apud Chaldæos, uti refert Cyrillus *lib.* 10. *adversus Julianum*. Respicitur eodem *Jerem.* 34. 18. 19. Lampas ardens erat symbolum Dei transeuntis & cum Abrahamo paciscentis.

II. *Obligat.*] Firma & secura fœdera præstat æqualis omnium utilitas, æqualis omnium rerum agendarum aut suscipiendarum metus. Nam quæ uni tantùm profutura sunt, vel etiam obfutura, per se ipsa ruunt & & dissolvuntur, uti benè disserit Franciscus Guicciardinus *lib.* 2. *histor.* Tale videri fœdus illud potuit inter Pium V. Pontificem Maximum, Regem Hispaniæ Italiæ Principes, Venetosque, adversus efferentem se Turco-

Turcorum potentiam initum, & volumine peculiari descriptum ab *Uberto Folietta*. Et feliciter initum, quia vincere in sinu Corinthiaco hostium classem incomparabilem, viribus junctis potuerunt, infeliciter autem, quia impar utilitatis perceptio victoriæ emolumentum corrupit, uti diximus in Recensu historiæ universalis, *lib.19.cap.2. dist.19.* Arduum igitur non fuit dissolvi, quod tamen tot legationibus coaluerat. Quisque ad se & commoda sua belli vires retulit. Ac sanè agebantur res Venetorum in Græcia & mari Syriaco, utrumque à ditione Hispanica sejunctum erat, neque in repetenda Cypro animus idem, quam sibi petebat Hispanus ob majores belli vires collatas, & verò sibi repetebat Venetus, qui hactenus possederat. Hispanis utiles erant & necessariæ in Africam expeditiones: Nihil ad se, quæ in Africa gerebantur, spectare Veneti putabant. Ita factum, ut dum Veneti Turcorum in Oriente vires timebant, & Africæ totius viciniam suspectam habebant Hispani, non eodem animorum ardore, nec eâdem viâ, uti pugnatum fuerat, victoriam persequerentur, Veneti insuper ob factam cum Turcis pacem, & mercimoniorum in Asia libertatem auro præsenti redemptam, veluti parum servassent fœderis leges, ab Hispano maledictis lacerabantur, teste Petro Justiniano *lib.16. Historiæ Venetæ*. Pontifex mirabatur, de præda Venetos Hispanosque contendere verbis inanibus, quàm in manus eorum ab hoste resignatam, negligenter paciscendo amiserant. Ipse ardorem pro ampliando Christi Regno suum testatus esse, satis habebat. Scilicet odio, invidiâ, livore, suspicionibus nunquam hujusmodi fœdera vacant.

III. *Amicos.*] Scilicet paris authoritatis & potentiæ, adeoque ob causas varias, defensionem mutuam adversus hostem communem, offensionem in eundem, vitandas infensas, tuendos fines, securitatem possessionum & contractuum, itinera tuta, commerciorum incrementa promovenda. Hæc sunt fœdera æqualia & insimul personalia. Quæ verò Bartholomæus Keckermannus *lib. 1. System. Polit. cap.24.* Balthasar Cellarius *lib. 2. Institut. Politic. cap.13. dist.8.9.* Richar. Zouchæus *in Jure Feciali part.1. pag. 49.* Petrus Faber *lib.1. Semestr. cap.7.* Arnisæus *lib.1. de Jure Majestatis cap.4. num.3. seqq.* vocant fœdera inæqualia, ea, inquam, mandata sunt potius aut velut mandata, cùm major præscribit minori, & potentior imperando jubet agere infirmiorem illa, de quibus compellatur. Ita Romani cum Ætolis sociale fœdus his verbis percusserunt: Imperium majestatemque populi Romani Gens Ætolorum conservato, sine dolo malo, eosdem hostes, quos populus Romanus, habeto, armaque in eos ferto, & bella pariter gerito, Polybius *lib.17. histor.* Simile fœdus est, quod Romani cum Judæis inivetunt, & describitur, *1. Maccab.8.23.24.25. 26.27.28.29.30.* Eodem pertinent fœdera quæcunque descripta cum iis Regibus, quos instrumenta servitutis habebant, & *Reges inservientes* vocat Tacitus *lib.2. histor. cap.81.* Ad quam serviendi promptitudinem vel benificio concessa post victoriam libertate, vel objecta inani commodæ pacis imagine vicinos Principes & Populos invitabant, erantque isti inæquali fœdere adsciti cùm validissima in bellis auxilia tùm firmissima Imperii adversus exterorum irruptiones propugnacula. Quamvis autem verè

O pote-

potestate sua spoliati, ad cuncta Romanorum imperia componere sese cogerentur, ne tamen istius jugi impatientes, defectionis consilia agitarent, variâ libertatis specie illos demulcebant, *Reges*, *Amicos*, *Socios* appellabant, missis Legationibus salutabant, munera offerebant, & cùm fortè illorum auxilia adhibebant, potius rogavisse illa, quàm imperavisse videbantur, militares operas dando provincias victis ablatas, compensabant. Huc quoque referri debet fœdus, quod petebant Gibeonitæ, pars Hivæorum, apud Josuam & Proceres Hebræorum verbis illis, *servi tui sumus*, Josuæ 9.8. Submittebant obsequio ejus sese, vitæ & fortunarum incolumitatem pacti. Quia verò per dolum quæsiverant & impetraverant fœdus, non illud quidem servatum eis fuit, verùm servitiis publicis addicti sunt, quomodo Helotæ erant apud Lacedæmonios, de quibus meminit Cornelius Nepos *in vita Pausaniæ*. Differunt quidem Janus Drusius *notatis ad librum Judicum pag.* 81. Masius & Serrarius *Commentariis ibidem*, non opus fuisse, quòd Hebræi datam fidem servarent. Verùm hos benè refellit Cornelius à Lapide *Commentariis ad librum Judicum pag.* 47.48. & promissum obligavisse quadantenus, constat quòd alio tempore violatum, culpam super facti authores attraxerit, & pœnâ non levi expiata sit, *2.Sam.* 21.1.2. *seqq.* Nimirum, poterant jure colonorum retinere urbes, agros, prædia, si deditionem fecissent, & Nohæ leges admisissent, quando vetitum erat Lege Mosis idola colere, & idolorum cultores penes se tolerare, *Deut.* 20.10. Pœnæ instar erat, servitia publica explere, & obvagari sine lare, sine tribu, donec sacrorum ministerio consecrarentur, atque hi sunt Nethinæi, de quibus est 1.*Chronic.* 10. 2. *Esdræ* 2.43. *cap.* 7.24. *cap.* 8.20. *Nehem.* 3.26. Quæ porrò de fœderibus realibus docentur, perindè erronea sunt. Personalia sunt fœdera omnia, uti rectè dicunt Bodinus *lib.* 5. *de Republica cap.* 6. Albericus Gentilis *lib.* 3. *de Jure belli cap.* 23. adversus quos disceptant Hugo Grotius *lib.* 2. *de Jure belli & pacis cap.* 16. *dist.* 16. Johannes Smidelius *notis ad Dissertationes Politicas Boxhornii, pag.* 266. 267. Quæ realia fœdera vocant, eatenus vera sunt, quia circa res, quæ aliquem juris affectum habent, versantur. Dicit *Grotius:* (1.) Siquidem cum populo libero actum sit, dubium non est, quin quod ei promittitur, sui naturâ reale sit, quia subjectum est res permanens. *Respondeo:* Atqui Rex ille, qui cum populo isto pepigit, moritur, ejusque successor ad fœdus istud, nisi velit, novisque solennibus contrahat fœdus aliud, non obligatur. Dicit Smidelius: *Regi cum imperio ipso hæc facultas à populo data est, ut Reipublicæ negotia efficaciter, & cum virtute obligandi expediat. Mortuo Rege non perit Respublica, obligationis subjectum primum, itaque nec fœdus intercidisse putandum est,* l.d. Atqui obligationis subjectum primum est Rex, in quem populus imperium omne transtulit. Eo defuncto, fœdus desinit esse. Nullus enim contractus egreditur personam contrahentem, & ad quæ persona obligatur, illa non sunt communia ad plures. Sin populus cum populo contrahit, non tamen reale est, uti vocant, nec enim paciscuntur in infinitum, verùm ad certos annos, atque intra istud annorum spatium per Legatos, iteratis vicibus, cùm lubet, renovant, ne obsolescant. (2.) Si cum Rege contractum sit, non statim personale censendum

fendum erit, nam plerumque persona fœderi inseritur, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur, cum quo pactum factum est. *Respondeo:* Repugnat contrahere cum Rege, & non esse fœdus personale. Rex persona est, atque eo ipso cùm ostenditur, quocum sit factum, ostenditur, fœdus obligare personam illam, ut velit, non obligare successores, cùm hi non velint. Fœdere inter Carolum V. Imperatorem & Henricum VIII. Angliæ Regem inito convenerat, ut cùm Provinciæ Belgicæ bello invaderentur, Angliæ Rex quinque millia peditum in quatuor menses suppeditaret. Defuncto Henrico, Rex Galliæ Franciscus invadebat Lucemburgicam, itaque petebat Cæsar ab Eduardo Anglo, ut copias auxiliares mitteret propter fœdus. Recusavit Anglus cùm ob alias nonnullas rationes, quibus liber haberetur, tùm quòd fœdus cum persona contrahentis exstinguatur, ut narrat Haiwardus *in vita Eduardi Angliæ Regis.* Ita olim Fidenates post mortem Romuli, à fœdere cum eo contracto immunes sese profitebantur, Latini post mortem Tulli, Ethrusci post mortem Prisci, Sabini post mortem Servii Regis à fœderis nexu solutos se esse ajebant, Dionysius Halycarnassæus *lib. 3. & 4. Histor. Roman.* Nisi accidit, quòd obligetur successor, ne merâ voluntate possit sese liberare, uti cùm Rex aliquis, seque Regnumque suum, patrocinium tradit, velut deditiius ejus futurus, tunc enim obligantur posteri, neque clientelam abjicere poterunt, uti exemplum est de Rege Ezechia, *infrà dist. 12.* Neque enim hoc est fœdus simplex, circa quod cùm electione versamur, verùm est contractus strictus per quem compari potentiori traditur quædam potestas, dum ille benificia quædam suo periculo, nostro commodo in nos consulit. De his verum est, quod dicit Grotius: *Potest juramenti obligatio personam tantùm obstringere, & ipsa promissio obligare heredem.* Uti dixi, hoc tunc valet, cùm fœdera deditiorum conficiuntur. Qui se primus dedit, juramento sese obligat, eoque juramento successor omninò tenetur. Hæc fœdera sunt cum onere, ob benificium aliquod perceptum. Fœdera, quæ sunt arbitrii meri, istis legibus non describuntur, ideoque personalia sunt, & cum paciscentis obitu finiuntur.

IV. Cæterùm fœdera dedititiorum coalescunt per obsides, velut fidei datæ arrham certissimam. Quæritur verò: *An obsides propter eorum perfidiam, à quibus dati sunt, interimere liceat?* Respondeo: Affirmant Jacobus Menochius *conf. 7.* Albericus Gentilis *lib. 2. de Jure belli cap. 19.* Ratio est quia fides rerum preciosissima quovis modo asseri debet, estque talis pœna ex conventione. Nulli enim contractus frustrà fiunt, fieret verò contractus per obsides roboratus, insuper frustrà, si ei, cui obsides dati sunt, non liceret secundùm justitiam injuriæ ultionem exercere in obsides. Justa igitur est, & juri divino consentanea, *Gen. 42. 37.* Romani interfecerunt Volscos trecentos obsides, postquam cives eorum à data fide recesserant, & hostilia agitabant, Dionysius Halycarnassæus *lib. 6. historiarum.* Negat verò *Grotius:* Olim, *inquit*, cùm vulgò crederetur, quisque in vitam suam id juris habere, quod in res alias, quæ in proprietatem veniunt, atque id jus consensu aut tacito aut expresso à singulis pervenisse ad civitatem, minus mirandum est, si obsides

privatim innoxios ob peccatum civitatis morte affectos legamus, sive tanquam ex peculiari suo consensu, sive tanquam ex publico cui & suus includeretur. At postquam verior sapientia nos docuit, dominium in vitam Deo exceptum, sequitur ut solo consensu nemo jus cuiquam dare possit in vitam aut suam aut civis sui. Atque ita Narseti bono Duci atrox visum de innoxiis obsidibus supplicium sumere, narrat Agathias lib. 2. histor. Hæc ille *lib. 3. de Jure belli ac pacis cap. 11. dist.* 18. & defendunt idem Franciscus Victoria *Relect. 6. de Jure belli cap.* 43. Johannes Schilterus *libro de statu & jure obsidum cap. 6. num.* 11. 12. Respondeo: (1) Obsides traduntur eis quibuscum paciscimur, ad securitatem, quæ nulla esset, nisi fide non servatâ, is, cui in securitatem dati sunt, in eos sævire posset. Nimirum fidejussio causa est, ob quam culpa defectorum in obsides transfertur, eisque imputatur. Neque aliter credebant illi, qui aliàs sciebant, dominium in vitam Deo exceptum esse, *Gen.* 42. 37. 1. *Reg.* 20. 39. 40. 41. (2) Dominium, quod sibi Deus in vitam reservavit, impedit quidem ut nemo sibi ob impatientiam consciscat necem, sed non impedit, quò minus vitam suam aliquis oppignoret, publici boni gratiâ, propter eos, quibus conjunctus est. Scribit Johannes Bodinus *lib. 6. de Repub. cap.* 6. quòd Franciscus I. Rex Galliæ, pacem Madritianam, quam Carolo V. Imperatori juratus promiserat, & filiis suis obsidum loco depositis confirmaverat, non debuerit servare, postquam compos libertatis domum rediit, obsides enim, inquit, qui dederat, nec pacis legibus, nec ullo jurejurando tenebatur, ac ne jurare quidem cogebatur, quia obses in eam causam datur, ut pro captivo fidejubeat, aut capite luat, si is, qui promisit, à pactis conventis recesserit. *Hæc ille.* Nec aliter sentit Franciscus Hottomannus *libro quæstionum illustrium num.* 7. Ac fœderis quidem ejus leges exactè describunt Guicciardinus *lib. 16. histor.* Johannes Sleidanus *lib. 6. histor.* Quòd verò non obligaverit Regem, falsò asseritur. Erat juratum & liberis obsidibus vadatum. Obsides, quemadmodum fidejussores & pignora, obligationi principali accedunt, quò diligentius cautum sit parti alteri, & tantum abest, ut principalem obligationem tollant, ut magis eam stabiliant. Proinde Johannes Rex Galliæ, in prælio ab Anglis captus, & datâ fide, quòd reverti vellet si minus implerentur pacta, dimissus, fidem servavit redeundo in captivitatem, quamvis filium obsidem tradiderat, & pacta non possent impleri, Paulus Æmylius *lib. 9. histor.* Frossardus *l. b 2. histor.* Regerit *Bodinus*: Non poterat Franciscus cogere Senatum populumque Francorum, ut pacis leges implendo, provincias Regni abdicarent. Quamobrem Imperatori, qui à pacis conditionibus discedere noluerat, jure bellum indictum est. *Respondeo:* Debuit ergò Rex si non *publicâ*, quoad ea forte in quibus populi Senatusque consensus requirebatur, saltem *fide suâ* liberatâ, potius in carcerem redire, quàm fidem datam fallere, eoque magis, quòd Princeps rectè de negotiis ad Rempublicam spectantibus paciscatur, sive pacem, sive quamcunque conventionem faciat cum hoste. *Instat:* Romani pacem ad Candinas furcas descriptam cum Samnitibus, declaraverunt irritam esse, quandoquidem hostibus dati erant obsides. Falsum! Ideò pax ista non censebatur esse bona, quòd

quòd populo inconsulto, & privato Consulis Posthumii ausu confecta erat. Consul verò datæ fidei memor, ut populum obligatione eximeret, obsidesque liberaret, jussit sese vinctum dedi Samnitibus, quibuscum seu turpi, seu necessariâ sponsione pepigerat, Livius *lib.9.histor.* Cicero *lib. 3. de Officiis.* Denique ait: Captivi, qui fidem dederunt, & vinculis tamen retinentur, quando evadunt, nulla perjurii fraude obligantur. *Respondeo*: Est hoc prorsus diversum, quoniam fides non habita, fidem non obligat. Obsides verò dantur ex conventione, quam non licet fallere.

V. De fœderibus æqualibus addendum est, quòd licèt personalia sint, adjectam tamen habeant conditionem, ne quis sociorum cum hoste repugnantibus sociis in gratiam redeat. Puta quamdiu pro salute communi durant actiones hostiles, & verò socius ob privata commoda, velle hostilia prorogare, non convincatur. Multa verba facit Johannes Bodinus *lib. 5. de Republica, cap.6.* ut fœderis Chambortici prorogationem utilem fuisse futuram, persuadeat. Summa dissertationis hæc est: Henricus II. Galliæ Rex, Mauritius Saxo, Albertus Brandenburgicus, Wilhelmus Hassus pepigerunt Chamborti Anno Christi 1552. adversus Carolum V. Imperatorem, ne quis fœderatorum cum hoste in amicitiam rediret, nisi fœderati omnes assentirent, qui contrà faceret, perfidiæ scelere exsecrabilis coram toto exercitu necaretur. Et tamen sexto post mense, fœdere Passavico Mauritius Saxo cum Imperatore transegit, sociorum conscio nemine, ac ne Henrico quidem Rege fœderis conditionibus unà comprehenso, quam perfidiam Albertus Brandenburgicus coram exercitu acerbissima oratione invectus, detestabilem & patriæ & Regis & Imperatoris proditionem appellavit. Idem qui in socium tàm severus erat, in seipsum indulgentissimus exstitit, paulò post enim adversus Regem ipsum arma cepit, quod Mauritium facere puduerat, ac nefarium bellum cum ipso Imperatore Henrico fœderatorum principi turpiter inferre non dubitavit. Hæc Bodinus. *Respondeo*: Fœdus, quod ille Chamborticum vocat, ideò descriptum fuit, ut Germaniæ libertas in pristinum statum armis revocaretur adversus nimis gravem Cæsaris ubique gentium victoris potentiam. Quod cùm obtineretur à Cæsare in alia bella prono extra Germaniam ducenda, & captivi Principes dimitterentur ad intercessionem Ferdinandi Regis, confectum esse bellum meritò credebatur, & verò cùm Henricus Rex pergeret armatas inimicitias alere, commodique sui gratia urbes imperiales occuparet, neque illas reddere vellet, ipse justissimam causam dedit relaxandi fœdus, quod pro libertate Germaniæ asserenda occeptum fuerat, non etiam ad damnum ejus procurandum. Rem totam narrat Johannes Sleidanus *lib.24.histor.* à quo discas, non fuisse transactum Passavii Rege inconsulto, quanquam ille non admodum gauderet, pacem factam esse. Atqui cùm negocium compositum erat, pro quo bellum gerebatur, ut finiretur, pax nõ poterat nõ describi articulis utrique parti acceptis, & Rex cum exercitu suo abiit in Galliam, ubi hostis progressus è Belgica, longè latèque omnia devastabat, cumque cogebat, ut propria defenderet, aliena omitteret. De qua re porrò vide Petrum Heigium *lib.1.quæstionum illustrium*

*cap.*11. Dominicum Arumæum *Volum.*2. *Juris publici, dissert.*27.

VI. Quæritur hîc: (1.) *An liceat fœdera cum hæreticis & infidelibus inire adversus hostes?* Respondeo: Negant Albericus Gentilis *lib.* 3. *de Jure belli cap.* 19. Petrus Martyr *in Locis Theologicis class* 4. *cap.* 16. *num.* 23. & *Commentariis ad librum Judicum pag.* 76. Johannes Stephanus Menochius *in Hieropoliticis lib.* 2. *cap.* 4. Wilhelmus Zepperus *lib* 4. *de Legibus Mosaicis cap.* 6. Johannes Chokierus *in Thesauro Politico lib.* 2. *cap.* 9. Georgius Schönbornerus *lib.* 4. *Instit. Polit. cap.* 36. Antonius Faber *de regenda Religione lib.* 3. *cap.* 4 Celsus Mancinius *lib* 6. *de Jure Principum cap.* 18 *seqq.* Adferunt rationes: (1.) Quòd Deus severè prohibuit legibus latis ad populum Judaicum, ne vellent inire fœdus cum profanis gentibus, *Exod.* 23. 32. *cap.* 34. 12. 15. *Deut.* 7. 2. 3. *cap.* 15. 17. *Josuæ* 23. 12. *seqq.* (2.) Quòd Assa & Josaphat Reges cæterùm boni reprehenduntur ob fœdera cum Regibus infidelibus contracta, 1. *Reg.* 15. 17. 18. 2. *Reg.* 16. 7. 2. *Chronic.* 6. 7. *cap.* 19. 2. *cap.* 20. 37. *cap.* 28. 16. 17. (3.) Quòd Prophetæ reprobant fœdera talia velut cum damno salutis publicæ conjuncta, *Esa.* 8. 12. *cap.* 30. 2. *cap.* 31. 1. *Jerem.* 37. 6. *Ezech.* 16. 26. *seq.* (4.) Quòd Apostolus disertè monet, ne jugum ducamus cum infidelibus, 2. *Corinth.* 6. 14. (5.) Quòd Judæi prorsus renunciaverint commerciis infidelium, ita ut cum Samaritanis conversari noluerint, *Luc.* 9. 53. *Johan.* 4. 9. (6.) Quòd fœdera talia malè evenerint, inde Josaphat de vita periclitabatur in prælio, navesque auriferas perdebat, Assa bellis perpetuis agitabatur, Regum infidelium confœderati, 1. *Reg.* 22. 32. 2. *Chronic.* 16. 9. *cap.* 20. 37. Palæologi Cæsares iniverunt pactum cum Turcis & perierunt, Chalcondytas *lib.* 8. *histor.* Franciscus Rex Galliæ pepigit fœdus cum Solymanno Turco, & ob id vivens conquestus est, mortui posteros punivit Deus, ut eos bellum, venenum, latronum cultri absumpserint, Sleidanus *lib.* 15. *histor.* Thuanus *lib.* 1. 2. *seq. histor.* Hæc illi.

VII. *Respondeo:* (1.) De Chananæis diversissima est ratio, quos Deus propter peccata gravissima devoverat internecioni, adeoque nolebat, ut Hebræi, quibus dominium in terras illas irrevocabili dono tradiderat, cum eis agerent, quæ aliàs cum populis infidelibus secundùm Jus Gentium agi poterant. Exemplo sunt Ægyptii, haud dubiè cultores idolorum, atque eos aversari vetantur Ebræi, *Deut.* 23. 7. Hiramus Tyrius erat cultor Idolorum, & tamen Salomon Rex fœdus cum eo paciscebatur, Regis Ægyptiorum filiam matrimonio sibi etiam copulabat, 1. *Reg.* 5. 1. *seqq. cap.* 9. 16. 17. Quò magis id liceat hodie, postquam cessavit discrimen gentium, *Eph.* 2. 14. (2.) Regum fœdera ista non tàm per se reprehensionem incurrebant, ac quòd Regum consilia privata, eaque non laudata satis, intercederent. Assa reprehenditur, quòd de auxilio divino veluti desperaret, adeoque Syrorum opem, nullâ impulsus necessitate, imploraret, datis insuper muneribus, ut Syrus frangeret datam Baësæ fidem, ejusque regiones invaderet, 2. *Chronic.* 16. 2. 7. Josaphat consilio temerario usus, pergebat in militiam adversus Syros, à quibus nihil damni acceperat, neque tàm defendebat Achabum amicum suum, quàm offendebat Syros, cùm posset habere pacem.

Tum

Tum quoque infelicem belli exitum Micheas Propheta jam ante prædixerat. Hæc meritò reprehendebantur. (3.) Fœdera illa secum inferebant communionem sacrorum, morumque, adhæc diffidentiam arguebant, quando promiserat Deus, fore ut auxiliari vellet ipse, non exspectato vicinorum auxilio. Atqui hæc intollerabilia erant, uti constat exemplo Achasi Regis veri Dei cultum infelici ausu rejicientis, 2. *Reg.* 16.7. *seqq.* (4.) Paulus monet pios, ne in delubris convivarentur de extis, quando cultus Dei ex ipsius præscripto observatus, non posset consistere cum impietate dæmonibus exhibita, uti docent sequentia, *vers.* 15.16.17. Docuerat eadem in priori Epistola *cap.* 8.1. *cap.* 10.16.17.18. Post sacra peracta convivari in locis sacrorum, mos erat apud gentes, de quo egimus *lib.* 1. *Antiquitatum Romanarum, cap.* 11. *dist.* 11. Et credebatur, profectas Diis oblatas, sanctimoniam aliquam conciliavisse reliquis carnibus, ob Numen illud, quod aræ ejus cultum sortiebatur. Ne tale quid fieret, jam olim decreverant Apostoli in Concilio congregati, *Actor.* 15.20. Nimirum, tùm ut eò facilius coalescerent cum Judæis conversis, Idolorum hostibus infensis, *Numer.* 25.2. *seqq.* tùm ut eò magis à Paganismo removerentur, quatenus ne in minimo cum eo commune habere vellent, *Apoc.* 2.13.14.15.16. Et poterat fieri, ut ille, qui recens ad meliora sacra transiverat, fidei teneræ esset, malisque exemplis posset commoveri, ut desertâ veritate, paulatim ad impuros cultus reditum faceret, cùm videret alios in templis apud viscerationes Deorum epulantes, eosque in honorem idolorum ita facere existimaret. Hæc non prohibent, quò minus contrahantur fœdera cum infidelibus. Est in præceptis illis specialiter expressis, obligatio stricta, quando novimus, Apostolos habuisse Spiritum Dei & ad honorem Dei retulisse omnia. Sed fœdera sunt juris gentium, eaque pro temporum & locorum occasione conficiuntur, neque ita arctè obligant, ut armis imperent, aut ut alios ad defectionem impellant. (5.) Non meretur laudem, quòd Judæi serioris ævi ita egerint, itaque passim eis apud Josephum exprobratur τὸ ἄμικτον καὶ τὸ ἀσύμφυλον, insociabilis vivendi ratio, atque ob id ceperunt esse bipedum contemptissimi, uti ex variis Authoribus refert Petrus Cunæus, *lib.* 3. *de Republica Ebræorum, cap.* 4. Quem tamen in hoc laudare non possumus, quòd *Martialis* versus adfert: Dum te posse negas nisi lato Gellia clavo Nubere, nupsisti Gellia cistifero, *lib.* 5. *Epigr.* 17. Et addit: Mendicabulum hominis Judæum vocat cistiferum, qui cum fœno cophinoque perambulabat urbem. *Sic ille.* Atqui Martialis verba non pertinent ad Judæum, & cistifer loco illo dicitur vilis sacrificulus Cybeles, qui ferebat cistulam, in qua sacrorum Isiacorum arcana reposita erant. Meminit *Tibullus*: Et levis occultis conscia cista sacris, *lib.* 1. *Eleg.* 8. & nos diximus *lib.* 4. *Antiquitatum Romanarum, cap.* 5. *dist.* 9. Cæterùm Servator hunc non esse Legis sensum, eos palàm docebat, exemplo suo cùm à fœmina Samaritana lubens aquam accipiebat, *Johan.* 4.4 *seqq.* Proindè rectius fecerimus, cum agemus secundùm exempla Christi & Apostolorum, qui superstitiones eas divinæ Legi & Juri Gentium contrarias, repudiabant, *Luc.* 10.33. *Actor.* 10.4. (6.) Causa est dicta paulò ante, quando vel privatum emolumentum, vel diffidentia erga Deum, vel temeritas

Regum

Regum piorum vitii aliquid fœderibus iis addidit, unde fœdera damnabantur, *Jerem.* 17.5. Græciæ Imperium evertit, quòd res Græcorum intestinis bellis afflictæ, odiis consumptæ erant, militum optimorum acie cæsorum strages, populorum hactenus subditorum rebelliones, vicinorum invasiones quotidianæ Cæsaribus vires ademerant, & Græcorum Proceres imprimis justitiæ, virtutis, concordiæ studia, quibus Imperium steterat, negligendo, occasionem præbuerunt Turcis, ut obscura gens gentium aliarum domina armorum successu efficeretur, quomodo veteri Græciæ evenisse prodit Justinus *lib.8.histor.*

VIII. Fœdus illud quod pepigit Franciscus adversus Hispanos cum Turcis, improbant quidem Limnæus *notis ad proœmium Capitulationis Caroli V. num.85.seqq.* Georgius Schönbornerus *l.d.* Verùm defendunt Bartholomæus Gramondus *lib. 3. Historiæ Gallicæ*, Wilhelmus Guajus *libello de fœdere Regis Christianissimi.* Summa verborum hæc est: Quia necessitas cogat Barbarorum etiam ope uti: Quia fœdera sint Juris Gentium, in quo discrimen Religionis non attendatur: Quia Deus utatur Diaboli ministerio ad castigandos malos: Quia licitum sit bombardis & gladiis uti in bello adversum hostes: Quia inter Christianos sint nebulones pejores ac Turci sunt, qui secundùm conversationem externam honestæ vitæ operam dant: Quia Asa Rex pius & Davidis exemplo optimus, illatas à Baësa Rege injurias propulsavit, opem redimendo à Benhadado Syriæ Rege, cui pecunias sacras (*1.Reg.*15.18.19.20.*2.Chronic.*16.2.3.4.) donaverat: Quia Theodosius Magnus Valentiniano Arriano suppetias laturus, Barbarorum mercenaria auxilia in Maximum Catholicum eduxit: Quia Narses Italiæ Præfectus Longobardorum Gentilium copiis instructus, Ostrogottos Christi fide imbutos profligavit. Eodem jure Franciscus Rex Hispaniæ Regi, hosti irreconciliabili Turcum fœderatum, belloque ab eodem lacessitum opponere potuit.

IX. Ergò dicimus cum Bodino *lib.5. de Republica cap.6.* Bartholomæo Keckermanno *in Cursu Philosophico disput.33.quæst.18.* Tiberio Deciano *Volum.3.consf.20.* Hugone Grotio *lib.2.de Jure belli & pacis cap.15. dist.3.* Samuele Maresio *in System. Theolog. disput.15.dist.24.* Martino Becano *lib.5. Manual. Controv. cap.14. & Tom.2. Theolog. Scholast. part.2.cap.25.* Andrea Riveto *Commentariis ad Hoseam pag. 197. seqq.* Antonio Corsetto *libro de potestate Regia part.4.quæst.33.* quòd licitum sit, ejusmodi fœdera pacisci, non quidem ut sive fidelibus sive barbaris in pace agẽtibus, causâ indictâ noceamus, sed ut adversus invasores quoscunque nostris alienisque viribus junctim contendamus. Rationes sunt: (1.) Quia Abraham pater credentium, inivit fœdus cum Mamre & Escol, qui Reguli è Phœnicia oriundi erant, ac porrò impios Sodomitas bello sociali defendit adversus populatores Assyrios, *Gen.*14.13.*seqq.* (2.) Quia Hasamonæi Principes justitiæ & pietatis studiosi cum Lacedæmoniis & Romanis infidelibus omninò, sed fidei datæ observantissimis pepigerunt, *1.Maccab.*8.20.*cap.*12.16.20.*cap.*14.18.25. Excipit *Gentilis:* Maccabæi utcunque hominum laudati ore, testimonium nondum tulerunt Dei, quo ipsorum facta omnia justa esse pronuncientur. *Respondeo:* Nullus ævo isto erat Propheta,

pheta, qui laudaret factum, attamen ex causis aliis facti justitia apparet, postquam constat, fœdus illud approbavisse populum & sacerdotes, legis patriæ cultores fervidos. Proindè licitum fuisse hoc fœdus, adversus Rupertum Tuitiensem & Petrum Blæsensem optimè defendunt Nicolaus Serarius *Commentariis ad h. l. quæst.* 23. & Augustinus Torniellus *in Annalibus sacris*, *Tom.* 2. *pag.* 293.

X. Addunt *Becanus* & *Tiberius Decianus* exemplum Davidis, qui se virosque suos obtulit Achiso Regi Philistinorum, pugnaturus contra Ebræos cives suos, 1. *Sam.* 28. 1. 2. *seqq. cap.* 29. 1. 2. *seqq.* Verùm nobis haut probatur factum illud Davidis, quod reprehendunt Burgensis, Tostadus, Cajetanus, Sanctius, Cornelius à Lapide *in Commentariis.* Evocatus ad bellum, detrectare non fuit ausus, ne tunc quidem, cùm ducendum esset contra patriam, sed obedientem incolam Deus consilio occulto impedivit, ne quâ sub prætextu clientelæ, cogeretur populo Dei, aut legitimo sue Regi arma inferre. Erat enim delictum contra legem, quòd ferocia militari plenus gentes devotas juvare volebat in affligendo populo suo, *Deut.* 7. 2. 3. Itaque Deus propositum ejus dissipavit, movendo animos Philistinorum Principum, ut injectâ suspicione ambiguæ fidei, Davidem ejusque viros ab exercitu suo removerent, 1. *Sam.* 29. 3. 4. 5. Dicit quidem *Johannes Piscator*, ambiguè locutum esse Davidem, ut Achis Rex putaret, velle eum invadere Judæos, cùm tamen magis vellet prodere Philistinos, deserendo copias eorum, *Commentariis ad h. l. quæst.* 308. Atqui cùm Davidis mores propius intuemur, meritò credemus, nunquam ei in mentem venire potuisse, ut ad quos supplex confugerat, & à quibus civitate donatus fuerat, eos turpiter deserendo, proderet, damnoque per summam ingratitudinem afficeret. Quin clientelæ jus etiam hoc videbatur postulare, ut eum juvaret omnibus modis, in cujus protectione habitabat. Ita Jaël Heberis Kinæi uxor, quæ cum domo sua in clientela Hebræorum incolebat, fugientem ad se Chananæorum Ducem Sisaram, occidebat in somnis, & Barako mortuum tradebat, *Judic.* 5. 24. *Lyranus* instat, Davidem justa arma potuisse opponere Saulo, eumque persequi ad necem, ut Regno, quod ei debebatur, potiretur. *Respondeo*: Privatum velut odium erat, quo Saulus premebat Davidem, neque igitur ob causam illam David armis hostilibus uti poterat adversus populum, velut in causa publica. Regnum, quod debebatur ei, demùm post Regis sui obitum adipisci debebat, viventi Regi eripere non debebat, uti ipsemet protestatur adversus cognatos suos moræ pertæsos, 1. *Sam.* 24. 6. 7. *cap.* 26. 8. 9. 10. 11.

XI. Quæritur: (2.) *An fides quæ hæreticis & infidelibus datur, servari debeat?* Respondeo: Negabant Monachi *in Concilio Constantiensi Seß.* 19. & facto comprobant, cùm Johannem Hussum Bohemum & Hieronymum Pragensem, qui salvo conductu à Cæsare Sigismundo instructi, ad Concilium venerant, spretâ Cæsaris intercessione, vivos flammis urebant. Excusant factum atrocissimum Martinus Becanus *Tom.* 2. *Operum Theologicorum, pag.* 629. Dionysius Petavius *in Rationario temporum lib.* 9. *cap.* 8. Wilhelmus ab Effern *in Manuali Politico, lib.* 2. *pag.* 302. Johannes Molanus *lib.* 2. *de*

fide servanda hæreticis cap. 1. Christophorus Besoldus *in Synopsi historica pag.* 412. Summa argutatum elusionum hæc est: (1.) Non violaverunt fidem Proceres, sive Hussum spectes, sive Hieronymum. Id enim factum esset vel à Prælatis, vel à Cæsare. Non ab illis, quia nunquam dederant fidem Husso. Non ab hoc, quia Husso dederat salvum conductum jure communi, salvâ justitiâ. (2.) Dedit Imperator sub conditione fugæ, quam si moliretur, capitis pœnam subiret: Fugam tentavit Hussus, sed è fuga retractus perdidit salvum conductum. (3.) Noluerunt abjurare hæresin, propterea supplicium hæretico debitum luerunt. (4.) Nunquam legitur Hussus de violata fide conquestus esse, id quod haut dubiè fecisset, si injuriam ipse advertisset. Sic illi. *Respondeo:* (1.) Et Prælati & Cæsar violatæ fidei rei sunt, illi quidem consilium truculentum dando, hic verò patienter nimis obsequendo. Consilium ad memoriam omnem infame erat, Husso hæretico secundùm noviter sancitas Juris Canonici regulas, non potuisse dari salvum conductum, & quia datus sit, non debere servari. Paruit Cæsar, & in Romani Imperii territorio, civitate tunc libera, nunc verò Austriaca, permisit utrumque exuri, contra fidem ipsis totique Regno Bohemiæ datam. Monachi nec dare poterant salvum conductum in alieno territorio, nec datum violare. Quis enim constituit eos judices in rebus civilibus? *Luc.* 12. 14. Et si dedit Cæsar salvâ justitiâ, quænam hæc est justitia, viros innocentes in vincula mittere, & pro veritate doctrinæ adversus veritatis hostes è literis sacris decertantes flammis perdere? (2.) Nulla exceptæ fugæ conditio est in literis, nec verum est, quòd Hussus fugam adornaverit. Nihil hac de re dicunt Acta Concilii, tantùm hæreseos crimen impingunt: De fuga tentata, si hoc verum esset, addidissent Monachi, ut eò justiùs damnatus fuisse videretur. Nec poterat fugam moliri numellis & catenis ligatus, excubitoribus armatis circumseptus, carcere horrido & funesto conclusus. Naucleri figmentum est, *Volum.* 2. *generat.* 48. quod ille à vanis rumusculis percepit, & pro excusanda Patrum de Concilio perfidia, adscripsit, atque inde citant Becanus & Petavius in favorem causæ. Neque opus erat, per medium illud sese liberare, quorsum enim data fides? (3.) Noluerunt abjurare veritatem, quam cum testimoniis literarum sacrarum evertere non possent Monachi, exemplo pessimo ad flammas condemnaverunt, ut Judæi, qui veritatem in Stephano lapidibus petendo refellebant, *Actor.* 6. 10. *cap.* 7. 54. 55. *seqq.* (4.) Satis conquestus est, libellos supplices ad Imperatorem dando, & literis Bohemiæ Procerum adhibitis rogando, ut de carcere emitteretur, teste Johanne Stumpfio *in Historia Concilii Constantiensis, pag.* 91. *seqq.* Cùm frustrà esset, Bohemi cruento bello viri magni, & Martyris, post Apostolicam memoriam celeberrimi, indignam necem ulciscebantur.

XII. Quòd fides hæreticis data servari debeat, negant Tiberius Decianus *lib.* 5. *Tract. Criminal. cap.* 20. *num.* 55. Julius Clarus *lib.* 5. *sententiarum dicta hæresis num.* 18. Stephanus Hosius *Epist.* 193. 202. 210. Antonius de Rosellis *libro de Potestate Papæ & Cæsaris cap.* 25. Caspar Scioppius *in Ecclesiastico, cap.* 115. *seqq.* Nos verò affirmamus cum Prospero Farinaceo *in Practica*

ctica Criminali, *Tractatu de Carceribus*, *quæst*.29. Johanne Bodino *lib*.5. *de Republica cap*.6. Adamo Conzeno *lib*.3. *Doctrinæ Civilis*, *cap*.7. Vernulejo *lib*.3. *Institutionum Politicarum*, *tit*.10. *cap*.8. Rationes nostræ sunt istæ: (1.) Quia veritas jubet, ut quæ verbis affirmas, eadem animo sincero approbes, cæteroquin mendax futurus, *Exod*.20.7. *Levit*.19.11. *Psalm*.5.7. *Ephes*.4.25. *Coloss*.3.9. (2.) Quia fides jubet, ut quæ polliceris verbis, eadem impleas facto. (3.) Quia Josua fidem dabat Gibeonitis, & quanquam ab eis dolo circumscriptus fuerat, servabat tamen ea, quæ promiserat, ne adversus justitiam agendo, peccaret, *Josue* 9.3.4. *seq*. *cap*.10.6. *seqq*. (4.) Quia Attilius Regulus vir antiquâ virtute & fide malebat Carthaginem ad supplicia certissima reverti, quàm juramentum pro reditu præstando hosti datum, non servare, Florus *lib*.2. *Histor. Roman. cap*.2. Eutropius *lib*.2. *Breviarii*, Livius *lib*.18. Horatius *lib*.3. *Carm*.5. Polybius *lib*.1. *histor*. (5.) Quia Deus severâ ultione perdebat Uladislaum Hungariæ Regem, qui fidē Amurathi Regi Turcorum datam, frangebat Eugenii Papæ suasu. Cæsus prælio ad Varnam, documento mortalibus fuit, ut non vellent fidem hostibus datam temerare, Paulus Æmylius *lib*.10. *histor*. Gerhardus de Roo *in Historia Austriaca*. *pag*.196. Antonius Bonfinius *decad*.3. *Histor. Ungar. lib*.6. & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *lib*. 20. *cap*. 2. *dist*. 7. (6.) Quia Simeon & Levi maledictis à patre Jacobo onerantur, quòd Sichemitis circumcisis fidem non servavissent, eosque latronum more oppressos exstirpavissent, *Gen*. 34.30. *cap*.49.5. Damnatur verò Author libri fabulosi de Juditha, qui factum illud commendat, *cap*.9.2. uti prolixius diximus *libro de Scriptura Sacra, Exercitat*.17. *dist*.4. (7.) Quia Zidekias Rex graviter luebat perfidiam istam, Deus vocat juramentum suum, quod Rex enunciaverat tunc, cùm pacto sese obligabat Nebucadnesari Chaldæo, Rex datæ & non servatæ fidei reus factus, pellebatur, filiis occisis, ipse in carcere squallido consenescebat, Barbarorum manibus sepultus, 2. *Reg*.25.1.2 *seqq*. 2. *Chronic*. 36. 13. *seqq*. *Jerem*.39.4. *seqq*. *Ezech*.16.59. *cap*.17.19. (8.) Quia Rex Ezechias cæterùm optimus & pius, desciscendo à fœdere oneroso, quod majores ejus cum Assyriæ Regibus pepigerant, vectigalia non solvendo, fatebatur se peccavisse, offerebat satisfactionem, 2. *Reg*. 18.7.14. *Esa*.36.6. Frustrà disserunt Jacobus Salianus *Tom*. 4. *Annalium Veteris Testamenti*, *pag*. 456. Caspar Sanctius *Commentariis ad libros Regum*, *pag*. 1573. Stephanus Junius Brutus (quem putant fuisse Hubertum Languetum) *in Vindiciis contra Tyrannos*, *pag*.160. Henricus Arnisæus *libro de Authoritate Principum inviolabili*, *cap*.1. *num*.8. quòd Ezechias non peccaverit deficiendo ab Assyriis. Dicit *Sanctius*: Rex Assyriæ neque patrem ejus Achazum, neque quenquam Regum Judææ vectigalem habuerat. *Respondeo*: Atqui constat, quòd Achazus Rex vectigalia pepigerit cum Regibus Assyriæ, prolatâ ope adversus hostes, 2. *Reg*.16.7.8. *seqq*. Eodem pacto retentus Ezechias, non poterat sese liberare unâ pertinaciâ armatus, & Rex potentissimus ad inferendum Judææ bellum progressus, fœdifragum à milite imparatum, in maximas angustias conjiciebat, uti rectè nobiscum statuit Torniellus *in*

Annalibus sacris, Tom. 2. pag. 106. Proindè errorem deprecabatur, mulctam solvebat, fidem renovabat: Sed cùm pergeret Assyrius molestus esse, deditionem & emigrationem imperando, insuper verum Deum probris lacesseret, bona causa ab Assyriis ad Hebræos transibat, succurrebat Deus, cædebat hostes, *2. Reg. 19. 1. 2. seqq. 2. Chronic. 32. 1. 2. seqq. Esa. 37. 1. 2. seqq.*

CAPUT DUODECIMUM.

De Jure circa Societates.

SUMMARIA.

1. *Civitas Platonis.*
2. *Nicolaitæ & Gnostici.*
3. *Societas conjugalis.*
4. *Cœlibatus præstantia.*
5. *Matrimonii dignitas.*
6. *Jus Connubiorum.*
7. *Ritus matrimoniales.*
8. *Lectus genialis.*
9. *Hymenæus.*
10. *Matrimonium dispar.*
11. *Solvuntur rationes.*
12. *Argumenta proferuntur.*
13. *Conjugium uxorum plurium.*
14. *Exempla Veterum.*
15. *Solvuntur instantiæ.*
16. *Præcepta Christi.*
17. *Divortium.*
18. *Episcopus unius uxoris maritus.*
19. *Separatio quâ thorum.*
20. *Solvuntur instantiæ.*
21. *Societas patria.*
22. *Jus vitæ & necis.*
23. *Votum à Jephta prolatum.*
24. *Solvuntur instantiæ.*
25. *Vita cœnobitica.*
26. *Servorum conditio.*
27. *Servorum discrimen.*
28. *Servitus præter naturam.*
29. *Solvuntur rationes.*
30. *Servi apud Hebræos.*
31. *Servorum vilitas.*
32. *Servorum manumissio.*

1. *SOcietas est collectio hominum privati boni gratiâ.*] Socrates, & ex ejus mente Plato novam civitatis formam descripserunt, in qua omnium personarum & rerum æqualitas esset, communis usus, itaque nec magistratibus opus foret, nec societatibus, jus imperandi, leges condendi & abrogandi, judicia & bella prosequendi omnes & singuli obtinerent, vitæ & necis potestatem singuli & omnes in singulos & universos haberent. Hoc prolixè refellit Aristoteles *lib. 2. Politicor. cap. 1. seqq.* & mala bonis permiscendo, non exiguam Interpretibus suis contra Platonem declamandi præbet occasionem. Ac certum equidem est, quòd communio bonorum repugnet sacris literis, *Prov. 5. 10. 17. 2. Cor. 12. 14.* itaque statim post exsilium è paradiso, inter primos hominum progenitores, ceperunt esse diversorum vitæ commodorum professiones, distinctæ bonorum possessiones, *Gen. 4. 2. 3. 4.* Tunc enim desiverat aureum seculum, & cum illo personarum æqualitas, bonorum communis perceptio desiverunt. Quòd verò Anabaptistæ Monasterienses conabantur olim hujusmodi civitatem formare, novum seculum, novum orbem, nova omnia prædicando, magistratuum hostes, plurium uxorum concubitores, pacis turbatores, caruit successu, Summus eorum Antistes Johannes Bohkhold

Bohkhold sartor dicaculus & circulator ambitiosus, pertraxit in sententiam suam Rothmannum concionatorem, Knipperdöllingum & Krefftingum Senatorii ordinis viros, Episcopus urbe pellebatur, novum Sionis Regnum per Apostolos evulgabatur, in quo popularis libertas & licentia, perfractis legum repagulis, omnibusque Regibus ferro sublatis, vigeret, rectumque coleretur pro cujusvis instinctu. Dum protervi errones in urbe dominantur, & revelationum cœlestium obtentu nefaria quæque patrant, Episcopus milites cogebat, urbem obsidione claudebat, dedebaturque illa, cùm proditione civium benè uteretur Episcopus, atque hi adversus famem & pestem decertare ultrà nollent, Evangelistæ nebulones & Rex ipse forcipibus ignitis lacerati, caveisque ferreis inclusi ad fastigium turris Lamberti appendebantur, uti refert Johannes Sleidanus *lib.* 10. *Commentariorum*.

II. Nicolaitæ authorem habebant unum Diaconorum istorum, qui redituum publicorum administri erant, volentibus Apostolis, *Actor.6.5.* Cæterùm mentio est *Apocal.2.6.* μισεῖς τὰ ἔργα τῶν νικολαϊτῶν. Nimirum, quòd is docuisset, ut exemplo Laconum & Catonis (apud Lucanum *lib.* 2. *Pharsal.* uxoris suæ usuram quivis permittere alii posset, planè quasi in eo quod marito & uxore volentibus fieret, non peccaretur. Eodemque pertinent, quæ de Episcopi Thyatirensis uxore Jesabele referuntur, *Apoc.*2.20.21.22.23. Hic πορνεία est idem quod μοιχεία, uti etiam *Matth.*5.32. *cap.*19.9. Eorum propago Gnostici, promiscuas libidines, quas bestiæ deperiebant, ausi fuerunt Platonis authoritate defendere, ut testantur Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Stromatum*, & Theodoretus *lib.* 3. *de fabulis hæreticorum.* Malè factum est, & quòd hujusmodi in civitatem suam introductos nequaquam voluerit, demonstrabat tunc temporis non malus Academiæ priscæ, necdum Ephecticorum vacillantibus semper opinionibus corruptæ, assertor Plotinus *libro contra Gnosticos.* Utebatur multum Gallieni Cæsaris aula, utque magnam Christianæ Religioni adversariam constitueret, oppidum aliquod in Campania donari sibi volebat, ubi Scholam illustrem conderet, ac vilescentem quotidiè Paganismi authoritatem, Pythagoræ artibus, Platonis legibus suffulcire posset. Non tamen impetrabat, uti narrant Eunapius Syrus *libro de vitis Philosophorum*, & Porphyrius *in vita Plotini.* Ut de Platone vulgò ita crederetur, ab Aristotele est, qui consequentiis nimiùm abusus, magistro suo opinionem conciliavit, de qua illi nunquam in mentem venerat, quod rectè notat Johannes Bodinus *lib.*2. *de Republica cap.*2. Johannes Casus *lib.*2. *Sphæræ civitatis pag.* 92. Hoc volebat, ut omissis vivendi artibus, quæ inter onerosos acquirendi modos vulgò numerantur, agriculturæ & opificiis operam darent civitatis suæ habitatores, & propulso omnis auri usu, meum ac tuum vel paribus officiis compensarent, vel annonæ aut necessariarum aliàs opum commutatione dirimerent. Uxores communes habere velle, Platonem auctorem non habet, sive exemplum, sive præceptum spectes. Certè *in Phædro* verbis disertis amorem turpem & vagos concubitus damnat.

Et ferrea cùm secula essent, aurea illa quæ quondam fuerant, quando Virgilio *lib.2. Georg.* dicente:

Ne signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat,

frustrà reducere allaborat Sol Philosophorum, uti prolixius disserunt Franciscus Patricius *Tom.* 4. *Discussionum Peripateticarum*, Bessarion *in Apologia lib.* 4. Serranus *Commmentariis ad lib.2. Politicorum, cap.* 1. De populis quibusdam constat, paucas illos habuisse reculas, easque communes. Brachmanas Indiæ gentem istâ vivendi ratione usos, docet Arrianus *lib.7. de Gestis Alexandri.* Neque aliter ferè olim Scythæ Nomades, de quibus refert Horatius:

Campestres melius Scythæ,
Quorum plaustra vagas ritè trahunt domos,
Vivunt & rigidi Getæ:
Immetata quibus jugera liberas
Fruges & Cererem vehunt,

l.3. Carm.24. Imetata, i.e. nullis metis, nullis terminis distincta, vel nullis decēpedis descripta. Non aliter vivunt hodiè Tattari & Kosacci in desertis campis Siberiæ, quos alio nomine Okrainam vocant, Paulus Piasecius *in Chronico Europæ*, *pag.*44 45. 46. Deleatur, quod post Politicos alios scribit Nicolaus Vernulejus *lib.* 1. *Politicorum, cap.* 4. *tit.* 2. videlicet *uxorum communem usurpationem docuisse Platonem & Essenos.* De Platone jam satis. Esseni verò non poterant uxores habere communes, qui mulierum consortium omne abdicabant, ita ut ad operas mulierum proprias, non illas quidem, sed viros adhiberent, quod nos docent Josephus *lib.* 18. *Antiquitat. cap.2. & lib.2. de bello Judaico cap.6.* Plinius *lib.5. cap.17. histor. natur.* Solinus *in Polyhistore, cap.*36.

III. *Estque vel prima vel orta. Prima est, quæ est suæ originis. Talis est societas conjugalis.*] De qua valet insignitum illud: Bibe aquam è cisterna tua, & fluenta è medio puteitui, *Prov.*5.15.16. *πηγὸς λόγος*, uti *Cant.*4.12. Sensus est: Tuam tibi habe uxorem. Etenim, non benè cum sociis Regna Venusque manent.

IV. *Societas conjugalis est, quâ maritus & uxor conjunguntur.*] Quæritur hîc: *An Cælibatus sit præstantior matrimonio?* Respondeo: Affirmant Besoldus *lib.*1. *Doctrinæ Politica cap.*11. *dist.* 4 Julius Coturius *in Epitome Controversiarum, pag.*388*seqq.* Costerus *in Enchiridio Controversiarum, cap.*19. Et rationes quidem profert Coturius istas: (1.) Quòd Servator ostendat cœlibatus perstantiam inde, quia non omnes possint capere hoc verbum de non contrahendo matrimonio, *Matth.*19.10.11.12. (2.) Quod Paulus dicat, bonum quidem esse ut virgo nubat, melius verò esse, cùm matrimonio abstinet, 1. *Cor.*7.25. *seq.* (3.) Quòd cœlibes & steriles prædicantur beati coram Deo, & ab eo recepturi sint præmia æterna, *Sap.*3.13. *cap.*4.1. (4.) Quòd continentiæ donum laudetur velut maximum, *Syrach.*26.20. *Gal.*5.22. *Apoc.*14.3.4. Hæc ille. *Respondeo:* (1.) Servator non tàm commendat præstantiam cœlibatus, quàm quòd pauci inveniantur, à quibus rectè exigatur cœlibatus, ut eum servare possint. Volebat uti quorumdam ministerio in prædicando Evangelio, cùmque sine turbis ita fieri non posset, omninò credebatur, si præco novæ doctrinæ cœlebs esset, uxoris liberorumque

que oneris expers, melius esse. De ordinario mundi statu non valent ista, quæ extraordinariis casibus rectè atque unicè attribuuntur. (2.) Ratio eadem est in simili casu, neque igitur ista valent omni tempore, uti dudum monuit Theophilactus *Commentariis ad h. l.* Plena turbarum erant omnia [1], & verò Deo fidelis virgo non sine periculo mutationis in pejus, cum marito infideli poterat conjungi, quando Ecclesia patiebatur hactenus infidelium persecutiones. (3.) Libri ejus Scriptor fuit Essenus, de populo isto, qui velut exsilio voluntario damnatus, per Ægypti agros degebat. Sprevisse eos matrimonium, docent Josephus *lib. 2. de bello Judaico, cap. 2.* Sozomenus *lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 12.* Porphyrius apud Eusebium *lib. 9. de Præparatione Evangelica, cap. 1.* & adde nos *libro de Scriptura sacra, Exercitat. 19. dist. 4.* Proindè non est, quare multum illi encomio tribuamus. (4.) Laudatur continentia, quæ est in matrimonio honesto, uti patet ex iis, quæ dicuntur *1. Thess. 4. 34. 1. Tim. 3. 2. 3. Tit. 1. 6. 8.*

V. Nos pro matrimonio dicimus, videlicet præstantius esse. Rationes sunt: (1.) Quia Deus instituit matrimonium in statu primæ integritatis, cùm nihil obliquum erat, sed omnia erant valdè optima, *Gen. 1. 31.* Proinde matrimonium tantò excellentius est præ cœlibatu, quantò status Integritatis excelluit præ statu Corruptionis. (2.) Quia literæ sacræ describunt matrimonii præstantiam locis plurimis, ut levia sint, quæ in comparatione ad ista, de cœlibatu locis obscuris dicuntur, *Prov. 19. 4. Ephes. 5. 32. 1. Thessal. 4. 3. Tit. 2. 4. 5. Hebr. 13. 4.* (3.) Quia populus Dei adeò cœlibatum minimò æstimavit, ut si quæ perpetuò virgo maneret, probro hoc duceretur, & maledictionis genus esse censeretur, *Judic. 11. 38.* Rabbinus Kimhi *Commentariis ad Esaia 56.* (4.) Quia matrimonium præferunt omnes toto orbe gentes. De Germanis Tacitus: *Nulla apud eos orbitatis præmia sunt*, cap. 18. Persæ, Græci, Romani, donis præmiisque honore afficiebant cœlibes, quando per hos nulla civium incrementa esse poterant, Herodotus *lib. 1. & 8. histor.* Valerius Maximus *lib. 7. cap. 7.* Suetonius *lib. 5. cap. 16.* Tacitus *lib. 2. & 15. histor.* Plutarchus *in vita Lycurgi*, Carolus Sigonius *lib. 3. de Republ. Athen. cap. 1.*

VI. *Maritus est, qui sibi copulat uxorem. Uxor est, quæ copulatur marito.*] De Jure Connubiorum apud veteres Romanos scripserunt Antonius Guibertus Costanus, Brissonius, Hottomannus, Tiraquellus, Arnisæus, Albericus Gentilis. Solemnia depingit Jacobus Laurus, *part. 3. Antiquitatum Romanarum, num. 8. 9.* Summa hæc est: Qui uxorem ducere volebat, ab eo, in cujus potestate hactenus erat, eam matrimonio datum iri, stipulabatur, isque qui nuptum daturus erat, respondebat. Qui contractus stipulandi & respondendi vocabatur Sponsalia, ut ait Gellius *lib. 4. cap. 4.* Ad constituenda illa, nudus contractus sufficiebat, major solennitas inerat, cùm in Tabulas sponsio ista referebatur. Juvenalis:

Signatæ tabulæ, dictum feliciter,

Satyr. 2. Ex annulis signatoriis eorum, qui testes rerum aderant, obsignabantur. Rursum Juvenalis:

Veniet cum signatoribus auspex,

Satyr.

Satyr. 10. Signatoribus, id est, Notariis, qui describebant & obsignabant tabulas contractus matrimonialis. Ut ratus esset contractus, Sponsa faciebat sumptibus suis cœnam aliquam, invitatis ad eam Sponso, ejusque propinquis, & verò Sponsus dabat Sponsæ arrham, quæ erat annulus pronubus, uti vocat Tertullianus *libro de cultu fœminarum*. Juvenalis.

Et digito pignus fort asse dedisti,

Satyr. 6. Demùm diem nuptiis dicebant, quem boni ominis eligebant rogati proptereà Auspices, ut narrant Valerius Maximus *lib.* 2. *cap.* 1. Tacitus *lib.* 15. *Annalium*. Itaque Juvenalis: Junguntur taciti contentique auspice Bruto, *lib.* 2. Communis opinio erat, mensibus Januario & Majo nullas debere fieri nuptias, quas cum successu aliquo beatas esse cuperent, quòd illo fierent Lemuria, hoc verò Feralia, utraque erant mali ominis, quia erant pro Manibus. Ovidius describit prolixè *lib.* 5. *Fastorum*, ubi inter alia occurrunt:

Nec viduæ tædis eadem nec virginis apta
Tempora, quæ nupsit, non diuturna fuit.
Hac quoque de causa, si te proverbia tangunt,
Mense malum Majo nubere vulgus ait.

Aptissimum tempus erat, quod Idus Junias sequebatur. *Ovidius:*

Hanc ego cùm vellem genero dare, tempora tædis
Apta requirebam, quæque cavenda forent.
Tunc mihi post sacras monstratur Junius Idus,
Utilis & nuptiis, utilis esse viris,

lib. 6. *Fastorum*. Bonum erat auspicium, quando cornix aut volatu aut voce aspirabat proposito. Tibullus:

Huc veniat natalis avis prolemq́ ministret,

lib. 2. Eleg. 2. Avis illa cornix est, quam concordiæ symbolum in nuptiis Veteres invocabant, uti diximus *lib.* 1. *Antiquit. Roman. cap.* 1. *dist.* 10. & adde Antonium Augustinum *in numismatu Tab.* 32. *num.* 20. Johannem Jacobum Boissardum *part.* 3. *Antiquit. Roman. fol.* 80 84. 86. 144. 145. Auspiciis peractis, sacra faciebant Jovi, Junoni pronubæ, quæ Dea velata nubentis habitu pingitur in nummis Gordiani Imperatoris, apud Petrum Seguinum *libro de numismatis antiquis pag.* 171. Veneri quòd omnes illi matrimoniis conciliandis præesse censerentur. Immolabant porcum, at fel cum reliquis extis non offerebant, sed revulsum citra aram dejiciebant, ita significare voluerunt, quod bilis & iracundia abesse deberent à nuptiis, cæteræ partes adolebantur, unde capiebantur signa futuræ inter eos tranquillitatis, autore Plutarcho.

VII Inscriptio Romana:

Ingratæ Veneri spondebam munera supplex,
Ereptâ conjux virginitate tibi.

Johannes Jacobus Boissardus *l. d. fol.* 81. Pro Sponsa ornanda adhibeatur cura accurata. Velo rubro aut flavo, quod Sponsus donaverat, obnubebatur, dicto aliàs Flammeum, Catullus *Epigr.* 57. Plinius *lib.* 21. *cap.* 8. Suetonius *lib.* 6. *cap* 28 Petronius Arbiter *in Satyrico pag.* 71. Nec aliter *Lucanus*: Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem, Lutea demissos velarunt flammea vultus. *lib.* 2. Locus est *Gen.* 24. 65. Tollens citò pallium operuit sese Erat testimonium pudoris & verecundiæ. Virgilius in Ciri:

Ut

Ut ibi Corycio glomerarem flammea luto. Corycium lutum eſt color flavus ut explicat Taubmannus *in commentario h. l. pag.* 5. Martialis:

Flammea texuntur ſponſæ, jam virgo
parata eſt,

lib. 11. Epigram. 79. Alius locus eſt 1. Corinth. 11. 10. *διὰ τοῦτο ὀφείλει ἡ γυνὴ ἐξουσίαν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς, διὰ τοὺς ἀγγέλους.* Corrigere Jacobus Godofredus *commmentariis ad Legem Rhodiam pag.* 140. 141. ut legatur *ἐξουβίαν*, quod notat exſuvium ſeu velamentum capitis, Romanâ dictione ad uſum Græcum traductâ, *περιβόλαιον ibid. verſ.* 15. Porrò etiam legi vult *διὰ ἀγελαίους propter gregales*, id eſt, juvenes in cœtum ſacrum collectos, ne ab eis capiatur ſcandalum. *Hæc ille.* Neutrum placet. Quærebat in Eccleſiæ conventu homines aperto capite eſſe deberent, an operto, & quidem precum tempore cumq; revelationes à Deo acceptæ, populo exponebantur. Hic primū quod fœminas attinet, res nō habebat multum difficultatis, ſatis enim apparebat, melius eſſe, ut fœminæ eſſent cum operto capite & velatâ facie, ob pudorem ſexus, de viris poterat in utramque partem diſſeri, quandò per Græcorum mores viri habebant integumentum capitis perpetuum, Romani illo carebant domi, ſed in provinciis adhibebant, uti diximus *lib. 4. Antiquitatum Romanarum cap. 5. diſt.* 19. In ſacris peragendis non idem populorum uſus fuit. Levitæ in templo erant tecto capite, quod metuerent, ne ipſi minus digni majeſtatem Dei aſpicerent, *Exodi 3. 6 Levitic.* 10. 6. Imitabantur Ebræi in Synagogis extrà urbem. Apud Græcos erat contrarium, faciebantque illi ſacrum capite aperto, quod docet Macrobius *lib.* 1. *Saturnal. cap.* 8. 10. *lib.* 3. *cap.* 8. Unius Saturni ſacris exceptis, Romani capite velato peragebant cultus Deorum quorumvis, mo, remque ſancivit Æneas, ne quod malum omen oculis vel auribus obveniret, uti referunt Virgilius *lib. 3. Æneid.* Servius *commentariis ibid. pag.* 299. & nos prolixè *lib. 1. Antiquit. Roman. cap. 12. diſt.* 18. Æneum ſacrificantis ſimulachrum in Veſontinis agris repertum habitu illo, depingit Joh Jacobus Chiffletius *part. 1. de ſcriptionis Veſontionum cap.* 25. Julii Cæſaris imago cum velatâ facie, velut Pontificis Maximi, eſt apud Antonium Auguſtinum *Tab. 2. numiſmatum num.* 1. 2. 7. 13 Lepidi Pontificis imago velata eſt *ibidem Tab. 6 num.* 4. 7. Ejuſdem moris Plautus *in Curculione Actu 3. ſcenâ* 1. & alibi, uti ſolet admiſcere Romana Græcis. Paulus Græcis Corinthiis ſcribens, morem Græcum præfert, & cauſas adfert, quales ferebat negocii natura, ut ſcilicet mares aperto capite fœminæ velatis capite & facie adeſſent, quod pluribus exponunt Bened. Juſtinianus *in commentariis pag,* 549. *ſeq.* Hugo Grotius *in annotatis pag.* 409. *ſeqq.* Ludovicus Cappellus *in Spicilegio pag.* 87. *ſeqq.* Dicit *ἐξουσίαν* non verò *ἐξουβίαν*; quia hoc poſterius erat indumentum è ferinis pellibus, quod capiti imponebant milites, ut apparerent terribiliores hoſtibus eſſe, uti diximus *lib. 3. Antiquitatum Romanarum cap. 2. diſt.* 4. Id non pertinet ad præſens negocium ſed *ἐξουσία* eſt ob genus loquendi figuratum idem quod operimentum. Velamen eſt imperii ſignum, ſub quo eſt mulier, & apprimè convenit verecundiæ, *Geneſ.* 20. 16. *cap.* 14. 65. Perinde etiam ſervari debet illud, *διὰ τοὺς ἀγγέλους.* Si enim alibi velatæ eſſe volunt

mulieres, certè in Ecclesiâ cum habitu isto eas adesse oportet, ubi par est, omnia peragi cum summâ verecundiâ ordinemque & decorem servari, quippe ubi non tantum adsint homines, sed & ipsi Dei Angeli. Sicut Cherubini erant in templo, ad significandam Angelorum præsentiam, quò respicitur *Esaiæ 6.1.2.*

VIII. Sponsus veniebat in ædes sponsæ comitatus paranympho, atque ibi peragebantur nuptiæ. Ad cœnam nuptialem (quam Sponsus parabat sumptibus suis) considebant, & lautè excipiebant convivas. Aderant unà Tibicines & hymenæum decantabant, pueri quoq; ad amovendum fascinum recitabant carmina fescennina, ut Festus *lib. 6. de verborum significat, pag.* 288. refert. Lucanus:

Non soliti lusere sales, nec more Sabino
Excepit tristis convicia festa maritus.

Sabini primi invenerunt fescennina & confer janum Guilhelmum *lib. 1. verisimilium cap.* 14. Fascinum amovebatur, quandoquidem pervulgatum, quod Sagæ crebrò partem illam, quâ vir erat, Sponsi magicâ arte læderent, ut officiò suo fungi haut posset in concubitu. Tibullus:

Ipsa Venus magico religatum brachia nodo,

lib. 1. Eleg 9. Magicus nodus est καταδεσμὸς sive fascinum, de quo prolixius agit Johan. Fernelius *lib. 2 de abditis rerum causis cap.* 16. Hymenæus cumprimis Junoni sacer erat, quam γαμήλιον καὶ γαμήλιον θεὰν plurima nuptiarum solemnia respiciebant, adeoque cum Sponsa ornabatur, coma ejus hastâ parvâ discriminabatur more à Sabinis petito, qui cum Romulo sive armis sive legibus pacti in civitatem immigraverant, cultores Junonis Reginæ, quomodò vocatur in inscriptionibus apud Janum Gruterum *pag.* 4.5.6. 7. eique arma consecraverant, inter quæ hasta excellebat. Ovidius:

Nec tibi quà cupidæ matura videbere matri,
Comat virginias hasta recurva comas,

li. 2. fastor. & illi adde Boxhornium *commentariis ad Plutarchi quæstiones num.* 87. Philippum Beroaldum *in annotatis variis pag.* 191. Convivæ liberalius invitati clamabant Thalassionem, qui vetustæ memoriæ sponsus, (tunc cum Romulus mulieres Sabinas rapiebat) cum sponsâ suâ invenerat conjugium per omnia vitæ tempora placidissimum. Paris gloriæ matrimonium vovebant novis nuptis, cum Thalassionem vocabant, Festus Pomponius *lib. 19. de verborum significationibus pag.* 461. Plutarchus *in problematis Romanis quæst.* 32. & Boxhornius *commentariis ibid.* Martialis *lib. 1. Epigram.* 36. *lib. 3. Epigram.* 93. Nuptias spargebat sponsus, & inter pueros præsentes projiciebat, quod puerilibus oblectamentis omissis deinceps res serias agere vellet, uti maritum & civem decebat. Catullus:

Non nuces pueris neget
Desertum Domini audiens,
Concubinus amorem,

Epigram. 62. *Virgilius*: Sparge marite nuces, *Bucolic.* 8.

IX Post epulas finitas Pronuba manu apprehendebat sponsam, & in cubiculum adducebat, ut in lecto geniali accumberet vestibus depositis. Catullus:

Jam cubile adeat viri
Vos bonæ senibus viris
Cognitæ breve fœminæ
Collocate puellulam,

Id.

i. d. Scilicet pronubas deligebant eat, quæ uni marito nuptæ, ut conjugium novum esset auspicatum. Genialis verò lectus propriè dictus est, ille qui sternebatur puellis nubentibus, ait Servius *commentar ad lib. 6. Æneid. pag.* 432. Poterat hinc fortè exponi locus Virgilii: *Nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est*, Bucol. 4. Deus, id est Genius, vitæ præses, cui mensam Veteres. Quod verò Servius commentar. h. l. pag. 21. exponit, *Deus id est Jupiter*, peregrinum censeri debet, quia optimum sensum pervertit. Dea id est, Juno, in cujus tutelâ sunt lecti geniales. Sensus est: Infausto omine aliàs natus esse videri possis, de quo vulgus censet, quod vix adolescere & cum parentum gaudio provivere possit. Confer Josephum Scaligerum *notatis ad Catullum pag.* 50. 51. Adrianum Turnebum *lib.* 16. *adversar. cap.* 13. Accumbebat deinde Sponsus, & cum Deo Subigo ac Deâ Pertundâ coronidem imponebat actui. *Arnobius*: Pertunda est quæ in cubiculis præsto, oirginalem scrobem effodientibus maritis, *lib.* 4. Hoc erat, cingulum solvere. Catullus:

Tibi virgines Zonula solvunt sinus,

i. d. Græcorum more, λύειν παρθενίην ζώνην apud Homerum, Theocritum, Musæum, quorum testimonia adducit Antonius Muretus *commentario ad Catullum pag.* 116. Postridiè novus maritus reversus in domum suam, ibi parabat cœnam, & quia velut instaurabatur potio, vocabant Repotia, ut Festus *lib.* 16. dicit. Tunc etiam inter amicos distribuebant Sportulas, teste Apuleio *lib.* 2. *Apologiæ*. Erant numismata cum imaginibus novorum conjugum, uti nos docent Symmachus *lib.* 4. *Epist.* 55. *lib.* 9. *Epist.* 96. & *ibidem* Franciscus Juretus *in notis pag.* 191. *seq.*

Adducebatur ad eum nova marita cum peculiaribus solennibus. Abstrahebatur veluti per vim à gremio matris, aut si illa obierat, cognatæ proximæ & ad maritum trahebatur ob recolendam memoriam vetustissimi matrimonii, cum jubente Romulo Sabinarum virgines, quæ ad spectandos Consuales ludos, non verò ad paciscundum matrimonium aderant, per impetum raperentur atque obtinerentur. Nummus est apud Abrahamum Gorlæum *Tab.* 34. *num.* 7. Ducebatur in sponsi domum velut domicilium suum, & quidem altâ vesperâ. Catullus:

Vesper adest, juvenes consurgite, vesper Olympo
Expectata diu vix tandem lumina tollit,
Surgere jam tempus, jam pingues linquere mensas,
Jam veniet virgo, jam dicetur hymenæus.

Epigram. 63. Virgilius: *Tibi deserit Hesperus Oetam*, Bucolic. 8. id est, nox advenit, uti interpretatur Servius *commentarus ad h. l. pag.* 41. Comitabantur eam tres pueri paranymphi, atque hi quidem patrimi & matrimi, id est, ἀμφοτέρες τὲς γονεῖς ἔχοντες περιόντας, ut interpretatur Zosimus *lib.* 2. *histor.* Eorum unus facem præferebat, & vocabatur Prælux, teste *Festo*. Petronius *in Satyrico*: Embasicœtas præferebat facem. *pag.* 71. Sæpe etiam plures Inscriptio Patavina:

Cos. Aug. Publ. Claud. quæst. ar. Antoninian. Volumniam. virginem. volent. ausp. à. parent. suis. coemit. &.
IV. fac. in. do. duxit.

Gruterus *in Volumine pag.* 325. Virgilius:

 Mopse

Mopse novas incide faces tibi ducitur uxor, *l. d.* E spinâ albâ nuptiales tædas fieri solitas, Festus testatur, concinitque Catullus:

Manu spineam quate tædam,

Epigram. 62. & confer Antonium Muretum *commentar. h. l. pag.* 77 Franciscum Robertellum *in miscellaneis pa.* 1425. Nam Scaliger legit:

Manu pineam quate tædam,

& defendit castigationibus ad h. l. pag. 43. adductis verbis Senecæ in Medeâ:

Multifidam jam tempus erat succendere pinum.

Accedit ratio ista, quod tæda non fit in spinâ, quæ est propria resiniferarum arborum. Ovidius: *Exoptat puras pinea tæda faces,* lib. 5. fastor. Virgilius in Ciri: *Pronuba nec castos accendet pinus honores.* Et confer Barnabam Brissonium *libro de ritu nuptiarum pa.* 65. 66. Johannem Livineum *notatis ad Catullum pag.* 17. Jacobum Nicolaum Loënsem *l.* 8. *miscellan. cap.* 27. Duo pueri tangebāt sponsam erantq; consanguinei ejus Sequebantur ancillæ, & ferebant colum, fusum, stamen, quod Tanaquilla Regina primum ordinaverat, eoque fine lanam cum colo & fuso in æde Sanci appenderat, teste Plinio *l.* 8 *hist. naturalis. c.* 48. Erat hoc argumentum laboris ejus deinde occupatæ esse debebant. Ovidius:

Inde cito passu petitur Lucretia, cujus
Ante thorum calathi, lanaque mollis erat,

lib. 2. fastor. Aderant vicini, noti, cognati, familiares in frequentiâ magnâ. Hoc ipsum per solenne nuptiarum celeberrimo officio deducere sponsam vocat Suetonius *l.* 6. *c.* 27. Hi longo ordine incedentes quisq; ferebat secum utensilia novæ nuptæ, vestimenta, aurum, gemmas, vasa, pelves, urceos, ollas, sandalia Aderat quoq; puer Camillus dictus, qui in vase operto (quod Cumerum appellabant) ferebat crepundia pro liberis, si qui olim favente Lucinâ nascerentur, Varro *l.* 6. *de L. L. p.* 72. (& Josephus Scaliger *in conjectaneis p.* 120.) Festus Pomponius *l.* 3. *de verborum significat. p.* 275.

X. Domus fores ornabantur floribus & frondibus. *Apulejus:* Domus tota lauris obsita, tædisq; lucida obstrepebat hymenæum *lib.* 4. *Milesiarum.* Lucanus:

Festa coronato non pendent limine serta,

lib. 2. Juvenalis:

Ornentur postes & grandi janua lauro,

Sat. 6. Ubi propè limen venerat Sponsa rogabant Sponsi propinqui: Quæ esset? Resp. Ubi tu Cajus es, ego sim *Caja*, Plutarchus *in quæst. Romanis num.* 30. Postes verò januæ lanâ coronabantur à nubentibus, & adipe lupino ungebantur, inde Unxores dictæ, quæ pronunciatione vulgari Uxores sunt, Servius *commentariis ad lib.* 4. *Æneid. p.* 341. Factum ideò ne veneficiorum artes quicquam mali inferrent Sponsæ, Plinius *lib.* 48. *cap* 9. Peractâ unctione Sponsa limen, quod calcare nefas erat, transsiliebat. Lucanus: Turritâque premens frontem matrona coronâ, Tralatâ metuit contingere limina plantâ, *l. d.* Hoc ideò ne magicis pharmacis lædi posset, quæ sub limine ad destruendam conjugum vel concordiam vel virtutem generativam, defodi solebant à veneficis. Plautus:

Sensim super attolle pedes nova nupta,
Sospes iter incipe hoc, ut viro tuo
Semper sis superstes,

In Casinâ Act. 4. sc. 4. Et statim dabantur ei cla-

claves, ut admoneretur, quod de rebus domesticis omnibus figelem curam deinceps habere vellet.

XI. Quæritur hic: (1.) *An matrimonium contrahere possint illi, qui in religionis professione ab invicem dissident?* Respondeo: Negant Maldonatus *Tomo 2. Disputationum de Sacramentis p. 317. seqq.* Thomas Sanchez *lib. 7. de matrimonio Disput. 71. seq.* Didacus Covarruvias *part. 2. de matrimonio cap. 6. quæst. ult.* Bellarminus *libro de matrimonio c. 23.* Franc. Capitonus *part. 3. Explicat. Cathol. p. 1105 seq.* Albericus Gentilis *l. 2. de Nuptiis c. 19* Joh. Genesius Sepulveda *l. 2. de Nuptiis* Hieron. Zanchius *part. 3, de Operibus Creationis p. 714. seq.* Joh Stephanus Menochius *l. 2. Hieropoliticorum cap. 8. dist. 3.* Joh Scarpius *part. 1. Symphoniæ Propheticæ & Apostolicæ p. 164.* Rationes adferunt: (1.) Quod Deus in veteri Testam. vetuit Judæos, ne matrimonia contraherent cum Palæstinæ gentibus, *Exodi 34. 16. Deut. 7. 3. Josuæ. 23. 12. Esdræ 9. 1.* (2.) Quod Deus immisso diluvio punivit eos, qui matrimonia imparis fortis fideiq; contraxerunt, *Gen. 6. 2.* (3.) Quod Abraham petivit uxorem filio suo uxorem à cognatis suis, ne peregrino matrimonio seduceretur, *Gen. 24. 3* & quod Jacobus noluit filiam suam Dinam Matrimonio elocare Sichemo incircumciso, *Genes. 34. 15.* (4.) Quod Salomon, Josaphat, alii graviter peccaverint ducendo sibi aut procurando filiis suis uxores peregrini ortus & cultus, *1. Reg. 11. 1. 2. seq. 2. Regum 8. 18. seqq.* (5.) Quod vetitum sit, quascunque civiles obligationes amplecti cum infidelibus, *2. Corinth. 6. 14.* Ergò nec matrimonium inire possumus cum illis (6.) Quòd non sit caro una, ubi hactenus non est cor unum, *Gen. 2. 24.* Atqui non est cor unum inter eos, qui diversam religionis professionem sectantur. Ergò (7.) Quod matrimonio inter diversæ religionis homines pacto non possit impertiri benedictio, citrà quam matrimonium non est legitimū. Hæc Bellarminus & Albericus Gentilis *l. d.*

XII. Respondeo: (1.) Sunt ceremoniales Leges peculiariter latæ Iudæis, ne matrimoniorum fraudibus illecti ad peregrinos Deorum cultus deficerent. Sublato populo isto, leges quoque cessant adversus populos istos latæ & perscriptæ, *Ephes. 2. 14.* (2.) Deus immisit diluvium non tàm propter matrimonia imparia, quàm propter impietatem promiscuam & mores improbos, cædes, rapinas, luxum, uti dicitur *vers. 4. 5. 6.* (3.) Abrahamus præferebat illud, quod tutius omninò erat. Verbo, nolebat cognatos suos deserere favore, quamvis corpore ab eis emigraverat. Constat verò etiam, Bethuelis & Labanis familiam idolorum cultui adhæsisse, *Genes. 31. 32. seqq. Josuæ 24. 2.* Eadem ratio fuit Jacobi, quanquam de matrimonii ejus progressu nihil dicere possumus ob interventum lanienæ horribilis, de quâ crudelitate quæritur pater, *Genes. 34. 30. cap. 49. 5.* (4.) Salomonis factum non caret vitio, quod contrà expressam Legem plurimas extranias matrimonio duxerat, neq; eas ipse ad veri Dei cultum exemplo suo provocare potuerat, sed potius amore senili amens parebat eis, earumque profanos cultus venerabatur, *1. Regum 11. 3. 4. seq.* Par culpa Josaphati erat, quandò ipse optimè noverat, Isabellam Reginam idolorum cultibus impensè favere, Dei unius cultores animo infenso persequi, *1. Reg. 16. 31. seq* (5.) Non esse vetitum, ut civilia pacta ineamus cum infidelibus, dictum est *suprà c. 11. dist.*

dist.6.(6.) Una caro,& penes unam carnem illam cor unum vi principali dependet ab amore conjugali. Atqui ille etiam inter diversæ religionis sectatores oboriri, foveri, conservari potest, ut officia debita sibi mutuò præstent. Cives in exercitio religionis discordes queunt unam inhabitare urbem, legibus & superiorum authoritate obstricti, ut ob id solum, quia in religionis cultu dissentiunt, lites nullæ concitentur, omnesque actiones domi & foris in pace bonâ peragantur. Tantò majus dissidium, cum moribus dissimiles sibi, cultu fidei similes, non propterea aut vitant matrimonium, aut matrimonium contractum dirimunt. (7.) Omninò potest ac debet impertiri benedictio naturalis, quam super Adamo, uno omnium hominum progenitore enunciavit Deus, *Genes.*1.28.& repetivit, *Genes.*9.1.

XIII. Proinde statuimus cum Theodoro Bezâ *libro de Conjugio & divortio pag.* 99. *seqq.* Paulo Tarnovio *lib.*1. *de Conjugio cap.* 45.*seqq.* Arnisæo *libro de Jure Connubiorum cap.*5 *sect.* 5. quod matrimonium invicem contrahere possint Religionis disparis sectatores. Rationes sunt: (1.) Quia sunt exempla virorum piorum, qui matrimonia iniverunt cum mulieribus peregrino cultui addictis. Josephus Potipheræ filiam apud Ægyptios matrimonio accepit, *Genes.*41.45. Moses Zephoram è gente Midianiticâ, fidam marito suo, circumcisioni infidam, *Exodi* 2.21 *cap.*4 24.25. David filiam Maacham Regis in Gessur, 2.*Samuel.*3 3. Rex Salomon Regis Ægyptiorum filiam, 1. *Regum* 5.1.*seqq.* Dicit Gentilis: *Absaloni progenitus est è Maacha funestus heres.* Et Scarpius l.d pag.185.addit *Salomonem peccavisse ducendo filiam Pharaonis.* At utrumque in promptu est responsio. Quod peregrina uxor peperit filium, deindè latronem factum, matris non referat, quid enim ficet Ahinoamæ gentili, unde natus est Ammon filius, qui stupris & flagitiis grassando, primordium omnis mali erat? Falsum est, *quod Salomon peccaverit ducendo Ægyptiam*, licet hoc Tostatus quoque defendere conetur, *commentariis ad lib.*1.*Regum cap.*11.*quæst* 4. 5 *seqq.* Namque Dei familiaris longo deinceps tempore, non meruit ob id reprehendi à Deo, 1.*Regum* 7.8.*seqq.* Imò benedictionem accepit per spiritum vaticinii, *Psalm.* 1. 2 *seq. Canticor.* 1.5. 6. 7. 8. 9. (2.) Quia indulgebat Deus lege singulari, ut captiva ex peregrinis mulier formosa, posset adduci in thorum ab illo viro Hebræo, qui eam bello ceperat servamq; fecerat, vitam donando, *Deut.*21. 10.*seqq.* Excipit Albericus Mulier illa tunc demum assumebatur in thorum, quandò sacris Judaicis fidem addiderat. *Respondeo*: Non hoc dicit Moses, & verò per Interpretum assensum constat, uxorem factam esse, postquam aquis perlota Leges Nohæ accipiebat. Exemplum est de patre Iephtæ, *Iudicum* 11.1.2 *seqq.* & vide quæ diximus *suprà* 4.*dist.*4. *lib.* 2.*cap.*5.*dist.* 2.ubi est de Legibus Nohæ.

XIV. Quæritur: (2.) *An plurium uxorum cum viro uno conjugium permitti debeat?* Respondeo: Veteres Hebræi plures uxores ducebant, idque concedebat Lex Mosis, *Deut.*17.16.17.*cap.*21.15.& confirmant exempla virorum magnorum, *Genes.*16. 2, *cap.*29.25.*seqq.cap.*35 23.24.25.26.*cap.*36. 2.3.*Iudicum* 8.30.1.*Samuel.*1 2.2.*Samuel* 3. 2 *seqq.cap.*12.8. 1. *Regum* 11.1.2 *seqq.* De certo uxorem ducendarum numero invenitur nihil, & Rabbinis dissentiendi occasio

præ-

præbita fuit Maimonides *in commentariis Thalmudicis Tit.* מלכים *cap.* 14. scribit: *Licet homini ducere quot voluerit uxores, etiam centum, modò habeat, unde victum, amictum, & conjugiale debitum præstet omnibus.* Reliqui Magistri communiter dicunt, viro privato quatuor uxores Jacobi Patriarchæ exemplo, Regi & magnatibus uxores octodecim dari posse, infrà quem numerum consistere equidem libuerit eis, sed excedere non licuit, Gemara Babylonica *ad Tit.* סנהדרין *cap.* 2. Chaldæus Jonathan *ad Deut.* 17. 17. Maimonides *commentariis ad Tit.* מלכים *cap* 3. Moses de Kotsi *precepto vetante num.* 222. Ab eis hoc quoque, ut alia plurima, accepit Muhammedes impostor *lib.* 2. *Alcorani cap.* 27. ubi scribit: *Accipite pro lubitu uxores sive duas sive tres sive quatuor.* Annotat Ben-Achmed in glossis: *Neq; hunc numerum excedite.* Constat, quod Muhammedes ipse quatuor uxores uno eodemque tempore habuerit. Retinent consuetudinem Arabes, Mauri, Indi, Parthi, Tartari in Precop & Crim, Cathaini, Sinenses: sed Turci (excipio Sultanos) veterum Scytharum, à quibus oriundi sunt, continentiam imitati, uxorem unam habent singuli Sweiggerus *in Itinerario Constantinopolitano lib.* 3. *cap.* 19. Johan Wilde *in Itinerario Orientali l.b.* 3. *cap.* 22. Hæbræi quoque morem illum vetustissimum retinebant hactenus, tandem verò ad mores nostros sese componendo, uxorem unam duxerunt, postquam Theodosius, Arcadius, Honorius legibus vetuerunt, eos pluribus uxoribus copulari, *leg.* 7. *Cod. de Judæis & cælicolis*, Wesenbecius *paratitlis ad Codicem pag.* 38. Quod verò Socrates *lib.* 4. *histor. Ecclesiast. cap.* 26. refert, Valentinum Cæsarem tulisse legem, ut duas uxores posset vir unus ducere, atque ex illo describunt Cassiodorus, Paulus Diaconus, Nicephorus Callistus, Zonaras, Sabellicus, quibus fidem suam commodat *Becanus lib.* 4. *Manualis Controvers. cap.* 6. *num.* 23. hoc inquam, ad rumores vanos deputandum est, quandò Lex ista manifestò repugnat doctrinæ Servatoris, & Scriptores alii seculo isti proximi, non commmemorent fabulas illas, magis etiam laudent castos Imperatoris mores, uti è Zosimo, Sozomeno, Theodoreto, Paulo Orosio, Sulpicio Severo, constat, imprimis legatur Ammianus Marcellinus *lib.* 30. *hist.* Rectè ergò fabulosas illas relationes damnant Cæsar Baronius *Tom.* 4. *Annal. Ecclesiast. A. C.* 370. *num* 125. Spondanus *in Epitome Annalium pag.* 391. Henricus Valesius *notis ad Ammianum pag.* 413.

XV. Neque igitur repugnat Juri naturæ vel Gentium, ut vir unus pluribus uxoribus jungatur. Peccavisse veteres Patres, neque Deum approbavisse mores eorum in ducendis uxoribus pluribus, contendunt Lamb. Danæus *lib.* 2. *Ethnicæ Christ. pag.* 224. Rivetus *Exercit.* 45. *ad Genesim*, Paulus Tarnovius *lib.* 2. *de Conjugio cap.* 25. Caspar Ziclerus *notis ad lib.* 2. *Grotii de jure pacis & belli pag* 272. D. Abraham Calovius *in Socinianismo profligato Disputat.* 27. Arnisæus *de Jure Connubiorum cap.* 4. *sect.* 2. *num.* 11. *seq.* Timplerus *l.* 1. *System. Oeconom. cap.* 4. *quæst.* 7. Amesius *lib.* 5. *de Casibus Consc. cap.* 35. *quæst.* 2. Martinus Becanus *in Manuali controvers. lib.* 4. *cap.* 6. Verum errant illi in decisione litis, uti rectè monent Petrus Cunæus *lib.* 2. *de Republ. Hebræorum cap.* 23. Bellarminus *libro de matrimonio c.* 10. Joh. Maldonatus *Tomo* 2. *disputationum de Sacra-*

cramentis pag. 281. *seq.* Hugo Grotius *lib.* 2. *de Iure belli ac pacis cap.* 5. *dist.* 9. Rationes sunt: (1.) Quia plures uxores habere non repugnat Naturæ. (2.) Quia ante promulgationem Evangelii Lex nulla vetuit uxorum multitudinem, Orientis totius consensu stabilitam. (3.) Quia Lex Mosis approbat plurium uxorum filios, & sanctiones format quomodò opes paternæ inter eos dividendæ sint, *Deut.* 21. 15. *seqq.* Annotat *Franciscus Iunius*, Deum agere velut Legislatorem, tolerando ea quæ in populo non poterant mutari citrà incommodum, quandò his moribus assueverat. *Respondeo*: Quamobrem ergò obrogavit in novo fœdere, ubi constat, perinde in usu fuisse hactenus? Scilicet cum hactenus erat consuetudo, neque Lex ulla contradiceret, legitimum esse censebatur, id est, Reipublicæ non damnosum (4.) Quia hoc solum vetat Lex Mosis, ne Rex aliquis in ducendis uxoribus nimium luxuriare velit, *Deuter.* 17. 16. 17. (5.) Quia Davidi inculcat Deus, quod uxores ei complures, & quidem illustres dedisset, 2. *Samuel.* 12. 8. Dicit *Tarnovius*, dare in sinum est tradere in potestatem, non verò est dare in matrimonium. Idem ipsum urget *Alphonsus Tostadus* commentariis ad h. l. quæst. 3. *Respondeo*: Utrumque est, namque Propheta exprobrat ei copulationem illegitimam cum uxore alterius viri, qui vixerat hactenus, ideò quod copulari poterat, & cum vellet, debuerat cum uxoribus suis, tum quas olim à nemine contrectatas ipse duxerat, tum quas Saulus post obitum suum destituerat viduas. Erat ergò traditio in potestatem conjugialem, uti genus dicendi etiam locis aliis innuit, *Genes.* 16. *Deuter.* 13. 6. *cap.* 28. 56. 1. *Regum* 1. 2. Proinde quæcunque Deus commemorat se dedisse velut benificium, illa non debent peccati instar censeri. Ità nobiscum definiunt Augustinus *lib.* 3. *de doctrina Christ. c.* 12. *& lib.* 16. *de Civitate Dei c.* 38. Joh. Chrysostomus *serm.* 56. *in Matth.*

XVI. Instat *Besoldus*: Uxorum multitudo apud Judæos non quidem licita, sed tantum propter cordis duritiem, & veluti ex dispensatione permissa erat. Est enim contrà primam institutionem, ad quam nos Servator revocat, & vide Levit. 18. 18. Hæc ille *lib.* 1. *doctr. Politicæ cap.* 12. *dist.* 8. Respondeo: Quia post diluvium lex nulla erat lata de uxore unâ ducendâ, & verò ut augeretur genus humanum putabant marem unum posse uxoribus pluribus conjungi, factum est, ut consuetudo invalescet, eaque Patriarchis etiam approbata, porrò vulgavit mores ad eorum posteros, ut ità liberet quia licebat, eoque magis, quod Mosis Legislator non obrogaret consuetudini per contrariam legem. Dispensatione opus haut erat, quia non prostabat Lex, quâ vetabatur, plures uxores in matrimonio habere. Quod in Paradiso contigit exemplum illustre est, lex verò non est. Quod hodiè, & quidem apud Christianos aliter est, à Christo est, qui legem hanc de matrimonio expressè tulit viro, ut unâ contentus uxore vivat, *Matth.* 19. 5. 6. Denique locus è Mose *Levit.* 18. 18. prolatus, ita, vertitur à Tremellio & Piscatore, *mulierem unam ad alteram ne assumito, angustia affecturus hanc, retegendo turpitudinem illius dum superhanc in vita ipsius.* Retinent Pulus Tarnovius *lib* 2. *de Conjugio pag.* 662. Theodorus Beza *libro de Conjugio & divortio pag.* 49. Joh. Tarnovius *in Exercitat. Biblicis pag.* 273. *seqq.* ut prohibeatur verbis illis, ne uxores plures du-

ducantur. Dicunt: (1.) Quod anteà in hoc capite per analogiam est prohibitum, illud hic non denuò prohibetur. Atqui connubium cum uxoris sorores suprà *vers.* 16. est ità prohibitum. Ergò. (2.) Mulieres se invicem angentes hic intelliguntur. Atqui digamorum vel polygamorum uxores quæcunq; se invicem angunt, *Genes.* 4.23. 1. *Sam.* 1.6. (3) Quod in primâ constitutione & posteà in prophetarum libris est prohibitum, illud etiam apud Mosem loco quodam est prohibitum. Atqui polygamia in primâ constitutione est prohibita, ut docetur *Mat.* 19.5. *Roman.* 7.2. 1. *Corinth.* 6.16. *cap.* 7.39. & Malachias contrà illam pronunciat, *cap.* 2.13 Atqui non potest ostendi talis prohibitio, nisi de Rege solo, *Deuter.* 17.16. si quis hanc legem de monogamiâ servandâ interpretari nolit. (4.) Soror illa intelligitur, quam licet ducere alterâ mortua. Atqui sororem propriè dictam non licet ducere mortuâ alterâ. Ergò. Major est, in textu, cum dicitur, *super hanc in vita ipsius*, quæ restrictio non est sine causâ addita, cum aliàs in toto capite non reperiatur, & Apostolum huc alludere in locis suprà allegatis, apertè pateat. (5) Uti *frater* ità etiam *soror* non tantum est cognatione & propinquitate sanguinis, sed quâcunque conjunctione patriæ, religionis sexus, *Tobiæ* 8.4.7. 1. *Cor.* 9. 5. Hæc Tarnovius *l. d.* Franciscus Junius *in notis*, Joh. Piscator *quæstionibus ad Leviticum num.* 172. Janus Drusius *commentariis ad Leviticum p.* 301. *seqq.* Respondeo: (1) Negatur connexum, & verò analogiam non curat Legislator, sed ordine describit illa quæ vult scire alios. Ità voluerat conjugium filii cum matre, *vers.* 7. & tamen haut obstat analogia, quò minus vetetur conjugium filiæ cum patre *vers.* 10. (2.) Non semper angunt sese plures uxores, & verò hic est speciale quiddam, vetando scilicet duas sorores in matrimonio uno habere, non etiam alias omninò quæ illâ consanguinitate non sunt junctæ, itaque æquiore animo sub eodem marito ætatem agunt, uti infrà docebimus. (4.) Constitutio prima exemplum quidem est pro matrimonii fine, videlicet medium esse quo promoveatur incrementum humani generis: sed non est Lex, per quam numerantur personæ, inter quas matrimonium contrahatur. Locus Malachiæ pronunciat adversus divortia temeraria, & ob causam leviculam occepta privato arbitrio, uti dicemus *infrà dist.* 17. (4.) Licuit anteà, quia fecerat Jacobus, ne verò deinde liceret, voluit Deus prohibere. (5.) Non est opus, ut figuratum sensum inducamus, ubi proprium genus dicendi valet. Falsi convincuntur indè, quod Moses toleravit in Lege sua, ut plures mulieres viro uni jungantur. Cæterum verba Legis sonant, *sororem uxoris tuæ in pellicatum ejus non accipies*, quomodò Pagninus, Castalio, Tigurini, Romanus Interpres vertunt. Pellicatum intellige sensu honesto, ut pellex sit altera conjunx. Notant Rabbi Salomoh, Vatablus, Grotius Vinarienses Scholiastæ, Cornelius à Lapide, Bonfrerius, quod vetatur, duas sorores uno matrimonio copulari, uti olim fecerat Jacobus Patriarcha, eventu malo, *Genes.* 29.30. 31. *c.* 30.1. 2. *seqq.* Sicut enim fratrum odia sunt acerrima ità sororum contentiones irreconciliabiliter perdurant.

XVII. Non ergò peccaverunt Veteres illi, quandò Lex Christi primùm sancivit ut viro unidaretur uxor una. Repetunt Apostoli, 1. *Corinth.* 7. 2.3. 4.5. 1. *Timoth.* 3.2.

adeoque nostro seculo improbè factum est ab eis qui plurium uxorum copulationem ad usum revocare conabantur. Tales erant Monasterienses Geisterani, apud Johannem Sleidanum *lib.10.histor.* eorumque alumnus David Jorrius Batavus, apud Henricum Bullingerum *lib.2. adversf. Anapabtistas cap.* 14. Joh. Hornbekium *in Summa Controversiarum lib.6.pag.* 411.412.413. Defendit Bernhardus Ochinus Samosatenianus erro *in Dialogis Italicis lib. 2. pag.* 200. *seq.* Verum præter exempla Patrum veteris ævi nihil in favorem causæ producit, itaqua prolixè refellit Arnisæus *libro de Jure Connubiorum cap.4 sect.2.*

XVIII. Quæritur (3.) *An liceat matrimonium divortio separare?* Respondeo: Hebræorum in faciendis divortiis magna licentia fuit, uti constat ex *Deuter.* 24. 1. *Syracide* 35.34. Sæpissimè etiam nimia, ut rem per se licitam reprehendere ob id voluerit Deus, quandò abusus accedebat, *Malachiæ* 2. 14.15.16. Cæterum Paulus Episcopus Burgensis *additionibus in Lyram Deut.* 24. 1. Joh Drusius *lib.14, Observat cap.*10. Albericus Gentilis *lib. 6. de Nuptiis c.* 11. differunt, licentiam illam ortam esse, non quidem ex lege & concessu Legislatoris, sed potius ex falsâ interpretatione Legis, quam deindè stabilivit consuetudo: Nec enim, *ajunt*, Moses Divertendi causam aliam permisit, quàm adulterium, id quod notatur per rem fœdam, *Deut.* 24.1. Verum Ebræa vox ערות est amplissimæ notionis, ut quodvis odium exprimat undecunque ortum, si injuria aliqua suberat, quæque evidenter apud Judicem probari poterat, uti docet Gemara Babylonica *Tit.* גיטין *cap.* 9. & his adde Johan. Buxdorffium *dissertatione de Sponsalibus & divortiis Ebræorum dist.* 90. Johan. Seldenum *lib.3. de uxore Ebraica cap.*23. Equidem Albericus Gentilis profert interpretationem factam à Servatore *Matth.* 5 31. 32. Verum Servatoris dicta manifestò refellunt eum, Revocat ille rem ad primum ortum, & Legislatoris indulgentiam, quæ per Gentium mores ubique receptos stabilita, desciverat â primo exemplo, corrigit in tantum, ut veteri ævo & Synagogæ permittat illam, novo populo ipse hoc non permittat. Quodsi Legislator concesserat divortia fieri in unico adulterii casu, non erat, quare Servator diceret, Mosem pro duritiâ cordis eorum permisisse eis dimittere uxores, cæterum à principio non fuisse ità, *Matth*, 19. 7.8. Accedit ratio: Mulier per divortium separata poterat viro alicui nubere, *Deut.* 24.1.2.3.4. Atqui mulier adultera capitis damnatur, ut lapidibus obruatur, *Levitic.* 20.10. *Deut.* 22.22. Eandem licentiam usurpaverunt olim Thurii & Athenienses, Diodorus Siculus *lib. 12. cap.*18. Alexander Neapolitanus *lib. 4. genialium dierum cap.* 8. & prolixè Samuel Petitus *commentariis ad Leges Atticas lib. 6. pag.* 459. Thurii erant â Pythagoræis, quorum fuit proverbium: *Arctum annulum ne gestato.* Pertinet ad rem præsentem. Veteres Romani initio sanctè coluerunt fidem conjugialem, sed degenerante seculo ex quavis suspicione divortium fecerunt, postquam causas in judicio probaverant. Judicium erat consessus amicorum & proginquorum, uti docet Valerius Maximus *lib. 2. cap.* 4. ubi de Lucio Antonio Senatore meminit. Res porrò ad Censores deferebatur; & amicorum testimonio fides facta est, quod divortii causæ legitimæ essent, Aulus Gellius *lib.* 17. *cap.*

cap. 21. Causæ descriptæ in libello & à septem testibus subscriptæ dabantur mulieri, ut posset illis uti in procurando matrimonio novo. Reddebantur claves, auferebatur dos, ac ut domo exesset, clarâ voce jubebat maritus: *Res tuas tibi habe.* Juvenalis: *Collige sarcinulas, dixit libertus, & exi,* Sat. 6. Abibat illa, & nubebat iterum, cum vellet. Tabulæ sponsalitiæ scindebantur. Juvenalis:

Tabulas quoque fregerat,

Sat. 9. Exempla sunt apud Ciceronem *lib. 8. Epistol. famil. 7.* Seneca *lib. 3. de beneficentia cap 16.* Valerium Maximum *lib. 6. cap. 3.* Tertullianum *in Apologetico cap. 6.* Joh. *Corasium lib. 5. miscellaneorum Juris civilis cap. 10.* Saraceni & Mauri hodienum ob causas levissimas permittunt divortia uti docent Muhammedes *in Alcorano lib. 2. cap. 2. & 7. lib. 3. cap. 47.* Denique Johan. Miltonus scripsit *librum de divortiis*, quo conjugia quævis ritè sociata pro alterutrius conjugum arbitrio solvi posse contendit, apud Geisteranos, & quaKeros suos ad violationem jurium omnium factos.

XX. Cum Episcopum suum Paulus esse vult μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, 1. *Timoth.* 3. 2. hoc monebat, ut Episcopus ab istis moribus temperando sibi, esset gregis exemplar. Plurium uxorum maritus erat non solum ille, qui plures sub titulo illo domi suæ alebat, sed etiam qui unâ ejectâ ducebat alteram, eoque suam incontinentiam & imprudentiam prodebat, quanquam leges moresque Gentium hoc illi permitterent. Sed meritò ejusmodi homines à muneribus Ecclesiasticis arcebantur, quod ex decreto legis Evangelicæ ista matrimonii cauponatio erat adulterii loco, *Matth.* 5. 32. *cap.* 19. 8. 9.

XXI. Canones Pontificii nullum divortium permittunt, adeoq; in locum ejus invexerunt separationem quoad thorum & mensam, tàm sacris literis quàm Romanorum legibus in cognitam. Defendunt Bellarminus *libro de matrimonio c. 15. seqq.* Joh. Sepulveda *l. 1. de Nuptiis*, Becanus *Tomo 2. Theolog. Scholast. pag. 907. seqq. & lib. 4. Manualis Controvers. c. 7.* Didacus Covarruvias *part. 2. Resolutionum de matrimonio cap. 6.* Benedictus Justinianus *commentariis in Epistolam ad Romanos pag. 196.* Tomas Sanchez *l. 10. de matrimonio Disputat. 2. 3 seqq.* Joh. Maldonatus *Tomo 2. Disputationum de Sacramentis pag. 319. seqq.* Gregorius de Valentiâ *Tomo 4. Commentar. Theolog. disp. 10. quæst. 1.* Wilhelmus Bailius *in Catechismo Controvers. pag. 258. seqq.* Ioh. Prideaux *in fasciculo Controvers. cap. 6. quæst. 6.* Hos sequitur *Besoldus*: Catholici, *ait*, nec propter adulterium totale divortium permittunt, ideoque profana sunt Consistoria Protestantium, quæ ob adulterium divortium totale permittunt, *lib. 1. doctrinæ civilis cap. 12. dist. 11.* Verum quod Canones prohibent, id omninò facere licet per legem à Servatore promulgatam, uti ostendunt Franciscus Hottomannus *in quæstionibus illustribus num. 9.* Arnisæus *libro de Jure Connubiorum cap. 5. sect. 7. cap. 6 sect. 1. seqq.* Ioh. Gerhardi *in Confessione Cathol. Tomo 4. pag. 246. seqq.* Paulus Tarnovius *lib. 3. de Conjugio cap. 10. seqq.* Theodorus Beza *libro de conjugio & divortio pag 178. seqq.* Albericus Gentilis *lib. 6. de nuptiis cap. 6. 7. 8 9. 10. 11. 12.* Verva Servatoris plana sunt

Quicunque dimittit uxorem suam extrà adulterii causam, facit ut illa adulterium committat, & quicunque dimissam duxerit, ille adulterium committit, *Matth.* 5. 32. *cap.* 19. 8. 9. Dicunt adversarii, verbis illis non permitti divortium totale, verum partiale, Bellarminus *l.d.* Cornelius à Lapide & Adamus Conzenus *commentariis ad Matthæum pag.* 364. Respondeo: Divortium partiale, quomodò illi novo prorsus vocabulo appellant separationem à thoro & mensâ, rem perinde novam haut occurrit loco aliquo in Lege Mosis, neque igitur Iudæi de illo percontati sunt neque de illo etiam respondere voluit Servator, multò minus novam & inusitatam divortii speciem instituere opus erat, quando veteris ævi divortium fieri permisit, unico adulterii casu legitimè cognito & judicato contentus, rejectis Iudæorum quibuscunque causis, qui divortio pellebant fœminas sæpè arbitrio privato, ob levissimas offensas, datâ potestate ut nuberent viris aliis, cum vellent *Levit.* 23. 14. *Deuter.* 24. 1. 2. 3. 4. Adeoque secundum ipsam Dei Legem semel ejectam mulierem per divortium, novo conjugio iterum sibi copulare, nefas erat, *Deuter.* 24. 24. Nam quod semel placuerat, id posteà displicere non poterat, fuitque hoc ideo sancitum, ut maritus non ità facilis esset divertendo conjugem, quam sciret nunquam se recipere posse ajunt Bonfrerius & cornelius à Lapide *commentariis ad h.l. pag.* 509. Regerit *Prideaux*: Dispensationem vel potius indulgentiam eam esse, dicit Servator, quàm Legem, permissam genti ob cordis duritiem, *Matth.* 19. 8. Itaque Levita recipiebat uxorem fornicariam non reiteratis nuptiis, *Iudicum* 19. 1. 2. *seqq.* quod & Deus pollicetur facturum Israeli fornicanti, modo pœnitentiam agerent, Ierem. 3. 1. *Respondeo*: Fateor quidem, tolerata fuisse divortia illa frequentissima apud Iudæos, magis quam jure vel Lege permissa, excepto casu quem notavit Servator. Et in isto casu, qui secundum Legis rigorem capitalis erat, nihilominus etiam succurrebat merito benignius remedium, ut divortio pelleretur mulier, quæ concubitum viri alterius admiserat, *Matth.* 1. 19. Attamen sufficit nunc, quod Servator verbis conceptis divortium tale pronunciat esse licitum, in casu adulterii. De Levitâ non est clarum satis, quod pellex ejus concubitum alterius permittendo causam abitus sui acceperit, quandoquidem pellex apud Hebræos stupri vel infamiâ vel lege non tenebatur. Potius constat, quod odium intervenerit, quo perculsa illa deseruit viri contubernium. Verti debet locus, *& irata est contrà eum concubina ejus*, Ità habent Alexandrini, Romanus, Ariæ Montanus, Chaldæus Ionathan, Rabbinus Kimhi, & prolixè defendit Nicolaus Serarius *commentario ad h.l. pag.* 403. Et verò licet concedatur, fornicatam esse in Levitæ oculis, uti sentiunt Vatablus, Tremellius, Piscator, Drusius, Castalio, Pagninus, quid indè amplius? Non sane inferet Prideaux: Ergo Lex de non ducendâ uxore iterum, quamvis divortio semel abactâ fuerat, non habuit vigorem perfectum? Non sane eodem loco habentur legitimæ uxores cum pellicibus, quæ voluptatis causâ tantum adsciscuntur. Denique ad exemplum Dei statim respondebimus, quo sensu valeat illud.

XXI. Instant *Prideaux* & *Besoldus*: (1.) Deus ità matrimonium constituit, ut duo essent

sent in carne unâ, neque possent separari, *Matth.* 19. 6. (2.) Nulla patris culpa eximit filios ab obedientiâ patri debitâ (3.) Matrimonium fidelium est signum conjunctionis Servatoris cû Ecclesiâ, *Eph* 5.32. Atqui conjunctio illa est indissolubilis, quandò Servator non deserit Ecclesiam etiamsi adulterio spirituali maculet ista sese. Ergò nec matrimonium separari debet, quamvis crimen aliquod intercedat. (4.) Is committit adulterium, qui dimissam propter adulterium mulierem in thorum adducit, *Marci.* 10 11. *Lucæ* 16:18. Ergò factâ dimissione propter fornicationem, manet cum priori marito contractum vinculum. (5) Uxor viro alligata est, quandiu vir vivit, neq; nisi per mortem à viro liberatur, *Roman.* 7. 2. Ergò vinculum conjugii non est solubile. (6.) Apostolus jubet uxorem quacunq; de causa à viro separatam, innuptam manere, ut sit locus reconciliationi fortasse ab utrâq parte peccantium 1. *Corinth.* 7. 11. ubi à reconciliatis non iteratur matrimonium. Ergò vinculum semel contractum non erat anteà solum. *Resp*, (1.) Duo quidem in carne unâ manere debent, stante matrimonio, sed definit unio illa, post matrimonium diremptum vel naturaliter per mortem, vel civiliter per divortium, ob antegressum crimen adulterii. (2) Non valet consequentia: Patris culpa nulla eximit filios ab obsequio. Ergo nec uxorem culpa aliqua eximit ab obsequio mariti. Alia enim ratio est unionis conjugialis, quæ per contractum civilem impletur, alia est subjectionis liberorum, quæ ex naturali eorum procreatione orta est. Et tamen potest pater impius, latro, servus pœnæ abdicari à filio honesto, perindè uxor quoque adulterio maculata divortium accipit meritò, quod crimen istud omninò tollat matrimonialem obligationem. (3.) Simile est frivolum. Deus ipse constituit differentiam inter suam cum Ecclesiâ conjunctionem, & conjugiale pactum fidelium: Si uxor ob fornicationem repudiata fuerit, an à viro admittetur iterum? Tu verò ad me revertere, *Ierem.* 3. 1. Deinde notum est, quod Deus repudium mittat cœtibus improbis, & restituat horum loco alios, quos animi melioris esse deprehendit, *Roman.* 11. 17. *Apocal.* 2: 5. (4.) Antecedens est falsum, namque apud Marcum & Lucam dicitur tantum, non esse dimittendam uxorem, & mœchari tum eum qui priori ejectâ aliam superinducit, tum eum qui dimissam ab alio duxerit. Sed uti neuter meminit dimissæ propter fornicationem, sic utrobique dimissio uxoris & alterius superinductio prohibetur ità à Servatore, ut suppleri debeat è Matthæo exceptio illius, nisi ob crimen fornicationis. (5.) Agit Paulus de muliere, quæ est marito obligata suo, non verò de alia quæ est liberata à viro per divortium legitimum. (6.) Non agit Apostolus de uxore, quæ fuerit quacunque de causa à viro separata, verum de illa quæ proterviter neque ex sufficiente causa viro suo volenti ei cohabitare, pro more istorum temporum repudium miserit, hanc enim vel innuptam manere, vel reconciliari viro suo debuisse, constanter præcipit.

XXII. *Orta est, quæ à prima existit. Estque patria & herilis. Patria est, quâ parentes & liberi conjunguntur.*] Obedientia parentibus debita imperio quodam asseritur, quod patriam potestatem indigitamus, 8. *Nicomach.* 10. 7. *Eudem.* 5. & 11. 1. *Politic.* 17, Ea jus vitę & necis complectebatur

aut in filios, apud veteres Romanos, statim cum ab utero prodirent. Ejus argumentum erat, quod liberos, si numerus gravis videretur, aut tolli vetabant, aut jubebant exponi, uti diximus *lib.* 1. *Antiquitatum Romanarum cap.* 1. *dist.* 10. Idque impunè, nam & ideò in *Lege Pompeja de parricidis*, pater filium interficiens non comprehenditur. Tertullianus *in Apologetico*: Quot vultus in his circumstantibus & in Christianorum sanguinem hiantibus, ex ipsis etiam vobis justissimis & severissimis in nos præsidibus apud conscientias pulsem, qui natos sibi liberos enecent, siquidem & de genere necis differt, utique crudelius in aquâ spiritum extorquetis, aut frigori & fami & canibus exponitis, *cap.* 9. Exponebant vero, id est, domo exportatos in loco publico, ut viâ publicâ, littore maris, ripâ fluminis, silvâ, deserto projiciebant, & fortunæ permittebant, feris in prædam, hominibus inservitutem. Plurimos corripiebant Lanistæ, id est, magistri gladiatorum, & suo periculo educabant, deinde in arenâ committebant, ut cruentos ludos exhiberent. De qua re egimus nos *lib.* 2. *Antiquitatum Romanarum cap.* 5 *dist.* 9. Itaque Paulus Romanos ob causam eam vocat ἀστόργους, id est, expertes naturalis affectus, Rom. 1. 31. *Tacitus de Iudæis*: Augendæ tamen multitudini consulitur, nam & necare quenquam ex gnatis nefas, *lib.* 5. *histor. cap.* 5. Sic emendat Iustus Lipsius *notis ad h. l. pag.* 55. & malè vulgò legitur, *quenquam ex agnatis*. Græcis & Romanis in promiscuo usu fuerunt abjectiones infantum, & expositiones, imò neces. Id aliter in Iudæorum moribus, & gentem cumprimis soboli studuisse, adeò ut nulliusmodi partum necare fas, notat uti novum, Tacitus, perinde uti Germanos eandem ob causam collaudat, *libro de moribus Germanorum cap.* 19. Ergò quia de liberis (non verò de agnatis) agit, statim addit, *hinc generandi amor*. Scilicet matres certæ erant, prolem tollendam esse. Statius:

Infantem linguaque simul salibusque protervum
Dilexi, meus ille, meus, tellure cadentem
Excepi, atque unctum genitali carmine fovi,

lib. 5. Silvarum carm. 5. Insaniæ, qua Quakeri laborant, specimen non leve est, quod Thomas Hobbes *libro de Cive cap.* 9. *dist.* 2 contendit, *matrem posse recens natum infantem exponere suo arbitrio & jure usum*. Atqui ubera ideò Natura dedit puerperis, eisque lac instillat, ut officii sui admoneantur, omninò alendum esse infantem, neque hoc eis liberum esse, ut cum educare nolint, abjicere queant. Quæ aliter faciunt, & negligendo liberos fame perimunt, homicidii crimine reas sese faciunt. De potestate necis in adultos filios exemplis quibusdam probant Cælius Rhodiginus *lib.* 11. *Antiq. Lectionum cap.* 17. Rodericus Fornerius *lib.* 1. *rerum quotidianarum cap.* 2. 3. Albericus Gentilis *lib.* 4. *de Nuptiis cap.* 1. Arnisæus *libro* 1. *Relect. Politic. cap.* 4. *sect.* 2. unde constat etiam, quod timidius ità egerint, adeoque rarius usurpata esse legitur, & à parentibus nimium morosis. Ante Iulii Cæsaris tempora mitigavit rigorem illum dies, atque in desuetudinem venit. Quod verò

Joh. Bodinus *lib.* 1. *de Republ. cap.* 4. eam incautus, revocare conatur, ratione caret, literisque sacris repugnat, quæ præter modicam cohercitionem nihil parentibus in liberos permittunt, & cum meruerunt, à magistratu ad supplicium condemnandos esse, pronunciant, *Deut.* 21. 20. *Proverb.* 19. 18. *cap.* 23. 13. *Coloss.* 3. 21.

XXIII. Apud Hebræos jus illud ad necis potestatem fuisse extensum, contendit Ludovicus Cappellus *diatriba de voto Jephtæo dist.* 18. & adfert legem, Levit. 27. 28. *Omne anathema, quod consecrabitur de hominibus, non redimetur, moriendo morietur.* Indè infert, quod herus adversus servum, pater adversus filium habuerit potestatem devovendi eos ad mortem, cum ipsi vellent, cumque sacerdotes propterea rogati assentirentur. Verum lex illa partim de hostibus ad internecionem destinatis valet, partim de votis in periculo summo & extra ordinem conceptis, uti pluribus docet Joh. Seldenus *lib.* 4. *de Jure Hebræorum cap.* 11. De sensu priori dubium non est, & exempla plurima sunt in literis sacris, *Numer.* 19. 14. *cap.* 21. 2. 3. *Deut.* 2. 34. *cap.* 3. 6. *cap.* 13. 15. 17. *Josuæ* 10. 1. 34. 39. *Malach.* 4. 6. De posteriori vix aliud occurrit, quàm unum votum Jephtæ, *Judicum* 11. 30. 31. adeoque talia vota non quidem præcisè de hoc vel illo concipiebantur, sed in genere, ut de eventu securus esset ille qui vovebat. Proindè Jephta dicebat, *torques me filia mea.* Neque enim filiam nominaverat sed indefinitum pronunciatum erat, *quicunque egredietur à foribus meis.* Potuerat alius esse atqui magnus humanorum eventuum moderator casus obtulerat nec opinanti filiam unicam, voti ignaram, *Judic.* 11. 35. 36. Constat apud Ebræos, vendi potuisse liberos in servitutem ad tempus, *Exodi* 21. 7. *Deuter.* 15. 12. Nuspiam tamen Lex vel permisit, vel dedit potestatem necis. Et omninò imprudenter agit Arnisæus, quandò potestatem illam ab Hebræis exercitam fuisse, probare vult exemplo Jephtæ, *qui privato imperio condemnaverit filiam ad supplicium*, lib. 1. Relect. Politic. cap. 4. sect. 2. num. 7. Falsum enim est, quod usus privato imperio ità fecerit, quin votum erat indefinitè conceptum, atque uno obligationis jure ad executionem imprimis deductum, *Judicum* 11. 39.

XXIV. Quod verò Ioh. Eichelius *libro de Iure patrio in filios dist.* 20. negat, virginem occisam esse, manifestò repugnat contextui. Votum tale erat: *Si tradideris Ammonitas in manum meam, quicquid egredietur de foribus domus meæ, in occursum meum cum revertar in pace ab Ammonitis, erit Domini & offeram illud holocaustum.* Referunt Iohan. Brentius *commentariis ad h.l. pag.* 42. Iohan. Drusius *notis ad h. l. pag.* 278. Sixtinus ab Amama *in Antibarbaro Biblico pag.* 612. *seqq.* Rabbinus Kimhi, Vatablus, Grotius, Tremellius, Piscator, Munsterus, Pellicanus *notatis ad h.l.* Daniel Heinsius *lib.* 18. *Exercitat. sacrarum cap.* 7. ad votum simplex, quod est votum rei sacræ & vocatur נדר הקדש ut adeò virgo devota fuisset cultui sacro ad tabernaculum in statu cœlibatus perpetui. Errant verò & contradicunt verbis manifestis, *& offeram illud in holocaustum.* Erat ergò חרם, & votum de perpetuo cœlibatu isto in tempore prorsus inusitatum, imo cum populi moribus eviden-

ter pugnans, non poterit verbis accommodari. De qua re contrà Baronium & Bellarminum accuratè differunt Joh. Gerhardi *in Confess. Cathol. Tomo* 3. *pag.* 216. *seqq.* Daniel Chamierus *in Panstratia Cathol. Tomo* 3. *lib.* 20. *cap.* 20. *seqq.* Casaubonus *Exercit.* 1 *sect.* 22. *seqq.* Ratio una est, quæ rem totam conficit, videlicet, mos non inolevisset inter virgines Israëliticas, quotannis conveniendi ad memorandam celebrandamque ejus in subeundâ voti exsecutione fortitudinem. An quod viva separabatur à thoro, & perpetuò serviebat in operis sacris? Non sanè hæc tanta causa erat, sed par omnino tanto conventui causa erat, sponte ad mortem contendisse, ut vice piaculi cæderetur. Non aliter Romani, quando exercitus laborabat, & propter Deos adversos superari ab hostibus posse videbatur, tunc enim Pontificis & Auruspicum consilio factum est, ut Ducum aliquis pro salute exercitus devoveret sese, atque obitu suo hostibus cladem, patriæ victoriam acquireret. Juvenalis:

Plebeia Deciorum animæ, plebeja fuerunt
Nomina: pro totis legionibus hi tamen & pro
Omnibus auxiliis, atq; omni plebe Latina,
Sufficiunt Diis infernis, terraq; parenti,

Sat. 8. Rem gestam describit Livius *lib.* 8. *histor.* & inter alia verba ista habet: *piaculum omnis Deorum iræ, qui pestem ab suis aversam in hostes ferret.* Piaculum vocat appositè, eratque piaculum hujusmodi filia Jephtæ, quamobrem non poterat redimi, sed cogebatur mori ex lege *Levit.* 27. 28. *Judicum* 11. 30. 31. 36. 37. ubi vide Nicolaum Serarium *in commentariis quæst.* 14. 15. 16. qui prolixè admodum ista exponit.

XXV. Excipiunt *Drusius & Eichelius*: (1.) Poterat eam pater divino cultui consecrare, itaque opus non erat ut occideretur. *Resp.* Imò non poterat consecrari, sed mori debebat, qui piaculum erat. (2.) Virgo exorabat moram semestrem plangendi, non quidem vitam, sed virginitatem. *Respondeo*: Deflevit virginitatem, sed non exclusa vita. Morti enim acerba conditio erat addita, videlicet, quod sine liberis obire necessum haberet. (3.) Voti exsecutio describitur per verba illa, & non cognovit virum, id est, virgo permansit. *Respondeo*: Planius vertitur *& virum non cognoverat*. Nimirum perfectæ virtutis atque ætatis virgo erat tunc cum immolabatur, quò magis evidenter constaret figura Servatoris qui purus ab omni labe obtulit seipsum holocaustum pro totius mundi peccatis, uti benè monet Augustinus *commentariis ad librum Judicum quæst.* 49. (4.) Virgines cum ea quotannis confabulabantur, non ergò vivis exempta fuit. *Respondeo*: Imò *confabulabantur de ea*, celebrando ejus constantiam in perferenda morte, idque suo adhuc tempore Samaritanos fecisse, testatur de illis Epiphanius in hæresiologo sect. 55. ἐν δὲ τῇ σεβαςῇ, τῇ ποτὲ σαμαρεία καλυμένῃ τὴν θυγατέρα ἰεφθαε θεοποιήσαντες, ἔτι ταύτην τελετὴν κατ' ἔθος ἄγουσιν. Ubi τελετὴ sacrificium est, eodem interprete sect. 78. ἐν σικίμοις, τοῦτ' ἔστιν ἐν τῇ νυνὶ νεαπόλει θυσίας οἱ ἐπιχώριοι τελοῦσιν εἰς ὄνομα τῆς κόρης. (5.) *Grotius* annotat: Non poterant holocausta, per legem fieri nisi ex bobus, ovibus, capris, turture, columba. Quidsi asinus vel canis occurrisset, debuitne fieri holocaustum? Non sanè, ergò nec humani generis quicquam,

quam, sed dedicandum id ad ea ministeria, quæ homines Deo exhibent, puta in sanctuario, si mas esset: Si fœmina, ad preces aliaque pietatis exercitia, vini abstinentiam & vitam solitariam. De mare exemplum habes in Samuele, 1. *Sam.* 1. 28. de fœminis *μοναζέσαις* est *Exod.* 38. 8. 2. *Sam.* 20. 3. Hæc ille. *Respondeo:* De holocaustis ordinariis hoc quidem verum est, sed eò non debet referri anathema, quod extraordinarium est. Et secundùm illud nec canis, nec asinus, quando priores occurrissent, in vivis conservari debuissent. Sed altioris principii est, quòd occurrit filia ad voti executionem faciendam, unde est in textu: *Erat super Jephtam spiritus Domini, vovitque votum.* Et hoc ipsum votum maximæ fidei ejus adscribitur, *Hebr.* 11. 12. Consecrationes ad sacras operas in populo Dei receptæ, non pertinent ad præsens negocium: Namque mares poterant conjugium inire, neque illi vitam solitariam agebant, uti Samuelis exemplo constat. Fœminæ verò pro tempore votum solvere quidem poterant in tabernaculo, non etiam ad omne tempus vitæ cœlibatum servabant. Davidis pellices ministerio sacro consecratas esse, nemo credat, à thoro separatas viduarum instar provixisse domi suæ, prodit sacer textus.

XXVI. Quæritur: *An filius invitis parentibus vitam cœnobiticam sectari possit?* Respondeo: Affirmant Bellarminus *libro de Monachis, cap.* 35. Toletus *lib.* 1. *Instruct. Sacerd. cap.* 55. Besoldus *lib.* 1. *Doctrinæ Civilis cap.* 13. *dist.* 8. ubi proferunt exempla Abrahami, qui de patria domo exivit vocatus à Deo, *Gen.* 12. 1. Levitarum, qui in causa pietatis sæviebant adversus cognatos suos, *Deut.* 33. 9. Johannis Baptistæ, qui ab ineunte ætate per deserta oberrabat, *Luc.* 1. 80. Addunt, bonum esse portare jugum Dei ab adolescentia, *Thren.* 3. 27. Sic illi. *Respondeo:* (1.) Abrahamus parebat vocanti Deo, ac homo apud homines provivebat, voto nullo obstrictus, quo humani generis conversationem abdicaverat. (2.) Levitæ sæviebant adversus idolorum cultores, *Exodi* 32. 26. *seqq. Jos.* 24. 2. non verò abdebant sese in monasteria, ut augendis superstitionibus operam darent. (3.) Baptistæ factum erat singulare, nec tamen è voto, aut propter voluntarios cultus Deo nunquam gratos, *Matth.* 15. 7. 8. 9. (4.) Denique, beati sunt, qui portant jugum Dei, id est, qui calamitates publicas culpâ suâ attractas patienter ferunt, Deoque supplices facti sese voluntati ejus permittunt. Proindè negamus, quòd filius invitis parentibus debeat monasticam vitam sectari. Rationes sunt: (1.) Quia filius sub patrio imperio retentus non potest invito & repugnante patre votum facere, *Num.* 30. 3. 4. 5. 6. (2.) Quia pugnat cum Jure naturæ, gentium & divino, parentes deserere, erga quos meritò officia quæcunque præstando, summam gratitudinem nostram commendare debemus, *Exod.* 20. 12. *Colos.* 3. 20. *Eph.* 6. 1. 1. *Tim.* 5. 4. (3.) Quia Pharisæorum doctrina erat, sub prætextu voti Deo sese obligare, & parentes officiis debitis spoliare, *Matth.* 15. 5. 6. Dicit *Besoldus:* Non videtur potestas patria eò usque extendenda, ut in rebus conscientiam attingentibus efficere vel impedire aliquid possit. *Respondeo:* Votum à juvene rerum haut satis perito prolatum, non est res, quæ conscientiam attingit, sed frivolum aliquid, quia conscientia est erronea. Quis credat, velle Deum, ut superstitiosi magis, quàm

veræ pietatis amantes simus? Plura dicemus *infrà cap.* 15.

XXVII. *Herilis est, quâ Dominus & servus conjunguntur.*] De servis peculiares libros conscripserunt Titus Popma & Laurentius Pignorius, è quibus nos compendium fecimus *lib.* 4. *Antiquitatum Romanarum cap.* 1. *dist.* 1. *seqq.* Eorum varii ordines erant, videlicet Dispensatores, Atrienses, Ostiarii, Obsonatores, Cubicularii, Nomenculatores, Focarii, Lecticarii, Villici. Et quidem Dispensatores erant, qui negocia procurabant, venalia distrahebant, pecuniam in rationes referebant, cæteris servis labores & alimenta dabant. *Inscriptio Romana:* Claudia. Psycharia. fecit. sibi. &. filio. suo. Eutycho. piissimo. Imp. Domitiani. Cæsaris. Augusti. Germanici. Servo. Dispensatori. Montaniano. &. libertis. libertabusque. suis. posterisque. eorum. h.m.h.n.s. Gruterus *in Volumine pag.* 596. Atrienses erant, qui in atriis deposita armaria, ubi supellectilem preciosiorem libellosque servabant, ac majorum stemmata vel imagines cereas (de quibus est *lib.* 2. *Antiquit. Rom. cap.* 1. *dist.* 5.) diligenter custodiebant, & porrò imagines in funerum comitatu efferebant, vestibus exornatas, Plinius *lib.* 35. *cap.* 2. Justus Lipsius, *lib.* 1. *Electorum cap.* 29. Marcellus Donatus *Elucidationibus ad Vopiscum pag.* 1056. *seqq.* Inde est illud Petronii: *Interrogare ego Atriensem cepi, quas in media porticu picturas haberet*, in Satyrico pag. 46. Ostiarii erant compediti vel catenis revincti ad vestibula januarum, ut nemo vel egredi vel ingredi posset, quem illi non observarent cominus. Suetonius: *Lucius Otacilius Pilitus servisse dicitur, atque etiam Ostiarius veteri more in catena fuisse*, libro de claris Rhetoribus cap. 3. Propertius: *Non mille excubiæ, nec te signata juvabunt Limina, persuasæ fallere rima sat est*, lib. 4. Eleg. 1. Tibullus: *Et sedeo duras janitor ante fores*, lib. 1. Eleg. 1. Nocte & die quasi in præsidio collocati hoc advertebant, ne quis adventor gravior quàm advenisset, discederet. *Petronius:* Ad sinistram enim intrantibus non longè ab Ostiarii cella, *in Satyrico pag.* 74. Cellam Atriensem dicit sive πυλώριον, ubi vinctus janitor custodiam januæ gerebat. Annotat *Georgius Erhardus* in Symbolis: Non quidem servus vinctus ostium servabat, verùm canis in vinculis, & ab his servus erat liber, *pag.* 597. Errat, nam & canes sunt in vinculis, unde sunt κύνες δεδεμένοι καὶ δεσμῶν apud Artemidorum Daldianum *lib.* 3. ὀνειροκριτικῶν, & quoque servus erat catenatus. *Columella:* An putem fortunatius à catenato repulsum iri janitore? *lib.* 1. Rursum Tibullus:

At mihi servandum credas, non sæva recuso
Verbera, detrecto non ego vincla pedum,

lib 1. Eleg. 7. ait Poëta, se libenter in compedibus fore, dummodò janitor constitutus observet, quid Delia sua agat, ut benè exponit Janus Parrhasius *in annotatis variis pag.* 867. Similiter Horatius:

Si per invisum mora janitorem
Fiat,

lib. 3. Carm. 14. Obsonatores, qui edulia & annonam emebant, Seneca *Epist.* 47. & pars horum Vocatores, qui convivas invitabant, excipiebant, discumbentibus loca pro dignitate cujusque assignabant. Martialis:

Poscis munera, Sexte, non amicos,
Jam dices mihi, vapulet vocator.

lib. 7. Epigram. 85. Plinius quoque meminit *lib.* 34. *histor. natur. cap.* 10. Cubicularii & Media-

Mediastini, qui lectos & triclinia curabant, in quibus accumbebant, cùm cibos sumerent, uti latissimè prosequuntur Petrus Ciacconus & Fulvius Ursinus *libro de Triclinio*, quibus adde nostras *Antiquitates Romanas lib.4.cap.3.dist.2.3.* Nomenculatores, qui civium nomina quotidiè recitabant, & quid rerum agerctur, domum referebant. *Inscriptio Romana:* L.Calpurnio. LL.Fullo.Nomenculatori. Aug.L.Calpurnius. LL. Euphrosynus. Amico. Optimo. Ol.D.D.Q.Gruterus *in Volumine pag.* 598. Et alia Romana, quam adfert *Johannes Jacobus Boissardus:* Diis.Manibus.T.Claudius. Aug.Lib Thaletis. Viniciani.Nomenculatoris. à. Censibus.Thalus. & Januaria. Lib.de.posuerunt.loco.legato.ab.Julio.Alcide.*part.5.Antiq.Rom.fol.*27.Horatius:

Mercemur servum, qui dictet nomina,

lib.1. Epist.6. A populo petebantur honores, & populus honores arbitratu suo mandabat in Comitiis, itaque Candidati homines ambitiosi (dicti quòd togas candidas in publico gestabant, uti monuimus *lib.4. Antiquitatum Romanarum cap.5.dist.*8.) operam dabant, ut Nomenculatores secum haberent in vicis, à quibus civium nomina edocti, obvios illos salutabant nominatim, ac gratiam horum apprehendebant, de quo prolixè agunt D. Lambinus *Commentariis ad h.l.pag.*274.275. Johannes Corasius *lib. 4.Miscellaneorum Juris Civilis cap.*13. Focarii, qui ligna cædebant & ignes alebant. Lecticarii, qui lecticarum vehicula succollabant, Seneca *Epist.* 29. & prolixè Justus Lipsius *lib.1.Electorum cap.*19. Inscriptio Romana: D.M.Eufræ.Tin.Servo.Lecticario.Tyche Faustina.Conjugi.suo. B.M.F. & sibi.posterisque.suis. Gruterus *lib. dict. pag.* 600. Et alia: Olympius.Liviæ.Drusi.Cæsaris.Lecticarius. Petrus Appianus *in Collectaneis Inscriptionum pag.*302. Villici, qui operas rusticas exercebant. *Terentius:* Herus si rediverit, Molendum usque in pistrino, vapulandum, habendæ compedes, opus ruri faciendum, *in Phormione Act.*2.*sc.*1.

XXVIII. Servi aut nascebantur, aut fiebant. Nascebantur è servo & ancilla inter quos erat, non quidem matrimonium, sed contubernium. *Inscriptio Romana:* Diis. Manibus.Cale.Victori.contubernali.carissimo.&.fidelissimo posuit. *Et alia Romana:* Diis. Manibus. Eutychiæ. &. Successæ. F. ejus.L.Cæcilius Successus.contubernali.&. filiæ. ejus. charissimis. Gruterus *libro dicto pag.*966.973. Itaque Plautus prologo ad Casinam:

Sunt hic quos credo nunc inter se dicere,
Quæso herclè quid istuc est, serviles nuptiæ?
Servine uxorem ducent aut poscent sibi?
Novum attulerunt, quod fit nusquam gentium.

Et confer Alciatum *lib.6. Parerg. cap.* 16. Gabrielem Palæottum *libro de Spuriis cap.* 14.15. Vernæ dicebantur, & Vernaculi, uti eos nominat Apulejus: *Quid uxor? Quid liberi? Quid vernaculi?* lib.1. Milesiarum. Fiebant servi captivitate ex hostibus, de qua est *suprà cap.8.dist.*20. aut venumdatione. Pater egenus vendebat filium suum, ut precium aliquod acquireret in summa caritate annonæ. Ut hoc liceret lege sancivit Romulus, Dionysius Halycarnassæus *lib.1. Antiquit.* Porrò notis stigmaticis in manibus, fronte, genis, dorso notabantur, uti docent Hugo Grotius *notatis ad Apocalypsin pag.* 181. Cœlius Rhodiginus *lib.8. Antiquar. Lect.cap.*11. Justus Lipsius *lib.2.Electorum cap.*15. Johannes Brodæus *lib.4. Miscellan. cap.*24. Itaque servos literatos per jocum

S 2 vocat

vocat Plautus *in Casina Act.2.sc.6.* id est, qui in fronte notas literarum habebant cauterio impressas. Locus est Zach.13.6. *Et dicet, plagæ sunt, quibus notatus sum in domo eorum, qui amant me.* Ad stigmata pertinet, quibus servi notabantur, ut herus eos recognoscere posset in loco quocunque & tempore. Apulejus *lib.9. Milesiarum*, ubi describit *homines in pristino laborantes*, memorat in eis *frontes literatas, capillos semirasos, pedes annulatos.* Pedum annulos intellige compedes, quas ubique secum ferebant. Juvenalis,

inscripta ergastula,

Sat.14. id est, servi in ergastulis, qui frontes notis inscriptas gerunt. Ergastula verò erant velut privati carceres, subterranei & sedibus quibusdam distincti, ut describit Columella *lib.1.cap.5.* His servi concludebantur ruri, postquam ab opere cessaverant ne fugam noctu arriperent, ut prodit Marcellus Donatus *Elucidationibus ad Suetonium pag.* 567. Servos inscriptos vocat Martialis *lib.* 8. *Epigr.75.* Vincti pedes, damnatæ manus, inscripti vultus, sunt apud Plinium *lib.18. cap.8.* Tibullus:

Spes etiam durâ solatur compede vinctum,
Crura sonant ferro, sed canit inter opus,

lib.2 Eleg.9. Et rursum:

Bacchus & afflictis requiem mortalibus adfert,
Crura licèt durâ compede vincta sonent;

lib. Eleg 8.

XXIX. Quæritur: *An servitus, quæ heris præstatur, sit naturæ consentanea?* Respondeo: Affirmat Aristoteles *lib.1. Politic.3.4.5.* & multis defendunt Timplerus *lib.1. Systematis Oeconomici cap.4. quæst.19.* Arnisæus *lib.1. Relect. Politic. cap.3. sect.3.* Johannes casus *lib.1. Sphæra civitatis pag.18. 19.21.* Keckermannus *in Cursu Philosophico disput.28. quæst.31.* Ac potest concedi de natura corrupta, quæ penes multos abolet libertatis usum. De natura instituta aliter est, quæ servos nullos admittit. Rationes sunt: (1.) Quia homo conditus est ad imaginem Dei, neque illa consistebat in servitute, verùm in dominio, *Gen.1.25.26.* (2.) Quia servitus imponitur in literis sacris velut pœna delicti, *Gen.9.25.26.27.* Atqui pœna in statu illo esse non poterat, ubi delictum non erat. Excipit *Timplerus:* Quamvis homo ex naturæ primævæ institutione non sit addictus alicui velut servus, potest tamen alicui velut servus obnoxius fieri ex pacto libero aut alia justâ causâ, ita ut contra naturam eo ipso non agat. *Respondeo:* Nulla potest causa fingi, ob quam in statu innocentiæ unus in alterius servitutem tradere sese voluisset. Sufficiebat tunc, precio comparavisse operas, neque aliud quicquam exegisse, unde corporis libertas damnum caperet. Itaque Veteres negabant, in seculo aureo fuisse operas molestas vel servos, ejusque libertini status memoriam Romani in Saturnaliorum feriis renovabant, uti diximus *lib.1. Antiquit. Roman. cap.10. dist.9.* οὐδεὶς ἐπ' ἐμοῦ δοῦλος ἦν, ait Saturnus ipse apud Lucianum *dialog.1. κρονικῶν.*

XXX. Instant *Timplerus* & *Arnisæus:* (1.) Societas omnis est consentanea naturæ. Ergò quoque herilis. *Respondeo:* Negatur consequentia. Equidem societas conjugialis & patria erant necessaria à priori, quandò citra illas mundus esse non poterat, adeoque habent expressam institutionem à Deo, *Gen. 1.27.28. cap.2.18.19.24.25.* (2.) Naturæ convenit, ut illi, qui seipsos regere non possunt,

possunt, ab aliis accipiant, per quod eis benè est. *Respondeo:* Nemo fuerat in aureo seculo, cui non per se benè esset, ut ita alterius ope & consilio haudquaquam indigeret: Convictus verò etiam æqualis erat, non ut unus pro victu & mercede juberet, alter pro iisdem pareret. (3.) Quòd societas herilis necessaria sit atque utilis ad domum benè instituendam, constat. *Respondeo:* Tunc per æqualitatem omnium benè & melius fuisset, quod hodiè propter inæqualitatem aliquatenus benè est. (4.) Quòd Deus in sacris literis præscribit munia heri & servorum, itaque herilem societatem approbet. *Respondeo:* Approbat omninò velut commodum adminiculum naturæ destitutæ, utque homines alios benè moneat, alios soletur. (5.) Quòd societas herilis est imago societatis civilis, quæ est inter magistratum & subditum. *Respondeo:* Non erat societas civilis in natura instituta, uti diximus *suprà lib. 1. cap. 3. dist.* 12. (6.) Quòd Adamus non poterat in statu primitivo sine adminiculo servorum esse, & domum commodè administrare. *Respondeo:* Fuissent tunc operæ mutuæ, quales nunc sunt in populis Lapponiæ, ubi omnia sunt communia, nemo habet peculium, super quo cum alio contendat.

XXXI. Populus Hæbræus non habebat servos gentiles, nisi quos res domi angusta impellebat, ut ditiori alteri servire vellent, *Exod.* 21. 5. 6. *Deut.* 15. 17. Et ille quidem pronunciabatur liber in fine anni Jubilæi. Quòd recusare poterat si vellet, æternæque servituti ultrò sese addicere. Namque rarò provivebat ad Jubilæum magnum, post quem & servus & filii ejus, vernæ hactenus, ne quidem volentes in servitute detineri poterant, sed cum tubarum clangore ad liberum statum transibant, *Lev.* 25. 39. *Num.* 10. 10. Peregrinos servos tamen habebant, cùm Nohæ legibus uterentur, illis verò non dabant necessariò libertatem, quod patet exemplo servorum dedititiorum è Gibeonitis vel Nethinæis, *Josua* 9 23. 27. 1. *Chronic.* 10. 2. *Esdræ* 2. 43. *cap.* 7. 24. *cap.* 8. 20. *Nehem.* 3. 26. Si circumciderentur, omnia privilegia civium accipiebant, atque unà conditionem de adipiscenda libertate, secundùm Legem Mosis, quæ jubebat illos manumittere, *Exod.* 12. 5. *Jerem.* 34. 8. 9. Johannes Seldenus *de Jure Hebræorum, cap.* 7. 8. Eos uti aliàs sæpissimè, ita nunc etiam imitando Saraceni, servos nullos gentis suæ adhibent, quando Muhammedes liberos pronunciat omnes, qui Legem suam profitentur, *lib.* 1. *Alcorani, cap.* 18. Legi obsecutus Omarus Kalipha, omnes per Asiam & Syriam detentos servos ad arma capienda provocavit, libertate datâ, si Legem novam addiscere vellent. Hinc conflavit exercitum magnum, quo Parthiam invasit ac devicit, incredibili successu usus in bello, quem Lex pileusque illi præparabant, Chalcondylas *lib.* 3. *histor.* Leonclavius *lib.* 3. 17. *Historiæ Turcicæ.*

XXXII. Apud Romanos veteres servi premebantur dominio admodum sævo, ita ut infra canes & corvos vulgò censerentur. Licebat vel nullius vel non admodum gravis delicti reos non dictâ apud Judices causâ manu carnificis in crucem agere, Seneca *lib.* 1. *de clementia cap.* 18. & *lib.* 3. *de beneficentia cap.* 18. Donatus *notis ad Terentii Andriam Act.* 1. *sc.* 1. Proindè *Juvenalis* de fœminarum moribus ita fatur: Pone crucem servo: meruit quo crimine servus Supplicium? quis testis adest? quis detulit? audi:

Nulla, inquam, de morte hominis cunctatio longa est. O demens, ita servus homo est! nil fecerit, esto. Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas, *Satyra 6*. Quòd si dominum necari contigisset, servi qui tunc in ea familia erant, perindè omnes occidebantur. Itaque cùm cæso Pediano urbis Romæ Præfecto, servorum magna multitudo ad supplicium posceretur, more, inquit *Tacitus*, à majoribus accepto, plebs Romana, quæ maxima sui parte libertini generis hominibus constabat, vehementer commoveri visa est, cùm ob unius culpam quadringentorum hominum, & quidem innocentium vita peteretur, re tamen in Senatu disceptata, decretum est, morem majorum servari oportere, *lib.* 14. *histor. cap.* 41. 42. 43. Gladiatorum spectaculis & bestiarum concertationibus ferè per lusum & jocum perimebantur quotidiè, uti diximus *lib.* 2. *Antiquitat. Roman. cap.* 6. *dist.* 9. 10. Prohibebantur ab armis tractandis, admovebantur opificiis sordidis, vendebantur ut aliæ possessiones, nihil sibi, omnia dominis suis acquirebant, unde factum est, ut toties excitaverint seditiones, domi forisque, Florus *lib.* 1. *cap.* 21. *lib.* 3. *cap.* 19. Paulus Orosius *lib.* 4. *cap.* 6. *lib.* 5. *cap.* 8. Epitome Livii *lib.* 56. Eutropius *lib.* 4. *cap.* 4. Potestatem illam severam dominorum in servos primus Cato Censorius improbavit, veluti injustam, notusque est *Ciceronis* locus: Servis non malè præcipiunt, qui ita jubent uti, ut mercenariis, operam exigendam, justa præbenda, *lib.* 1. *de Officiis cap.* 11. Deinde Augustus Cæsar valdè restrinxit, Adrianus Imperator prorsus abrogavit, Plutarchus *in vitis illustribus*, Dion Cassius *lib.* 55. *histor.* Videlicet, ne quid judiciis publicis detraheretur. Namque in proprio negocio impedit ita animum, ne possit cernere virum. Sacræ literæ consentiunt. Paulus jubet, ut Domini præstent servis jus & æquum, cùm ipsi etiam dominum in cœlis habeant, qui oculis justis mortalia aspiciat, *Coloss.* 4. 1. *Eph.* 6. 5. 6. 1. *Timoth.* 6. 1. 2. *Tit.* 2. 9. Demùm jura veteris servitutis omninò sustulit Constantinus M. postquam edicto jubebat omnes liberos esse, qui Jesu Nazareni fidem cupidè amplecterentur. Ita factum est, ut servi è potestate dominorum exirent, & militiæ adscriberentur dato stipendio, idolorum cultores baltheo exuerentur, & ad pagos redigerentur, Eusebius *lib.* 3. *de vita Constantini Magni*, Wilhelmus Fornerius *lib.* 1. *Selectorum cap.* 27.

XXXIII. Servi perveniebant ad libertatem manumissione, erantque Liberti, id est, liberati. Aliàs etiam Libertini: namque inter hos duos initio equidem discrimen aliquod erat, ut Libertini dicerentur ii, qui ex Libertis nati erant, Suetonius *lib.* 5. *cap.* 24. sed tamen postero ævo ceperunt eodem modo significare. τῶν λιβερτίνων, *Actor.* 6. 9. Libertini multi erant Romæ sacris Judaicis dediti. Tacitus *lib.* 2. *Annal.* ait, quatuor millia libertini generis superstitione Judaicâ infecta, missa esse in Sardiniam. Hi partim erant Proselyti, partim Judæi origine & bello capti ac manumissi, impensisque suis Hierosolymis struxerant Synagogam, in qua docerent penes alios Magistri eruditi. Dicebantur manumitti, cùm dominus servi caput vel membrum aliud tenens, prætore & testibus aliis præsentibus ita pronunciabat: Hunc hominem liberum esse volo, ait Festus Pomponius *lib.* 12. *de verbor. significat. pag.* 313. simulque alapâ stringebat, & circumactum eum dimittebat è manu. Scribæ referebant nomen in Acta publica, ipse verò

manu-

manumissus accipiebat ab hero codicillos scriptos, ac capite raso pileum gestabat, vestemque albam, unde palàm constabat, liberum esse. Prætor verò etiam accepto de lictoris manu baculo (quem Vindictam appellabant) dorsum liberti verberabat. Plutarchus *de sera numinis vindicta*, ῥωμαῖοι εἰς αὐτοῖς ἐλευθερίαν ἀφαιρῶνται, κάρφος λεπτὸν αὐτοῖς ἐπιβάλλοντες τοῖς σώμασι. Vindicta κάρφος est, sive festuca & virgula. Cæterùm nota sunt Poëtarum testimonia. *Persius*: Heu steriles veri, quibus una Quiritem Vertigo facit, hic Dama est non tressis agaso, Vappa & lippus & in tenui farragine mendax, Verterit hunc dominus, momento turbinis exit Marcus Dama, *Sat.* 5. Et mox sequitur:

Vindictâ postquam meus à prætore recessi,

I. d. Vertigo, id est, circumactum atq; idem est momentum turbinis, scilicet de more eodem dictum. Alibi dicit.

Hic hic quem quærimus, hic est,
Non in festuca Lictor quem quærit ineptus,

I. d. Sosia apud Plautum:

Ut ego hodie raso capite calvus capiam pileum,

in Amphitruone Act. 1 sc. 1. Servisque ad pileum (id est, libertatem spondendo) frustrà vocatis, ait *Suetonius lib. 3. cap.* 4. Pileus libertatis insignium est in Bruti, Cassi, Attilii, Cimbri, Galbæ & Nervæ Cæsarum nummis apud Antonium Augustinum *Tab.* 5. *num.* 2. *Tab.* 22. *num.* 9. *Tab.* 33. *num.* 19. Johannem Tristanum *Commentariis de Imperio Romano, Tom.* 1. *pag.* 43. Demùm convivio, quod Patronus ejus dabat testibus, adhibebatur; Jacobus Cujacius *lib.* 5. *Observationum cap.* 13. Adrianus Junius *libro de Coma cap.* 2. Antonius Augustinus *dial.* 2. *Antiquit. Roman. pag.* 36. 37.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Conjugio Sacerdotum.

SUMMARIA.

1. *Episcopus unius uxoris maritus.*
2. *Apostoli in conjugio.*
3. *Conjugium honorabile in omnibus.*
4. *Concilii Niceni statutum.*
5. *Fornicationis periculum.*
6. *Solvuntur rationes.*

I. QUæriter: *An sacerdotibus licitum sit inire matrimonium?* Respondeo: Negant Pontificii, & sacerdotibus imponunt cœlibatus jugum intolerabile, ut nemo apud eos sacris admoveatur, nisi qui voverit, velle se matrimonio carere, Bellarminus *lib.* 1. *de Clericis cap.* 18. Becanus *lib.* 1. *Manual. controv. cap.* 13. Costerus *in Enchiridio pag.* 550. *seq.* Thomas Henrici *in Anatome Augustanæ Confessionis pag.* 523. Petrus Thyræus & Gregorius *libris de cœlibatu sacerdotum*, Julius Coturius *in Epitome controversiarum fidei pag.* 241. *seqq.* Petrus Cottonus *lib.* 3. *Institut. Theolog. cap.* 17. Vitus Erbermannus *Tom.* 2. *Bellarmini vindicatis pag.* 270. *seqq.* Adversus istos matrimonii obstinatos hostes jam olim pro sacerdotibus masculè rem egerunt Erasmus Roterodamus *sermone de laudibus matrimonii*, & Andreas Dudithius *libro de conjugio sacerdotum*. Constat, quòd sacerdotibus matrimonium inire volentibus, omninò hoc permitti debeat, uti manifestis sacrarum literarum testimoniis ostenditur. Primò: Quia Apostolus vitam

vitam moresque Sacerdotis informaturus, vult illos conjugium amplecti, *Episcopus*, ait, *esto unius uxoris maritus*, 1. Tim. 3. 2. Tit. 1. 6. Excipiunt: Primis temporibus, cùm vivebant Apostoli, & post Apostolos annis multis, ad sacros ordines admissi fuêre viri conjugati, propter inopiam eorum qui cœlibem degebant vitam, quandoquidem ante Servatoris adventum continentia passim ignota erat, à Judæis equidem contemptui habita, à Gentibus verò etiam pœnis mulctata: Hi tamen viri conjugati, postquam Episcopi designati fuerant, ab uxoribus mutuo consensu abstinebant, quod etiam nunc fieri posset, si eadem necessitas & rationes postularent, ait Coturius *l. d. pag.* 252. 253. & ante eum similia annotaverant Magallianus *Commentariis ad h. l. pag.* 369. *seqq.* Cornelius à Lapide *Commentariis ad h. l. pag* 759. *num.* 103. Spondanus *in Epitome Annalium pag.* 95. *num.* 7. 8. Respondeo: (1.) Præceptum Apostoli nequaquam valet secundùm ejus seculi mores tantùm, quandoquidem ab antiquò inter Judæos obtinuerat, ut ministri sacri ducerent honestas conjuges, *Lev.* 21. 7. 13. 14. (2.) Neque ista cœlibatus præmia sunt in Evangelio, quæ sibi promittunt osores matrimonii, rei optimæ & benedictionibus largis à Deo honoratæ, *Gen.* 1. 26. 27. 28. Non ergò propter inopiam eorum, qui cœlibem degebant vitam, ita præscripsit Apostolus, sed ob honestatem publicam, quam Scriptura vetus statuto legali confirmabat, Christus verò nuspiam cupiverat sublatam, licèt iste in matrimonii negotio quædam nova promulgaverat, *Matth.* 19. 7. 8. (3.) Porrò notum est, inter Gentiles fuisse cœlibes sacrificulos, flamines, flaminicas, de quibus prolixè testantur Tertullianus *libro de exhortatione ad castitatem*, & nimius virginitatis admirator Hieronymus *libris adversus Jovinianum*: Propterea non tàm damnavissent Christianorum institutum, laudavissent magis in eis motum similitudinem. (4.) Unde probabit Coturius, *ministros verbi abstinuisse à consortio uxorum suarum?* Contrarium potius ostendunt verba illa, *qui suæ domui benè præsit, qui liberos habeat subditos cum omni honestate*, 1. Tim. 3. 4. Nec domui suæ benè præesse, nec liberos optimè educatos habere poterat ille, qui ab uxore sua divortium fecerat. (5) Nimirùm hoc vult Apostolus, neminem debere constitui Episcopum, qui vagos amores sectaretur, qui plures uxores in thorum unum adduceret, qui levi de causa uxorem suam divorteret, novamque sibi conjungeret. Hæc enim errata omnia rectè constituto inter unum virum & fœminam unam matrimonio advertantur, proinde reus illorum esse non debet, quicunque sacro ministerio admoveri vult, exemplar gregis futurus. *Regerunt*: Eo tempore quo Paulus ista scribebat, exspiraverat vitiosa consuetudo ducendi simul plures uxores, aut divertendi ab uxore, tàm apud Judæos, quàm inter gentes, proindè quod non fiebat, non erat cur seriò prohiberetur, Bellarminus *lib.* 1. *de Clericis cap.* 23. Cornelius à Lapide & Wilhelmus Estius *Commentariis ad h. l. num.* 99. Respondeo: Et Pauli ævo & posteà ævi consuetudo illa vigebat, ut plures uxores in thorum reciperentur, eæque leves ob causas à thoro separarentur. Namque Judæi licentiam eam sibi usurpabant etiamnum Justini ætate, quod ex *dialogo ejus cum Triphone* habito manifestum est.

II. Se-

II. Secundò: Quia Apostoli ipsi exemplo suo commendaverunt matrimonium honestum, & ipsi uxoribus suis datam matrimonii fidem accuratè servaverunt, uti docebimus *peculiari diatribâ* capite sequente.

III. Tertiò: Quia matrimonii decus est, *quòd sit honorabile in omnibus*, Hebr. 13. 4. Omnibus, inquam, ut non possint excludi sacerdotes, quibus honestatis publicæ aliqua cura est. *Excipiunt:* Illud, *in omnibus*, ut quicquam pro adversa parte probet, debet ad personas referri, quod fieri non potest, aliàs enim sequeretur, quòd etiam esset honorabile conjugium inter consanguineos primi & secundi gradus. Cùm ergò ad personas referri nequeat, debet significare idem, quod *omni ex parte*, quasi dicat, conjugium est honorabile, sive rationem sacramenti, sive bonum fidei, sive prolem spectes. Bellarminus *lib. 1. de Clericis cap.* 20. Cornelius à Lapide *Commentariis ad h. l. pag.* 1026. Julius Coturius *l. d. pag.* 251. 252. Respondeo: (1.) Imprimis illud, *in omnibus*, debet referri ad personas, & verò frivola est illatio: Ergò etiam est honorabile inter consanguineos. Patet enim, quòd honorabile matrimonium pronuncietur in illis, qui per Leges divinas matrimonium honestè contrahere possunt. Vetant leges, ut consanguinei matrimonium ineant; leges nullæ vetant, ut ministri verbi à matrimonio volentes scientes arceantur, quando aliud remedium non est ad vitandum laqueum, *Matth.* 19. 10. 11. 1. *Cor.* 7. 2. 3. *seqq.*

IV. Hæc verba Paphnutius Martyr *in Concilio Niceno* diligenter urgebat pro sacerdotibus, ut matrimonium inire posset qui vellet ex horum numero, causamque obtinebat adversus eos, qui sacerdotibus volebant uxores demere, credo eam ob causam, ut sumptibus minoribus Ecclesiæ premerentur. Referunt Socrates *lib. 1. hist. Eccl. cap.* 8. Sozomenus *lib. 1. cap.* 22. Cassiodorus *lib. 2. histor. tripart. cap.* 14. Celeberrimam historiam impugnat Spondanus *in Epitome Annalium pag.* 294. Summa argutiarum ejus hæc est: (1.) Authores ita referre non sine veritatis jactura, quando constat, Synodum Nicænam *Can.* 3. decrevisse, *ne quis clericus quovis prætextu apud se mulieres subintroductas retineret, nisi fortè quarum non erat suspicio, puta matrem, sororem, aviam, amitam.* Disertè nominantur fœminæ, quibuscum clerici permittuntur habitare, neque inter eas recensetur uxor, unde ipsa etiam exclusa esse colligitur. *Respondeo:* Canon iste sonat de fœminis *ἐπεισάκτοις adventitiis* seu *focariis*, unde Johannes Chrysostomus exponit *sermone peculiari*, esse *χόρας ἀπειρογάμους*, atque tales focariæ inter Catholicos irrepserant per Origenis & Encratitarum traditiones à nonnullis observatas, uti nos docet Epiphanius *hæres.* 63. Sed verò illas non approbabant Concilii Patres, & porrò huc referre velle uxorem sive matremfamilias, absurdum est. Namque ab istis poterat oriri suspicio consuetudinis illicitæ, sed ab hac nihil tale poterat bonus aliquis suspicari. (2.) Nec veritati consentaneum est, quod Sozomenus dicit, *nullum à Patribus ea de re sancitum esse Canonem, sed in cujusque arbitrio, non etiam in necessitate poni voluisse:* Namque id necessariò scriptâ lege sanciendum erat, cùm scriptus Canon militaret his contrarius, quo fuerunt definitæ personæ, quibus liceret cum Clericis habitare. *Respondeo:* Erat in arbitrio positum, ut quis cœlebs vellet esse,

qui continentiæ leges servare poterat, nemo enim cogebatur ut uxorem duceret. Itaque haut erat opus decreto scripto, & verò quòd Canon eis contrarius aliquis disertè perscriptus fuerit, falsum est, uti jam dicebamus. (3) Neque poterat Synodus antiquam in Ecclesia consuetudinem abrogare, quæ Clericos ordinatos à sacris arcebat, cùm sese iterum uxoribus miscuissent. *Respondeo*: Nusquam fuit consuetudo ista, & si qua fuisset, certè verbo divino repugnaret, quod vetat injicere laqueos, 1.*Cor.*7.1.2. *seqq.* Itaque Socrates dicit, voluisse aliquos *νομὸν τιναʒ εἰσφέρειν, legem novam introducere.* Quomodò *Lex nova* fuisset de imponendo cœlibatus jugo intolerabili, uti Socrates dicit, si ista consuetudo erat antiqua, uti Spondanus oggerit? (4.) Dicamus controversiam eam fuisse agitatam de illis tantùm, qui cùm ordinarentur inviti, contestabantur, se non posse continere, quibus in Concilio Ancyrano *cap.* 9. fuerat haut diu antè prospectum. *Respondeo*: De invitis ad sacros ordines promotis nullum verbum occurrit in Concilio Ancyrano: Diaconi, *ajunt*, quicunque ordinantur, si in ipsa ordinatione protestati sunt, & dixerunt, velle se conjugio copulari, quia sic manere non possunt, hi si postmodum uxores duxerint, in ministerio maneant, propterea quia eis Episcopus licentiam dedit. Quicunque verò tacuerint & susceperint manus impositionem, professi continentiam, & posteà nuptiis obligati sunt, à ministerio cessare debent. *Hæc illi.* Ejusmodi sanctiones intrà terminos ritus alicujus consistunt, neque enim rem ipsam abolent, conjugatis ministerium sacrum prohibendo, id est, mandatum vulgando, ne sacerdotes uxorem ducant, sed tantùm præscribunt, quando & quomodò illi uxores ducere possint. Adeoque uti priscis temporibus ita locis quibusdam fieri placuit, ita legem universalem nullo tempore effecerunt, aut hodie facient. Proindè satis est nobis, quòd Nicæni Concilii Patres rem ipsam, conjugium, inquam, ejusque usum Clericis integrum, efficacissimis & in perpetuum valituris rationibus permoti reliquerint.

V. Quartò: Quia monet Apostolus, ut propter vitandam fornicationem, vir quisque uxorem suam habeat eique benivolentiam reddat, 1.*Cor.*7.2.3 Regerit Cornelius à Lapide: Sonat locus de illis, qui nullo impedimento prohibentur ab usu conjugii, videlicet senio, morbo, voto. Qui enim talia impedimenta habent, matrimonium inire nequeunt. Aliis, qui impedimento nullo retinentur, non præcipit Apostolus, sed consulit & permittit, ut si periculum fornicationis timeant, uxorem ducant, *Commentariis ad h.l.num.* 129. Respondeo: De omnibus illis Paulus ait, qui continentiæ donum omni ævo rarissimum non habent, eisque non quidem consulit, verùm præcipit, ut matrimonium inire velint, ita peccatorum ansam præventuri. Dicit ergò, *propter scortationes*, & sententiam promulgat per modum imperativum, ἕκαςος ἐχέτω. Votum de servando cœlibatu perpetuò inconsultum omninò est, uti prolixius dicemus *infrà cap.* 15.*dist.*4. adeoque verum est illud: *Quæ malè moventur, pejus servantur*, Num.30.5.

VI. Instant *Becanus* & *Coturius*: (1.) Quòd sacerdotes veteris fœderis ab usu matrimonii remoti fuerint iis temporibus, cùm Deo ministrabant in tabernaculo, *Exod.* 19. 10. 22. 1.*Sam.*21.4. 1.*Chron.*24.7. 2.*Chron.*23.S.

Multò

Multò magis sacerdotes novi fœderis, qui ferè quotidiè panem angelorum, hoc est, panem Eucharisticum tractant, perpetuò ab uxoribus debent abstinere. *Respondeo:* Sacerdotes legales vixisse in matrimonio, & honestè educatos liberos ex se progenuisse, in propatulo est. Ab his velle exemplum petere, quod sacerdotes Christiani imitentur, est rem Papalem prodere, & matrimonium sacerdotibus nostris, veluti permissum confirmare, tantò magis, quòd contrarias leges in Novo Testamento non accepetimus. Ostendat verò Becanus, quomodo verum sit hoc ipsius dicterium, *sacerdotes legales omni illo tempore, quo fungebantur ministerio sacro, omisisse rem uxoriam?* Dico ego, nunquam hoc probari ex literis sacris posse, contrarium verò nos ita probamus: Sacerdos summus generabat filios successionis gratiâ, & fungebatur tamen quotidiè ministerio sacro penes tabernaculum, quando offerebat sacrificium juge, *Exod.* 29. 38. *Numer.* 28. 3. Quæ aliàs contigerunt, ad legales pollutiones referri debent, atque in Novo Testamento eæ non habent locum. Poterant mille modis aliis impurari Israëlitæ, ut nefas esset sacra contrectare, non etiam semper & solùm per consuetudinem matrimonialem. Sancta & honesta pronunciatur illa, non verò immunda & polluta, *Hebr.* 13. 4. (4.) Quòd Apostoli præcipiant, ut ministri verbi servando continentiam abstinerent à matrimonio, *Tit.* 1. 7. 8. teste Hieronymo, Commentariis ad h. l. *Respondeo:* Missâ Hieronymi authoritate, utpotè qui tuendæ virginitatis studio immodico perculsus, quicquid potest, ad suas pertrahit copias, de negocio ipso respondemus, non posse verba Apostoli exponi de abstinentia à matrimonio, quod Episcopo verbis expressis conceditur uti honestum institutum, 1. *Tim.* 3. 2. *Tit.* 1. 3. Quando ergò jubet Apostolus, ut *Episcopus unius uxoris maritus sit continens*, hoc vult, ut thorum conjugialem servet impollutum, *Hebr.* 13. 4. Verbum Græcum ἐγκράτεια ad omnes pertinet affectus, iram, invidiam, ambitionem, avaritiam, libidinem, à quorum omnium præcipiti consectatione meritò cavebit ὁ ἐγκρατὴς, & testimonia literarum sacrarum idem confirmant, *Syrach.* 26. 20. *Actor.* 24. 25. 1. *Cor.* 9. 25. *Gal.* 5. 23. 2. *Petr.* 1. 6. ὁ ἐγκρατὴς est ὁ πάθους κρατῶν, qui affectibus manuum, oculorum, linguæ novit imperare, uti Chrysostomus & Oecumenius exponunt, eosque sequuntur Benedictus Justinianus, Johannes Stephanus Menochius, Jacobus Tirinus, Wilhelmus Estius, Cornelius à Lapide *Commentariis ad h. l. num.* 35. (5.) Quòd Apostolus jubeat, ut sacerdos, Dei miles, laboret sedulò, ut non velit implicare sese negotiis secularibus, magisque studeat placere ei, cui sese probavit, 2. *Tim.* 2. 3. Scribunt Tacitus *lib.* 14. & Dion *lib.* 60. *histor.* olim prohibitum fuisse militibus conjugium, ut eò facilius militiæ vacare possent. Vult igitur Paulus, ut sacerdos Christi miles intentus sit in ministerium sacrum, & abstineat ab omnibus iis, quæ ministerium impediunt, quale cumprimis est usus matrimonii, Cornelius à Lapide & Jacobus Tirinus Commentariis ad h. l. num. 69. *Respondeo:* Ostendit contextus, quòd Paulus hortetur Timotheum ad diligentiam, non verò ad abstinentiam à conjugio. Diligentiam, inquam, in officio præstandam, ut non cesset ab illa propter impedimenta quæcunq; secularia,

uti sunt divitiæ, habendi cupido, affluentia rerum temporalium, quæ omnia timorem Dei excutiunt, & pietati notoriè obsunt, *Luc.* 8. 4. *cap.* 14. 16 *seqq. cap.* 21. 34. Porrò contubernii jus militibus semper fuit, à Junone arcebant eos leges Romanæ, & non à Venere, ait Justus Lipsius *notis ad lib.* 14. *Taciti num.* 75. id est, conjuges non quidem habebant, sed concubinas & focarias. Aliter erat, cùm emeriti essent. Inscriptio Gallica:

Memoriæ. & quieti. æternæ. Veriniæ. Ingenuæ. Libertæ. quondam. & conjugi. charissimæ. quæ. vixit. mecum. annis. 17. mens. 2. d. 3. sine. ulla. animi. læsura. C. Verecundinus. Verinus. Veter. Leg. XXII. R. P. F. Conjunx. & Patronus. & Verecundina. & Verina. & Vera. filiæ. matri. carissimæ. & sibi. vivi. ponendum. curaverunt. & sub. ascia. dedicaverunt.

Gruterus *in Volumine pag.* 567. *num.* 8. Patronus erat ob contubernium pristinum, conjunx tunc, cùm datam missionem perfefecto conjugio sociaverat eam. An clericorum suorum eandem velint esse rationem Papistæ, consultent maturè, nostrates clerici habent uxores τίμιον τὸν γάμον καὶ τὴν κοίτην ἀμίαντον, *Hebr.* 13. 4. (4.) Quòd Apostolus hortetur conjuges, ut pro tempore vacare velint à concubitu, ne preces impediantur, 1. *Cor.* 7. 5. ex quo per bonam consequentiam deducit Hieronymus *lib.* 1. *adversus Jovinianum*, eum præcipere sacerdotibus, ut perpetuò careant nuptiis, cùm quotidiè orationibus insistere debeant, Cornelius à Lapide Commentariis ad h. l. num. 134. 135. seqq. *Respondeo*: Alia erat ævi ejus ratio, cùm regnum obtinebat Gentilium superstitio, & dissentientibus præter calamitates atque noxas multiplices impunè illatas nihil paratum erat. Celebris est Epistola, quam habet Plinius Secundus *lib.* 10. *num.* 97. 98. ubi refert, quòd Christiani *stato die soliti sint convenire ante lucem ad sacra celebranda.* Nimirum status dies est dies Dominicus ex Apostolorum instituto, *Apoc.* 1. 10. utque laterent & adversus malevolorum impressiones tuti essent, noctu conveniebant, *Actor.* 12. 12. Latebrosa & lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula, est de Christianis apud Minucium Felicem *in Octavio.* Hinc commodè explices verba illa, *ne fraudate alter alterum, nisi si quid ex consensu ad tempus, ut vacetis jejunio & precibus.* Monet, ut omnes fideles, non verò tantùm sacerdotes cohabitationes nocturnas relaxent, sacrisque adsint, quæ propter illorum temporum injurias, rarò in meridie fiebant, sæpius noctu, & exemplum est *Actor.* 20. 7. 8. ubi Paulus concionatur in multam usque noctem. Haud tamen perpetuum id erat, & quod privatas preces attinebat, cohabitare poterant & debebant, 1. *Petr.* 3. 7. Tertullianus *lib.* 2. *ad uxorem.*

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Diatriba singularis de Conjugio Apostolorum.

SUMMARIA.

1. *Socrus Petri.*
2. *Uxores precum sociæ.*
3. *Circumducere uxores.*
4. *Solvuntur instantiæ.*
5. *Solvuntur aliæ instantiæ.*
6. *Johanna Papissa.*

I. Quòd

I. Quòd Apostoli exemplo suo commendaverint matrimonium honestum, ordine probatum dabimus. Primò: Quia socrus Petri Apostoli commemoratur, *Marc.* 1. 30. Excipiunt: Apostoli vixerant hactenus quidem in matrimonio, postquam verò Christum sequebantur, abdicaverunt se uxorum consortio, teste Petro, & reliquerunt omnia, uxores, agros, domos, ut vocanti Servatori parerent, *Matth.* 19. 19. Becanus *in Manuali Controversiarum lib.* 1. *cap.* 13. *dist.* 10. Respondeo: (1.) Conjugii vinculum est prorsus ἀδιάλυτον, uti docet Servator, *Matth.* 19. 5. 6. adeoque credamus, Apostolos deseruisse conjuges suas, maritalem benivolentiam eis renunciando, & Servatorem approbavisse factum? Ita enim suos jussisset agere, quod in aliis seriò reprehendit. (2.) Nunquam postulavit Servator, ut uxor & liberi deserendo vitarentur sensu alio quàm *propter nomen suum*, id est, id est, quatenus impedirent ne sequeremur Christum. Petrus ultra Magistri sui scopum non respondit, itaque nec valet illatio: Omnia reliquerunt, ut sequerentur Christum. Ergò uxores quoque à thoro diverterunt. Constat enim, quòd longo post tempore quo professi ista fuerant, Johannes tamen haberet domum propriam, navigia & retia piscatoria, *Joh.* 19. 27. *cap.* 21. 1. 2. *seqq.* Quod igitur nobiscum vult & potest Servatorem præeuntem consequi, id minimè deferimus. Atqui uxor fidelis & thorus impollutus non erant impedimento, quò minus Apostoli sequerentur Christum, ejusque vocationi parerent.

II. Secundò: Quia disertè commemoratur, Apostolos post abitum Servatoris ad cœlos perseveravisse unanimiter in adorando & supplicando σὺν γυναιξὶ *cum uxoribus*, uti rectè Beza & Erasmus Smidius vertunt, quod exiliter nimis Castalio, Munsterus, Erasmus, Romanus Interpres, Tremellius, Ariæ-Montanus reddunt, *cum mulieribus*, *Act.* 1. 14. & defendere conatur Hugo Grotius *in annotatis ad h. l. pag.* 5. Respondeo: Imò de uxoribus sermo est, quod dudum notavit Oecumenius, quoniam Petrus & Apostoli alii uxores habuerunt, quas secum per itinera circumduxerunt, 1. *Cor.* 9. 5. Hæ dono Spiritus Sancti firmandæ erant, ne deficerent instante persecutionum turbine. Certè cùm singulis momentis Spiritus Sancti revelationem exspectarent, quam Servator promiserat, *Johan.* 7. 39. *cap.* 16. 7. *Actor.* 1. 8. quis credat, Apostolos ad tanti boni communicationem invitavisse mulieres alias, uxores verò suas deditâ operâ inde exclusisse?

III. Tertiò: Quia Paulus ad exempla talia provocat, nunquid habemus potestatem, ait, sororem uxorem circumducendi, ut & reliqui Apostoli, & fratres Domini, & Kephas, 1. *Cor.* 9. 5. Fratrum Domini unus erat Jacobus Episcopus Hierosolymorum, de quo iterum meminit, *Gal.* 1. 19. *cap.* 2. 9. 1. *Cor.* 15. 7. atque idem est autor Epistolæ ejus Catholicæ, quæ exstat, uti censet Hugo Grotius *in notis pag.* 899. Quòd si exactius conferantur literæ sacræ, omninò cum Marco Antonio de Dominis *lib.* 2. *de Republica Ecclesiastica, cap.* 24. *num.* 14 *seqq.* statuendum est, tres Jacobos Servatoris ministros eo tempore fuisse, Jacobum Zebedæi Apostolum ordinarium & Servatoris consanguineum, *Matth.* 10. 2. *cap.* 27. 56. *Marc.* 1. 19. *cap.* 3. 17. *cap.* 10. 35. Jacobum Alphæi & ipsum Apostolum ordinarium,

Matth. 10.3. *Marc.* 3.18. *Actor.* 1.13. Jacobum fratrem Domini, filium Josephi ex priori conjugio, *Matth.* 13.54. *Marc.* 6.3. Hic equidem de Apostolorum collegio non erat, ac proinde fratres Servatoris distinctim recensentur, additâ insuper expressâ mentione Jacobi Zebedæi & Jacobi Alphæi, *Actor.* 1.13.14. Non ergò Jacobus minor sive Alphæi est Jacobus ille frater Domini, uti perperàm contendunt Cæsar Baronius *tom.* 1. *Annalium Ecclesiasticorum An Chr.* 44. *num.* 36. *seqq.* Henricus Spondanus *in Epitome Annalium pag.* 45. *num.* 83. Quòd enim dicunt, *Jacobum istum fratrem Domini vocari Apostolum*, hoc, inquam, facilè solvitur. Erat sanè Apostolus, eâ ratione quâ Barnabas etiam Apostolus est, 1. *Cor.* 9.5.6. nimirum Discipuli omnes & Christi sectatores ad prædicandum Evangelium adhibiti, Apostolorum nomine vocabantur.

IV. *Excipiunt:* Apostolus loquitur de fœminis, quæ non quidem Apostolorum uxores erant, sed horum discipulæ piæ & divites, adeoque sequebantur Apostolos peregrinantes quaquaversus, atque eis alimenta præbebant de opibus suis, quomodo fecerant olim Servatori per Judææ regiones oberranti, *Luc.* 8.2. Bellarminus *libro de Clericis cap.* 19. Gregorius Valentia *libro de Cœlibatu cap.* 6. Stapletonus *in Antidotis Apostolicis pag.* 360. Emanuel Sa, Johannes Stephanus Menochius, Benedictus Justinianus, Jacobus Tirinus, Cornelius à Lapide *Commentariis ad h.l. num.* 41. *seqq.* Cæsar Baronius *in Annalibus Ecclesiasticis tom.* 1. *An. Chr.* 57. *num.* 61. Henricus Spondanus *in Epitome Annalium pag.* 84. *num.* 19. & sequitur Daniel Heinsius *lib.* 7. *Exercit. sacr. cap.* 6. Respondeo: Est illa multorum Veterum expositio, uti docent Commentaria Augustini, Hieronymi, Chrysostomi, Theodoreti, Theophylacti, Oecumenii, Anshelmi, Scholiastarum Græcorum *ad h.l.* Verùm omnibus illis meritò prævaleat Clemens Alexandrinus *lib.* 3. *Stromatum*, qui de conjuge legitima interpretatur, quam Petrus habuit comitem itinerum perpetuam. Hoc probatur argumentis plurimis: (1.) Quia vocabulum περιάγειν sive *circumducere* notat potestatem mariti in uxorem, videlicet ut sequatur illa maritum, quando & quousque hic jubeat aut volet. Namque pellicem apponere thoro Pauli circumvagantis, improbum est. (2.) Quia Petri exemplum intermiscendo ostendit, loqui se de uxoribus Apostolorum. Hunc enim legitimam uxorem habuisse, patet ex *Matth.* 8. 14. *Marc.* 1.30. Quare hanc domi relinquere, & foris aliam fœminam sibi adjungere voluerit, itinerum & curarum omnium sociam, causa nulla, imò quod facere non voluerit aut debuerit, causa evidens est, ne daret lenocinii suspiciendi ansam criminatoribus, quos nimis multos omnis ætas semper in locis omnibus tulit. (3.) Quia profitetur, se manuario labore victum sibi paravisse, ut Corinthiis parceret, atque ita Evangelium citra sumptus aliorum prædicavisse gratis, 1. *Cor.* 4.12. 2. *Cor.* 11.8.9. *cap.* 12.14. 15.16.17. Id quod verum non esset, quando mulierum comitatu honoratus necessaria ab eis accepisset. Quid enim tunc opus fuisset labore manuario? (4.) Quia remonstrat, se jure suo cedere in eo potissimùm, quòd non circumducat mulierem. Atqui sive uxores, sive virgines, sive viduas alienas circumducere, opulentas, & quæ sumptus liberaliter

ter suppeditent, nullum jus facit, quo aliquis cedere meritò dici possit. Uxorem circumducere, & Ecclesiæ impensis familiam alere, jus erat, quo sese abdicavit Apostolus, non etiam Apostoli illi abdicabant, qui uxores suas habebant secum.

V. Magnoperè occupatur Cornelius à Lapide *l. d.* Franciscus Forerius *in patrocinio votorum dist.* 66.67.68.69. Vitus Erbermannus *in Bellarmino vindicato, tom.* 2. *pag.* 187. *seqq.* ut uxores legitimas ab hoc contextu divertant, & focarias loco restituant casti libidinum patroni. Dicunt: (1.) Ineptè allegatur *soror uxor*, quomodo Valla, Vatablus, Theodorus Beza vertunt, & redundat vox *soror*. Respondeo: *Soror*, id est πιςὴ & *fidelis*, quomodo annotat Beza, ut soror appelletur non cognatione quidem, sed fide, uti *Tobiæ* 8.7. οἰκεία πίςεως, *Gal.* 6. 10. cui opponitur ἀλλογενὴς, sive ἀλλόφυλος, quæ est peregrinæ nationis ac fidei. (2.) Non est in Græco articulus præpositivus, quo designetur certa mulier, id est, uxor. *Respondeo:* Satis est, quòd singulari numero utatur Apostolus, ut articulo præpositivo nunc carere possimus, indiciumque faciat, singulas uxores à maritis singulis circumductas esse, quod ipsum legitimas conjuges arguit, non etiam fœminas à servitiis, 1. *Tim.* 3. 2. Ita γυνὴ sine articulo notat uxorem plurimis locis, *Matth.* 1. 20. *cap.* 19. 3. 5. 8. 9. 29. *cap.* 22. 24. *Luc.* 14. 20. (3.) Circumducere non infert semper potestatem, quam habet maritus in uxorem, sed quoque eam, quæ est magistri in discipulos aut famulos. *Respondeo:* Cum honestate pugnat, quòd magister cœlebs velit mulieres pro comitatu adhibere, & quidem potestatis ejus compos factus, ut cogat eas sequi veluti comites perpetuos. In solam uxorem jus tale marito competit, mulieres aliæ possunt abire quò volunt, & quando volunt. (4.) Mulieres hujusmodi circumducebat Servator, Luc. 8. 2. 3. *Respondeo:* Servator mulieres eas non circumduxit pro imperio ac velut jure suo usus, verùm illæ volentes prosequebantur eum, & quidem in urbem ipsis aliàs frequentari solitam, ut doctrinam ejus perciperent, *Matth.* 27. 55. 56. *Marc.* 15. 40. 41. *Luc.* 23. 55. *seqq.*

VI. Nequaquam ergò de Apostolis pronunciandum est, eos focarias adhibendo, matrimonium honestum repudiavisse. De Papis Romanis talia & nimis frequenter legas, cumprimis de Hildebrando & Matthilde Thusciæ Comite apud Lambertum Schaffnaburgensem *Anno Christi* 1074. Hujusmodi συνείσακτος erat Papissa Johannes VIII. quæ è muliere focaria Anglici mercatoris, derepentè vir facta, literisque paulùm erudita, Romanum solium conscendit, ac biennio insedit, constuprata fœmina virili togâ induta, donec partu daret prolem, simulque exspiraret. Equidem Bellarminus *lib.* 3. *de Pontifice Romano, cap.* 24. Janus Bernattus *lib. de utilitate legendi historias, pag.* 105. *seqq.* Nicolaus Serarius *lib.* 1. *Rerum Moguntinarum, pag.* 41. *seqq.* Dionysius Petavius *part.* 1. *Rationarii temporum, lib.* 8 *pag.* 498. Henricus Spondanus *in Epitome Annalium, pag.* 836. conantur ostendere, fabulas esse, quæ vulgò de Johanna leguntur in priscorum Annalibus. Eis verò acerrimè contradicunt D. Philippus Mornæus *in Mysterio Iniquitatis, pag.* 362. *seqq.* Gisbertus Voëtius *in causa desperata Papatus adversus Cornelium Janse-*

Jansenium pag. 542.543. Matth. Bernecce-rus *in destructione Idoli Lauretani pag.* 50. *seqq.* Calixtus *libro de Conjugio Sacerdotum pag.* 338. *seqq.* Samuel Maresius *libro de Johanna Papissa restituta*, & veterum Annalium fidem defendunt. Neque enim causa est, quare fabula esse credatur, quia tot eam referunt authores, quibus cur fingerent, neque amor, neque odium, neque invidia, neque spes præmii alicujus, quibus ad falsa comminiscenda homines impelli solent, ansa esse potuit.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Statu Monastico.

SUMMARIA.

1. *Societas Monachorum.*
2. *Desertores cœtuum.*
3. *Exempla Monachorum.*
4. *Votum Continentiæ.*
5. *Votum Paupertatis.*
6. *Votum obedientiæ.*

I. NOvas Societates comminiscuntur Doctores Pontificii, easque religiosas, Eremitarum, Cœnobitarum, Monachorum, qui votis editis obligent sese ad paupertatem, continentiam, obedientiam servandam, Bellarminus *libro de Monachis cap.* 1.2. *seq.* Gregorius Valentia *libro de Statu Religiosorum*, Petrus Cottonus. *lib.* 3. *Instit. Theolog. cap.* 15.16. Adamus Conzenus *lib.* 6. *Doctr. civil. cap.* 46.47 Thomas Henrici *in Anatoma Augustanæ Confessionis pag.* 549. *seqq.* Julius Coturius *in Epitome Controversiarum pag.* 333. *seqq.* Wilhelmus Bailius *in Catech. controv. tract.* 2. *quæst.* 23. Vitus Erbermannus *in Bellarmino vindicato, tom.* 2 *pag.* 211. *seqq.* Et defendere conantur exemplis quæ ordine examinabimus: (1.) Quòd Enos Patriarcha instituit peculiarem Dei cultum, aliter quàm vulgò hactenus usurpaverant pii, itaque scriptum est Gen. 4.26. *Tunc ceptum est invocari nomen Domini.* Respondeo: Locus ille non docet, quid Enos fecerit, sed quid Enosi tempore evenerit, scilicet quòd tunc profanata est invocatio nominis Domini. חלל est *pollue-re, profanare*, uti locis pluribus, *Lev.* 19.12. *cap.* 21.15. *Psalm.* 89.34. *Esa.* 48.11. *Num.* 30.3. *Ezech.* 13.19. *cap.* 22.26. *cap.* 24.21. *cap.* 36.23. *cap.* 39.7. Hunc sensum indigitant Chaldæus Paraphrasta & Rabbinus Salomoh *in notis*, ut nempè tunc palàm desciverit sacer cultus ad mores profanos, pessimo ausu illorum, qui se vocabant filios potentum, de quibus agit Moses *Gen.* 6.1.2. *seqq.* Scilicet potentes illi viri cum mulieribus promiscuè conversati & voluptatibus dediti progeneraverunt נפלים *gigantes*, id est, homines juris divini humanique contemptores, latrociniis deditos, quales Hesiodus, Homerus, Virgilius, Ovidius, Lucanus sub Titanum & Gigantum nomine describunt. σκυδισμὸς est apud Epiphanium *hæres.* 1. Quòd verò נפלים de Gigantibus vero sensu dictis & procerioris staturæ hominibus exponit Torniellus *in Annalibus sacris, tom.* 1. *pag.* 80. *num.* 18. *seqq.* ut etiam ante diluvium isti extiterint, hoc, inquam, laudare non possumus. Gigantes post diluvium fuisse, concedimus, & probatur exemplis, quæ ille adfert *num.* 18.19.20 21. sed quòd ante diluvium fuerint, non evincitur. Adfert locum Baruchi 3.26. *Ibi fuerunt Gigantes*

gantes nominati illi, qui ab initio fuerunt statura magnâ, scientes bellum. Annotat, *ab initio, id est, prima ætate mundi.* Atqui liber Apocryphus est, scriptus à Rabino aliquo, in quo hominum genere fuerunt semper plurimi fabularum studiosi. ἀρχαῖοι γίγαντες, est de iisdem *Syrach.* 16.8. Non igitur Enos instituit perfectiorem cultum in sacris, verùm sacra deturpata esse tempore suo vidit, cùm prævalerent impiorum cœtus. (2.) Quòd Nazaræi consecrabant sese Deo, ut soli Deo inservire possent, quomodo nostrates Religiosi imitando faciunt, Numer. 6.3. *Respondeo:* Pertinebant illi ad Legem Cerimonialem, adeoque erant typus Servatoris, uti expressè docet Evangelista, *Matth.* 2.23. Qui novam Legem Christi sequebantur, dicebantur Nazaræi, & ipsa Religio Christiana erat τῶν ναζωραίων, αἵρεσις, *Actor.* 24.5. Nominis ratio est à Christo, quem vocabant Nazarenum & Nazoræum, *Matth.* 2.23. *cap.* 26.71. *Johan.* 18.7. *Actor.* 2.22. *cap.* 26.9. Multis occupantur Maldonatus & Beza *Commentariis ad Matth.* 2. Franciscus Junius *lib.* 1. *Parallelorum sacrorum*, ut Nazaræi cognomentum Servatori datum, ex vaticinio *Esa.* 11.1. deducant. נצר *surculus* est, inde Nazareth, urbis, quam Christus inhabitabat, nomen. Sententia pia quidem, & habet authorem D. Hieronymum *Commentario ad cap.* 2. *Matth.* verùm ratio ejus occultior est, ac ut possit Evangelistæ accommodari. Ad Nazaræos ille respexit, qui præ cæteris habebantur veræ pietatis cultores, ex disciplina Veterum, *Gen.* 49.26. *Numer.* 6.1.2 *seq. Deuter.* 33.16. *Judic.* 13.7. *Threnor.* 4.7. *Amos* 2.9. Nazaræi supra Legis communia præscripta, peculiari quadam sanctimoniâ, non res suas, verùm seipsos Deo consecrabant: Hoc in Servatore eminenter impletum, ut qui non vini abstinentiæ, capillorum rasuræ, aliisve id genus cerimoniis, sed morti cruentæ pro salute nostra se devovit ultrò, quò respiciunt verba Christi, *Johan.* 17.9. ubi est ἁγιάζω, unde est, ἡγιασμένος, quæ vox apud Alexandrinos pro Nazaræo ponitur. Confer *Hebr.* 10.5.6.7.8.9.10. & videbis, Nazaræi nomen & omen perfectissimo sensu competere Servatori. Dicit ergò Matthæus, ita dispositis à Deo rebus, ut Josephus & Maria ab Ægypto reversi, Nazarethæ larem figerent, hoc actum, ut ex illa habitatione Christo nomen adhæresceret, quo sanctimonia illius perfectissima, & susceptum pro salute nostra votum notaretur. Et quia nomen ab oppido deductum habet significationem mysticam, ac tàm ναζωραῖος, quàm ναζαραῖος & ναζαρηνός recepto apud Orientales in ejusmodi appellationibus usu, scribi poterat, malebat Evangelista scribere ναζωραῖος, quod nomen tunc valebat, ad significandam votivam sanctimoniam. Nazaræi verò Cœnobitæ non erant, quia conjuges habebant, familias alebant, præpositum ordinis sui non habebant, brevi tempore in tabernaculo sacro commorabantur. (3.) Quòd Rechabitæ sequendo patris avique statuta, non struebant domos, non colebant agros, non vineas, non bibebant vinum, duriter vitam in agris tolerabant, perindè uti Monachi nostri, Jerem. 35.12. seqq. *Respondeo:* Et tamen illi ipsi Rechabitæ apud homines vivebant, matrimonio dabant operam, familias cogebant in tabernaculis suis, quæ extra urbes deponebant, cùm alta pax erat, secus & cùm bellum erat, in urbes commigrabant.

grabant. Hoc verò ideò faciebant, non ut austeriore vitâ Deo equidem aliquid supererogarent, sed ob causas, quæ conditionem eorum in populo Dei oberrantium, jure aliquo incolatus, eis inculcabant. (4.) Quòd Elisæus & Discipuli ejus habebant conventus sacros in desertis ad Jordanem amnem, 2. *Reg.* 6. 1. 2. *seq.* Quòd Johannes Baptista perindè agebat in deserto, ubi prædicabat & baptismo tingebat, *Marc.* 1. 60. *Luc.* 1. 80. Respondeo: Elisæus & Discipuli ejus habebant cœtus sacros, id est, verissimas pietatis scholas in locis ab hominum strepitu remotis, quibus tamen ita assuescebant, ut frequentes interim cum hominibus conversarentur. Neque de votis ipsi noverant, peculiaribus iis & hominum ociosorum commentis. Baptistæ factum singulare est, neque ideò descriptum in literis sacris, ut imitari debeamus, *Marc.* 1. 3. 4. 5. *seq.* Et verò desertum, in quo habitabat ille, non erant tesqua, brutorum commorationes, sed ita vocabantur montana & silvosa loca, vicis rarioribus perculta, quæ natale solum ejus erant, *Josua* 15. 48. 1. *Sam.* 25. 2. *Luc.* 1. 40. (5.) Primi ævi fideles vitam cœnobiticam instituebant, precum atque opum communionem sanciendo, Actor. 4. 32. *Respondeo:* Ubi verò sunt vota pars magna vitæ cœnobiticæ? Opum illa communio erat voluntatis meræ, & propter sublevandam pauperum inopiam, neque apud omnes fideles obtinebat, itaque abesse poterat, ut infidelis non esset, qui opum suarum usum domi suæ retinebat, *Actor.* 5. 1. 2. *seq.* Nulla hîc erat professio ob prætextum religionis peculiaris, quæ sola Monachos atque Eremitas efficit, unde satis exemplorum dissimilitudo constat.

II. Nos opponimus Eremitis, quod literæ sacræ docent: *Nolite deserere cœtus vestros*, Hebr. 10. 25. Annotat Cornelius à Lapide: Malè Novatores hunc locum adducunt contra vitam Eremiticam. Loquitur enim Apostolus de illis, qui cœtus sacros vel ob metum, vel ob desidiam negligunt, aut fidem negligunt, non verò loquitur de illis, qui turbam seculi pietatis & contemplationis diligentis studio defugiunt, *Commentarius ad h. l. num.* 258. Respondeo: Imò ob pietatis studium debemus interesse cœtibus sacris, non verò defugere illos. Et quænam est ista contemplatio hominum inter bestias degere volentium? Apostolus commendat studium frequentandi cœtus sacros, exponendo periculum eorum, qui neglectis cœtibus iis, evagantur, & Deum tentant. Ratio est, tum quia Deus præsentiam suam atque precum exauditionem cœtibus sacris promisit. *Exod.* 20. 24. *Matt.* 18. 20. 2. *Cor.* 6. 16. tum quia doctrina fidei melius inculcatur, & bonorum operum exercitium fortius stabilitur in cœtibus sacris, *Hebr.* 10. 24. 25.

III. Veterum Annales jactant Paulum, Antonium, Hilarionem, Simeonem, Macarios celebres miraculis & docendi successu claros Eremitas, neque nos derogabimus pietati virorum illorum, hoc tamen certum est, quòd vera illa atque simplex pietas, quæ inter Christianos gravissimè vexatos floruerat, paulatim refrigescere ceperit, ex quo per Constantinum Magnum & sequentes Imperatores effectum est, ut pacem haberet professio illa, quam Christianam vocamus. Religio passim collocari cœpit in iis, quæ corporis magè exercitationem quà animi emendationem in se conti-

continent. Tale erat monastica, vitæ genus à Christo & Apostolis neque usurpatum, neque præceptum. Et tamen ociosorum hominum conventicula creverunt adeò, ut Valentinianus & Valens Cæsares edictum proponerent, ne quis vegeti corporis animique donis cæterùm præditus ad solitudines abeundo, Reipublicæ muniis ac subsidiis necessariis seque suasque opes subduceret, qui contrà faceret, extraheretur de latibulis, ut patriæ servirent, vel aliis omnibus commoditatibus carerent. Prostat Edictum *in Codice Theodosiano lib.* 12. *tit.* 1. *leg.* 26. & adde Augustinum *lib.* 18. *de Civitate Dei, cap.* 52. Paulum Orosium *lib.* 7. *Historiæ Ecclesiasticæ, cap.* 33. Non est, cur Spondanus *in Epitome Annalium, pag.* 399. conqueratur *de legis iniquitate.* Est enim æquissima & sacris literis consentanea, quæ vitam sociam commendant, & conversationem defugere vetant, *Gal.* 6. 10. *Hebr.* 10. 25.

IV. De Cœnobitarum votis ordine dicendum est. Primum vocant *Continentiæ* votum, qui obligantur ad vitam cœlibem semper amplectendum. Nos votum illud improbamus: (1.) Quia viris circa sacra ministeria occupatis è præscripto Apostoli uxores habere licet, *Tit.* 1. 6. (2.) Quia thorus conjugialis pronunciatur criminis nulliùs reus esse, à quocunque ille petatur, *Hebr.* 13. 4. (3.) Quia matrimonium injungitur homini cuique, ut vagos concubitus evitet, 1. *Thess.* 4. 3. 4. (4.) Quia continentiæ donum est singulare, & quod non capiunt omnes, adeoque vovere velle continentiam, censetur esse aliquid viribus nostris servatu impossibile, nisi peculiaris Dei vocatio accedat; *Matth.* 19. 12. 1. *Cor.* 7. 17. 35. Instant Bellarminus & Coturius: Suadet Christus, ut cœlibes velimus esse propter studium propagandæ Religionis, *Matth.* 19. 10. *seqq.* & consentit Apostolus, ad cœlibatum amplectendum exemplo suo provocare alios ausus, 1. *Cor.* 7. 25. *seqq.* Verùm quàm non possint his Scripturæ locis ostendere, id quod volunt impuri cœlibatus assertores, uti diximus *suprà cap.* 12. *dist.* 4.

V. Secundùm votum est *Paupertatis*, quo obligantur ad repudiandas opes quascunque. Nos votum illud refellimus: (1.) Quia in Lege Mosis prohibetur, ne mendicus vagetur per urbes, *Deuter.* 15. 4. (2.) Quia sacræ literæ in pœnis numerant, cùm quis à paupertate affligitur, 1. *Sam.* 2. 36. 2. *Sam.* 3. 29. *Psalm.* 109. 10. (3.) Quia viri pietatis studiosi, coram Deo seriis precibus agunt, ne velit Deus eis imponere grave opus, paupertatis opprobrium, *Psalm.* 37. 25. *Proverb.* 30 8. 9. (4) Quia jubetur in sacris literis, ut laboribus operam dando, paupertatem depellere velimus, *Ephes.* 4. 28. 1. *Thessal.* 4. 11. 12. 2. *Thessal.* 3. 11. Instant Bellarminus & Coturius: Jubet Servator, ut juvenis ille si perfectus vellet esse, venderet quæ habebat, dareteque pauperibus, ita pararet in cœlis thesaurum, Matth. 19. 20. 21. *Respondeo:* Duplex erratum, nam primò quidem erat mandatum hoc velut personale, quo invitabatur opulentus & arrogans juvenis, ut relictis opibus omnibus, jungeret sese consortio Apostolorum, & prædicaret Evangelium, *Matth.* 9. 9. *cap.* 19. 27. *Luc.* 9. 59. Neque verò hæc vocatio personalis ad alios applicari debet, *Marc.* 5. 18. *Luc.* 9. 58.

u 2 Deinde

Deinde erat mandatum exploratorium, quo Christus volebat ostendere, inaniter gloriari ipsum de impleta Lege, quandoquidem opes suas amando, non amaret Deum ex toto animo & viribus omnibus, *Deut.6.4.5.* Dicit Coturius: Si gloriabitur nianiter, legem à se impletam esse, quare Christus eum dilexit? *Marc.*10.21. Respõdeo: Laudavit probitatis in conversatione externa studium, non verò approbavit erroneam persuasionem. Fuit ergò in ipso aliquid amore dignum, nec indignum reprehensione aliud fuit, videlicet, quòd Dei gloriam minoris ducendo, opibus caducis affixum magis animum haberet, quàm par erat.*Philip.*3.8.

VI. Tertium votum est *Obedientiæ*, quo obligantur ad obsequia quævis præstanda superioribus. Nos votum illud damnamus, quia scriptum est: *Empti estis precio magno, igitur ne sitis hominum servi* 1. Cor. 7. 23. Rursum: *In libertate, quâ Christus nos liberavit, perstate*, Gal.5.1. Annotat Cornelius à Lapide: Loquitur Apostolus de servitute civili, qualis non est Cœnobitarum. *Respondeo*: Servitutem illam intelligit, quam Christus à nobis precio dato avertit. Atqui civilem servitutem non detraxit nobis Christus, neque illam vetant Apostoli, sed potius hortantur, ut cum debita patientia toleretur, *Coloss.*4.1. *Ephes.6.5.6.1.Timoth.6.*1.2.*Tit.*2.9. Neque igitur agit de servitute civili, verùm alia, servitute animi videlicet, quâ cœcam obedientiam pollicemur, inani pietatis laude vexati.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Diatriba singularis de Essenis.

SUMMARIA.

1. *Essenorum derivatio.*
2. *Essenorum origo.*
3. *Relata Eusebii.*
4. *Solvuntur rationes.*
5. *Solvuntur instantiæ.*

I. HEnricus Spondanus *in Epitoma Annalium Baronii pag.*116. Serarius *in Triharesio lib.3.cap.*17. *& in Minervali lib.5.cap.*22. Jacobus Gretserus *in Defensione pro Lojola, pag.*20.*seqq.* Besoldus *lib.*1.*Doctrina Civilis, cap.*11.*dist.*2. conantur probare, quòd Marcus Evangelista novas sodalitates primus apud Alexandriam instituerit. Ab Eusebio testimonium supremum, qui scribit, Essenos in vicinia Alexandriæ degentes, laudem insignem tulisse à Philone, *libro de vita contemplativa*, quòd vitæ innocentissimæ studerent, omnia invicem haberent communia, ut nemò pauper, nemo dives esset, patrimonia egentibus largirentur, orationi & canticis vacarent, in monasteriis agerent, sacris literis incumberent, continentiam amarent, victimas nullas cæderent. Hæc refert Eusebius, atque censet Philonem sub Essenorum nomine & omine describere Christianos, *lib.2.Histor.Ecclesiast.cap.*15.16. *& lib.9.de Præparatione Evangelica, cap.*1. Post Eusebium authoritate ejus commoti eadem de iisdem Essenis prodiderunt Hieronymus *in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*, Epiphanius *heresi* 29.

29. Sozomenus *lib.* 1. *histor.* 12. Cassianus *lib.* 2. *de Institut. Monast.* Nicephorus *lib.* 2. *Histor. Ecclesiast. cap.* 15. Beda *Præfatione Commentariorum ad Evangelium Marci.* Derivationem nominis Epiphanius adfert his verbis: *Jessæi vel Essæi dicti sunt à Jesu vel Jesse, è quo secundùm carnem prodiit Christus, quomodo à Christo sunt Christiani.* Laudat Veterum allegata Spondanus, & probari omnibus contendit, *Novatoribus exceptis, eò quòd Monachorum instituta summo odio prosequebantur.* Bilem movit viro, quòd Antiquitatis consultissimi, Rodolphus Hospinianus *lib.* 1. *de Origine Monachorum, pag.* 28. 29. 30. Josephus Scaliger *Prolegomenis ad libros de Emendatione temporum*, Johannes Drusius *libro de Sectis Judæorum*, Franciscus Junius *Animadversionibus ad Bellarmini Controv.* 5. *lib.* 2. *pag.* 224. *seqq.* Nicolaus Fullerus *lib.* 2. *Miscellaneorum sacrorum, cap.* 3. Johannes Seldenus *lib.* 1. *de Synedriis, cap.* 7. Daniel Chamierus *in Panstratia Catholica, tom.* 3. *lib.* 20. *cap.* 22. post excussa Veterum quædam præjudicia, demonstravissent, Philonis Essenos omninò nihil ad Christianos pertinere. Constat oppidò Veterum Scripta non solùm cum reverentia ipsorum Authorum, sed etiam cum delectu eorum, quæ ipsi scripserunt, legenda esse. Nam quæ hæc molesta divinatio est: *Essæi quasi Jessæi, & sunt Jessæi dicti à Jesse?* Atqui Essæi & Jessæi toto cœlo differunt, & descensus à Jesse inter arcana religionis habebatur, *Apoc.* 5. 5. *cap.* 22. 16. *Esa.* 11. 1. Evangelia & Apostolorum Epistolæ vix erant consignata, certè plurima nondum erant evulgata, quando Philo sub initio Imperatoris Claudii scribebat, homo Græcus magis quàm Hebræus. Erat quidem Judæus religione, sed quoniam Alexandriæ Ægyptiorum degebat, ut omnes ejus loci Judæi, sacras literas legebat אליגנית ἑλληνιστὶ, ut ajunt Thalmudistæ, id est, sermone Græco, quoniam non intelligebant Hebraicè. In talium gratiam avi sui librum transtulit Syrachides nepos, uti est *in Prologo ejus dist.* 3. 4. 5. & à talibus edita fuit versio Græca Veteris Testamenti. Quam enim vulgò ejus versionis originem esse è Josepho referunt, fabulas esse demonstravimus *libro de Scriptura sacra, Exercitat.* 35. *dist.* 1. *seqq.* Et nomen ipsum Essenorum multis ante Servatoris adventum in carnem annis obtinebat, non ergò Essæi sunt à Jesu & Jesse.

II. De Essenis agit Philo, & laudat Judæus Judæos, non laudaturus Christianos, à quorum sacris dissentiebat Scriptor ille. Erant peculiaris secta inter Judæos, descripta apud Josephum *lib.* 18. *Antiquitatum Judaicarum, cap.* 2. *& lib.* 2. *de bello Judaico, cap.* 7. Sacris, quæ à Mose & Prophetis tradita acceperant, ipsi adjecerant placita Pythagoræorum è Græcorum ludis. Neque illi tantùm Alexandriæ & in Palæstina erant, sed Romæ etiam, ideoque illos olerum comedones ac carnem haud attingentes humaniter ferendos, non verò odiosè exagitandos esse, monebat Paulus, *Roman.* 14. 2. 3. 4. Vocat eos τὺς ἀθενῦντας τῇ πίςει, id est, qui Christi doctrinam equidem amplexi fuerant, sed non omnia à Spiritu Christi revelata pernoscerent, præcipuè verò mysterium illud, quod *Rom.* 7. 1. 2. *seqq.* aperire cepit Paulus, nimirum Judæos, qui Servatoris doctrinam sectando, multum in ea profecissent, non ultrà obligari seu legibus Mosis ritualibus, seu traditionibus Sa-

pientum, licet ob scandalum quorundam hactenus in abrogandis eis nondum conati fuissent, *Actor.* 15. 1. 2. *seqq. cap.* 16. 4. Dum utrosque ad mediocritatem reducebant, prudentiam suam Orbi declarabant, cæterùm noverant, prope esse tempus illud, quo Deus non saltem permitteret dirui templum, sed & Legem ipsam in triumpho Romanorum portari sivit, uti dictum est *suprà cap.* 10. *dist.* 3. Carnibus abstinere, erat inter præcipuas doctrinas Pythagoræorum, authore Ovidio, *lib.* 15. *Metamorphoseos.* Et de re eadem extat eruditus Porphyrii libellus περὶ ἀποχῆς. Imitati sunt Ægyptiorum, Cretensium, Eleusines Sacerdotes, Persarum Magi, apud Hieronymum *lib.* 2. *contra Jovinianum.* Nec non pleni scrupulosatum opinionum Nazaræi, quod tolerabatur hactenus, cùm stabat templum, eo diruto, non habuerunt locum inter bonos, sed Tatianus ejusque Encratitæ ab Ecclesia rejecti sunt. quòd tanquam dogma necessarium introducerent τῶν ἐμψύχων ἀποχήν, teste Irenæo, *lib.* 1. *cap.* 30. 31. Neque aliter Esseni apud Epiphanium. ἀπέχεσθαι βρωμάτων, ἃ ὁ θεὸς ἔκτισεν εἰς μετάληψιν μετὰ εὐχαριστίας, ait Paulus, 1. *Tim.* 4. 3. de illis ipsis Essenis per orbem vagabundis, ut Judaismum incrustarent. Prima illis origo est à Legis Mosaicæ assertoribus iis, qui adversus Syro Macedonum furores aut desertorum פורשים levitatem pro religione patria stantes, Hasidæi vocabantur, חסידים 2. *Maccab.* 14. 6. Annotat Franciscus Junius: Hoc nomen propriè notat profugos illos, qui religionis causâ huc illuc fuerunt diffusi, ne tyrannide Regis ad scelus ullum compellerentur. ישא enim diffusum notat. *Hæc ille.* Quod refellit Janus Drusius *lib.* 1. *de Sectis Judæorum*, *cap.* 11. 12. & *peculiari libro de Hasidæis*, ubi porrò contendit, Asidæos esse, qui temporibus insecutis dicti sunt Pharisæi. Nec alia sententia est Josephi Scaligeri *in Elencho Trihæresii, cap.* 22. De Essenis verò nos interpretamur cum Serario *lib.* 3. *Trihæresii, cap.* 7. & *Commentario ad lib.* 2. *Maccabæorum, quæst.* 47. חסיד emollitâ pronunciatione conversum est in חסי, unde sunt ἰεσσαῖοι, nomine Græco, vel חסיין quod est ἰεσσηνοι, ex Syrorum dialecto. Apertè circa hæc tempora Essenos unà cum sectis aliis ponit Josephus, *lib.* 13. *Antiquitatum cap.* 9.

III. De professione religionis judicandum est, non de rituum similitudine, sed ex doctrinæ sinceritate. Nititur omnis relatio Eusebii argumento similium: Esseni Philonis habent similitudinem cum Monachis Christianis. Ergò fuerunt & ipsi Christiani. Similitudinem per partes deducit: (1.) *Quòd vitæ innocentiæ studerent.* Faciebant idem Pharisæi, & vulgò propterea in precio erant, *Luc.* 18. 11. 12. *Actor.* 26. 3. 4. 5. *Philip.* 3. 5. (2.) *Quòd omnia haberent communia, exemplo Christianorum, qui erant Hierosolymis, Actor.* 4. 32. Si Esseni aliqui ad Evangelium conversi, pristinæ conversationis institutum, quale erat bonorum communis elargitio, retinuerunt, nondum tamen obtinuit Eusebius, quæ intendit. Essenos bona sua contubernio donavisse, refert Josephus *lib.* 2. *de bello Judaico, cap.* 7. A Platone acceperant, qui *meum* & *tuum* volebat de civitatibus eliminari. Et de Pythagoræis refert Jamblichus, ἴδιον οὐδεὶς οὐδὲν ἐκέκτητο. Itaque apud illos quidem hoc ordi-

ordinarium erat, verùm apud Christianos ex voluntatis charitate ortum cepit subitò, brevi etiam desiit, ut liceret illis & retinere sua & Christianis esse, Actor. 4. 34. cap. 5. 4. (3.) *Quòd patrimonia egentibus largirentur.* Pauperibus largiri, piorum omnium commune est, neque soli Esseni hoc faciebant. (4.) *Quòd orationi & canticis vacarent.* Deos orationibus venerari, & canticis vel statis vel vagis pietatis studium testari, populorum omnium commune fuit, Barbarorum quoque. De Ammoniis Curtius, *patrio more carmen canentes*, lib. 4. Et de Babyloniis idem, *Magi suo more patrium carmen canentes*, lib. 5. Græcorum hymni noti sunt ex Homero atque Orphæo. Judæis præscripserat Deus, & studium Regis Davidis in adornandis Musicorum choris celebrat Syracides, cap. 47. 10. 11. 12. De Sinensibus est relatio Nicolai Trigautii in Descriptione Chinæ: *Recitantium cantus nihil differt à nostro*, *pag.* 148. Habes quasi antiphonas, nec tamen ante centum annos Bonzii illi Christianum viderant. (5.) *Quòd in Monasteriis agerent.* Philo vocat σεμνεῖα conventus sacros ad conciones & studia literarum. Scholas suas habebant Judæi ab hominum strepitu remotis, uti constat 1. *Sam.* 10. 5. 2. *Reg.* 6. 1. 2. *seq.* Pythagoræorum conventicula & collegia dicebantur κοινόβια, Gellius *lib.* 1. *cap.* 9 proindè illi quoque fuerint monachi. (6.) *Quòd sacris literis incumberent.* Sunt apud Philonem συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, quod de Evangelistarum & Apostolorum scriptis exponit Eusebius. Cùm tamen non posset fugere eum, Scripturas Evangelicas tunc cùm Philo scribebat, aut modicas, aut prorsus non extitisse. Certè in vulgus haut notæ erant. Neutiquam verò etiam παλαιῶν ἀνδρῶν dici posset, cùm recentissimi & in vivis essent Apostoli. (7.) *Quòd continentiam amarent.* Esseni quidem hoc vitæ genus laudabant, adeoque Author libri sapientiæ, Essenorum pars, de cœlibatu magnificè sentit, *cap.* 3. 13. 14. Aliter Christiani, qui conjugium præferebant velut remedium divinum adversus ustiones, & in honesto conjugio ἐγκράτειαν quoque servabant, 2. *Cor.* 7. 2. 9. 28. 29 *Tit.* 1. 8. Paulus τοὺς κωλυόντας γαμεῖν accenset impostoribus, 1. Tim. 4. 1. 2. 3. (8.) *Quòd victimas nullas cæderent.* Apud pios ante diluvium, ac porrò in populo Dei seculis insecutis, victimæ erant pars necessaria religionis, sensu morali quòd beneficiorum multorum à Deo in homines collatorum solennem recordationem ad animos revocarent: Sensu eminenti verò, ut Messiam, qui se humani generis vadem obtulerat, inculcarent. Ac de priori quidem multa docent Rabbinus Levi Ben-Gerson, Salomoh Jarchi, Aben-Esdras *Commentariis ad Legem*, Rabbi Maimonides *in More Nevochim lib.* 3. *cap.* 32. De posteriori nihil occurrit, sed eleganter proponit Apostolicus Scriptor Epistolæ ad Hebræos. Referunt Cabalistæ, nisi peccavisset Adam, שכינה semper præsto futuram in conversatione humana, abiisse verò, cùm peccavisset Adamus, in cœlos, inde ad nos per sacrificia devocari, Rabbinus Salomo Levita *in Dimbre Salomoh*, Rabbinus Jehuda Levita *in Cussari lib.* 2. *cap.* 2. Rabbinus Menasseh Ben-Israel *in Conciliatore ad Pentateuchum quest.* 1. *Levitici.*

Notant

Notant Sapientes illi finem verum, est enim שכינה Messias, ad quem verâ fide apprehendendum, operosus victimarum apparatus à Mose descriptus oppidò manuducebat. Quanquam apud plurimos obtinerent deinde opiniones pravæ, sacrificia esse Deo satis, fuso cruore & carnibus exustis, interim animis vitæque studiis in diversa abrepti, morum improbitatem externâ pietatis specie velabant, *Esa.* 1.10. *seq. Psalm.* 50.2. *seqq. Jerem.* 6.20. *seqq.* Frustrà verò etiam sese torquet Jamblichus *libris de Mysteriis Ægyptiorum*, ubi multa conatur, ut rationem reddat, quare dæmones victimis delectarentur. Neque enim eum, qui victimarum omnium Antitypus est, & cujus honorem cacodœmones fraudulenter ad se rapuerunt, agnovit Paganismi obstinatus assectator. Apud Paganos mera laniena erat, itaque Pythagoras apud Philostratum *lib.* 1. *de vita Apollonii*, & Porphyrius *lib.* 2. *de abstinentia, cap.* 35. verè scribunt, morem offerendi hostias, esse crudelitatis plenum, & ad expiandos Deos minus aptum, scilicet hoc imitati Esseni non cædebant victimas. (9.) *Quòd Diaconos & Episcopos haberent.* Voluit hoc addere Eusebius, nam in Philonis libris nihil tale est. Et Josephus refert, quæstores & procuratores viros probos è Sacerdotum ordine creari, qui ex agrorum reditibus necessaria ad victum & amictum pro omnibus curent, *lib.* 2. *de bello Judaico, cap.* 7. Poterant illi vocari Diaconi ut *Actor.* 6. 1.2. *seqq.* Ubi verò sunt Episcopi?

IV. Quòd Christiani non fuerint, neque habeant authorem Marcum Evangelistam, rationes sunt istæ: (1.) Quia Philo & Josephus à quibus laudes promerentur, non fuerunt Christiani, itaque celebres in Alexandrina Ecclesia Doctores, Clemens Alexandrinus, Origenes, Athanasius eorum non meminerunt, diligentes rerum ævo suo gestarum consignatores, tantùm quòd Eusebius alieno judicio abusus eos obtruserit Ecclesiæ, à quo Hieronymus & cæteri Doctores acceperunt, qui recentiorum excribere Commentaria malebant, quàm veterum Acta cum cura & sollicitudine excutere. (2.) Quia Philo & Josephus ponunt illos in Judæis, adeoque Philo distinguit in speculativos & operativos, nullis cæterùm institutis discrepantes, tantùm quòd speculativi rure habitarent, agrosque colerent per Syriam & Ægyptum: Operativi fortè etiam agitarent mercimonia in urbibus Judææ, deindè, quòd speculativi omnes fuerint cœlibes, μονόβιοι, de quibus etiam valet illud *Plinii*: Gens sola & in toto orbe præter cæteras mira, sive ulla fœmina, omni Venere abdicata, *lib.* 5. *histor. natur. cap.* 17. Operativi autem plurimi fuerint conjugati vel κοινόβιοι. (3.) Quia Philo dicit, esse originis vetustæ, atque legisse monumenta antiquorum virorum, τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν, qui principes ejus sectæ fuerint, οἱ τῆς αἱρέσεως ἀρχηγέται γενόμενοι. Atqui Christianæ Religionis præcones eo tempore, quo Philo scribebat, Tiberii, Caligulæ, Claudii ævo suppar, non erant veteres, sed novi & recentes. Non ergo illi Christiani erant. Quòd enim monumenta antiquorum virorum, de libris Apostolorum exponit Eusebius, hoc, inquam, repudiat Serarius *in Trihæresio lib.* 3. *cap.* 17. & suprà rejici meruit. (4.) Quia Esseni illi observabant Sabbatha, & septimo die conventus faciebant, ταῖς ἑβδομαῖς συνέρχονται, ait Philo.

Atqui

Atqui Christiani ad conventus sacros destinaverant primum diem, quem ipsi Dominicum vocabant, *Apocal.* 1.7 Non ergo Esseni erant Christiani, verum Judæi. Dicit Serarius, *Philonem in describendis festis Christianorum adhibere sermonis genus Iudaicũ.* Quod oppido falsum est. Nam septimo die convenire & primo die congregari, toto distant cœlo. (5.) Quia Esseni illi adhibebant varias cerimonias superstitioni Judaicæ accommodatas, à quibus tamen Christiani semper & meritò abstinebant. Nimirum, vigilias celebrare primùm convivio, deinde choreis; perstrepere canticis in memoriam transitus per mare rubrum; quotidiè sese lavare, ne ab aliorum occursu macularentur, itaque ad lacum Asphaltitem in Judæa, & Mareotim paludem in districtu Alexandrino copiosi habitabant, ut lotionum suarum commoditatem observarent. Non ergò illi erant Christiani, verum Judæi. (6.) Quia Esseni illi colendo Angelos docebant, quæ cum fide Christiana haud conveniebant. Contrà illos est locus insignis Coloss. 1.18. *Nemo adversùm vos rectoris sibi partes ultrò sumat in submissione animi & religioso cultu angelorum.* Clemens Alexandrinus *lib. 9. stromatum*, & Hieronymus *Epist.* 151 *ad Algasiam quæst.* 10. censent, notari cultum astrorum Judæis eo tempore usitatum, qui ut olim itá etiam nunc adorabant & sacrificiis donabant militiam cœli id est, Angelos & astra, *Jerem.* 7.18. *cap.* 44.17. Repudiat Spondanus *in Epitome Annal. pag.* 110. & causam adfert, quòd Apostolus insectari soleat hæreticos ævi ejus, non verò demortuos illos & quorum memoria obsoleta erat. Olim adoravisse Lunam, Prophetæ scribunt: sub templo secundo & deinceps non fuerunt itá fatui Idololatræ, sed unum Deũ cœli terræq; creatorem puro animi affectu citrà affictam ei speciem aliquam venerabantur, unde etiam Cœlicolas vocabant Pagani, estq; mentio *in Codice lib.* 1. *Tit.* 10. *l.* 3. & confer Jacobum Cujacium *paratitlis ad Codicem pag.* 16.17. Porrò Bellarminus *lib.* 1. *de beatitud. Sanctorum cap.* 17. Costerus *in Enchiridio Controversiarum pag.* 468. excipiunt, Paulum damnare hæresin Simonis Magi, qui Platonicos secutus docuerit, quosdam Angelos colendos esse velut Deos minores, qui fabricaverint mundum, & intercessione sua Deum hominibus propitium reddant Verum Baronius *Tomo* 1. *Annalium pag.* 778. *seq.* Spondanus *in Epitome Annal. l. d.* Benedictus Justinianus *commentario in Epistolam ad Coloss. pag.* 342. monent, falso hoc de Simone Mago dici, qui nihil tale docuerit, neque posse testem rei ejus ex Antiquitate ullum produci: notari vero Cerinthum, qui Angelos prætulerit Christo, atque cultum religiosum illis obtulerit, huic verò denegaverit. Sic etiam Cornelius à Lapide *commentario ad h. l. num.* 69. & Gabriel Vasquez *lib.* 3. *de adoratione cap.* 6. Litigent illi invicem & componant lites, de quibus hæreticis agatur, nos omnem cultum religiosum Angelis derogamus. Theodoretus *commentariis ad h. l.* scribit: Qui legem defendebant, iidem ad Angelos colendos inducebant, dicentes, legem per Angelos fuisse datam. Mansit vero diu hoc malum in Phrygia & Pisidia. Quamobrem Synodus Laodicena lege prohibuerat, ne precarentur angelos. Et in hodiernum diem videre licet apud illos Oratoria Sancti Michaelis. *Sic ille.* Esseni erant, qui ista docebant, circumforanii Apellæ & Nazareni, qui Mo-

sis legem cum doctrina Christi, permiscebant, utriusque studiosi, neutrius tenaces, habebantque è Lege veteri ac novâ testimonium de Michaële, quem tamen non rectè exponebant, *Daniel.* 12. 1. *Apocal.* 12. 7. (7.) Quia Esseni illi quosdam legales ritus addictè nimis retinebant. Primus de loco religionis causâ publicè designato in sacris textus occurrit, *Genes.* 12. 7. 8. ubi Abraham *locavisse* dicitur *aram versus Occidentem.* Nimirum conversa ad Occidentem facie orabat Deum, ut externo etiam ritu separaret se à Chaldæis, qui versus Orientem compositâ facie adorabant, Solem venerati. Eundem in finem Deus sacrarium suum ità locari fecit Hierosolymis, ut quicunque vel coram arcâ præsentes adorare volebant, vel absentes eò sese convertebãt, (*Daniel.* 6. 11.) ad Occidentem respicerent. Desertores Judæi morem illum repudiabant conversi ad Orientem, quandò precari volebant, *Ezechiel.* 8. 16. 17. Neque illi tantum, sed quoq; Esseni liberrimæ professionis inter Judæos τὸν ἥλιον ἀνίσχοντα ἱκέτευον, unde etiam dicti sunt שמשאין ἡλιακοί, *Solicolæ*, uti scribunt Josephus *lib. 2. de bello Judaico cap.* 12. Epiphanius *hæresi* 33. & 50. Christiani primis seculis quocunque loco, quocunque habitu adorabant promiscue, *Joh.* 4. 21. 22. 23. plurimum tamen ad Orientem conversi orabant, tum ut à Iudæis sese planius distinguerent, tum ut loca quædam de Christo loquentia (*Esaiæ* 60. 1 2. *cap.* 9. 2. *Malach.* 4. 2. *Lucæ* 1. 78) exprimerent Tertullianus *in Apologetico cap.* 16. Clemens Alexandrinus *lib.* 7. *stromatum.*

V. Restant nonnulla apud Spondanum, quæ breviter percurremus. Dicit: (1.) *Plinius Solinus, Porphyrius de Essenis meminerunt, adeoque constat esse antiquissimos, sed quod dicunt, eos per multa seculorum millia extitisse non potest approbari.* Atqui numerare poterant seculum non unum. Ceperunt enim enim sub Hasamonæis, & post Christi tempora adhuc durabant. Quod enim Rabbinus Abraham in libro יוחסין scribit, *Essenorum autorem esse Judam Galileum*, peccatum est in ἀναχρονισμῷ, & confundit ille Gaulonitas φαρισαιοτέρας cum Essenis vetustioribus multum. (2.) *Nec in Veteri nec in Novo Testamento quicquam de illis occurrit, cum tamen omnes Judæorum sectæ recenseantur, Pharisæi, Saducæi, Galilei. Herodiani.* Referunt de illis Maccabæorum libri, ubi est de Hasidæis. Habitabant in vicis & agris remoti à civitatum quotidianis turbis, solos tantum principes, velut Residentes, habebant Hierosolymis, in quibus fuit Johannes ille Thammæ præfectus, apud Josephum *lib. 2. de bello Iudaico cap.* 42. Genus hominum minimè ambitiosum, nec fraudulentum, ut Pharisæi, nec impium, ut Suducæi, propter eà non erat Christo negotium cum iis, neque in scriptis Evangelicis ulla eorum est mentio. (3.) *Nec ei, ut quidam dicat, Essenos eosdem esse cum Rechabitis, de quibus est* Jerem. 35. 5. *nam constat, diversam planè fuisse utriusque gentis institutionem.* Recchabitas habuisse jus civitatis apud Judæos, postquam eorum progenitor Hobab Kinæus legales ritus omnes suscepit, constat *Numer.* 10 29. *Iudicum* 1. 16. *cap.* 4 17. 1. *Samuel.* 15 6. & adde Beniaminem Tudelensem *in Itinerario pag.* 82. ubi reliquias in Oriente, non tamen sine fabulis, refert. Eorum instituta oppidò quadrant ad instituta Essenorum, quorsum etiam respexit Josephus, cum dicit, Essenos fuisse [illegible]

(4.)

(4.) *De Essenis nulla apud Iosephum antiquior, quam Herodis majoris tempore exstat memoria.* Nuspiam dicit, eos tunc primum cepisse, contrarium verò etiam affirmat verbis illis ἀπ' ἀρχαίου. Tempora Herodis non erant adeò vetusta secula. (5.) *Quid prohibet dicere maximam eorum partem Apostolorum prædicatione ad religionem Christianam conversa esse?* An Essenorum aliqui sint facti Christiani, quæstio non est sed hoc quæritur, an Esseni magnâ copiâ in Ægypto habitantes Christiani fuerint? Negatur. (6.) *Inscrutandis Prophetis intenti erant, ob eamque causam veritatem rerum futurarum attigerunt, Porphyrio teste apud Cyrillum lib. 5. contrà Iulianum.* Prophetæ ergò & מדרשׁ eorum Judæis ab antiquo familiaria, (uti patet 4. *Esdræ* 14. 12. 13. *seqq.* erant τῶν παλαιῶν ἀνδρῶν συγγράμματα, non verò Evangelistæ. Prophetarum ultimus fuit Malachias, ab ejus excessu Propheta nullus erat, *Psalm.* 78. 9. 1. *Maccab.* 8. 27. Qui successerunt eis in populo docebant Sapientum titulo חכמים, quorum Scholæ in diversas factiones distractæ, accedente etiam Græcorum literaturâ, sectas progeneraverunt. Hæc tempora, quibus vaticinia & miracula cessare debebant, sunt χρονοικάτω apud Syracidem *prologo.* 1. *num.* 2. & qui vaticiniis celebres erant, uti Johannes Hyrcanus, Judas Essenus, Manahem Essenus, ad eos perferebatur בת־קול, quod aliàs erat vetustissimum prophetiæ genus, 1. *Samuel.* 3. 4. 6. 7. 8. 9. *seqq.* & eòdem respicitur *Iohan.* 12. 29. *Actorum* 23. 9. Sapientum, qui Prophetis successerunt, primus & maximus erat Esdras ὁ ἀναγνώστης τοῦ νόμου, *Esdræ* 7. 1. 6. Quanquam tales aliqui etiam Prophetarum ævo essent, 1. *Regum* 4. 31. Hi sunt Scribæ & Legisperiti, quorum *Matth.* 5. 20. & toties alibi mentio est. (7.) *Esseni Iudæi à Iosepho descripti ab Alexandrinis, quos Philo describit, in plurimis differunt, ut appareat hos ex illis provenientes, non tamen eosdem esse cum illis.* Monstrare debuisset plurima illa per quæ differunt. Non poterat, quamobrem Essenos, sive in Ægypto, sive in Palæstinâ degerent, sectæ ejusdem, fuisse concludimus. (8.) *Magnoperè considerandum est, quod Iosephus in Iudæa tantum collocat Essenos.* Essenos in Judæâ velut notos sibi describit, quomodò Philo describit Essenos, quos in Egypto noverat. (9.) *Philo dicit, essenos suos toto orbe terrarum reperiri, vitæque genus illud à Græcis & Barbaris esse receptum, quò manifestè declarat, nonnisi de Christianis locutum se esse, qui ubique terrarum & ex omnibus gentibus erant.* Judæos toto orbe dispersos habuisse gymnasia & collegia, pro nationum diversitate in Academiâ Hierosolymitana constat, *Actor.* 2. 5. *seqq. cap.* 6. 9. Inde sectarum per orbem divulgatio. Christiani, quandò ista Philo scribebat, in Palæstinâ multi, extrà eam pauci & hactenus Judæis permisti erant, *Actor.* 11. 1. 2. *seq. cap.* 13. 46. Non ergò ista adeò manifestè de Christianis dicta sunt, ut quidem Spondanus putat. Græcos & Barbaros vocat Philo, ac intelligit Pythagoræos ob similia quædam vitæ morumque instituta. (10) *Nec mirum est, si observationem diei Sabbathi Philo in Essenis commendat, cùm & Apostolos in multis Iudæorum mores exercuisse, Acta eorum testentur.* Valdè mirum est si Apostoli rigidā illam Sabbathi observationē approbaverunt. Sabbathum adeò destrictè

colebant, ut quo quisque eorum habitu, loco, situ, die sabbathi inventus esset, sive stans sedensve, intus aut foris eo loco eâdemque positione, eo die adusque vesperam permaneret, ait *Origenes* de Essenis, quos in Egypto & Palæstinâ sibi notissimos habere poterat, *lib. 4. περὶ ἀρχῶν.* Hæc omnia pugnant cum Apostolorum præceptis, *Coloss. 2. 16. 17* & Christiani potius die dominico in honorem Servatoris feriabantur, *Apocal. 1. 10.*

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

De Jure circà Ærarium.

SUMMARIA.

1. *Ærarii conditio.*
2. *Jus monetæ cudendæ.*
3. *Janus laureatus.*
4. *Vectigalium solutio.*

I. *ÆRarium est quo Princeps vectigalia reponit.*] Ærarium ab inferendo ære dictum est, prius enim ærei nummi fuerant, deinde aurei & argentei facti sunt. Ovidius:

Æra dabant olim, melius nunc omen in auro est,

Victaque concessit prisca moneta novæ,

lib. 1. fastor. Asservabatur plerumque pecunia publica in templis, quod loca illa sacra, & Deorum religione adversum fures munita esse viderentur. Romani in templo Saturni deponebant, quod depingit Jacobus Laurus *part. 1. Antiquitatum Romanarum Tab. 27.* Inscriptio Romana:

Memoria. Artori. Juli. augendi. Viatoris. Quæstoris. ab. ærario. Saturni. Liberti. qui. & heredes. ejus.

Gruterus in Volumine pag. 627. Persius:

Saturniaque impulit æra,

Sat. 2. ubi scribit vetus Scholiastes: *Æs in æde Saturni condebatur, nondum auro & argento signato,* & adde Plutarchum *in quæstionibus Romanis num. 42.* Macrobium *lib. 1. Saturnal. cap. 6.* Claudium Salmasium *libro de modo usurarum cap. 6.* Joh. Fridericum Gronovium *lib. 3. de Sestertiis cap. 1. 2. seqq.* Propterea ærarium cognomen *sancti* accepit, & pro censuum ratione diversas arcas habuit, quasdam etiam pro auro vicesimario, id est, aureis nummis optimis (ut Budæus *lib. 3. de asse pag. 104.* exponit) recondendis, & pecuniarum excessu ad necessitatem summam deponendo, Cicero *lib. 7. ad Atticum Epist. 20.* Livius *lib. 37. histor.* & ibidem Godelevius *in annotatis pag. 185.* Hoc ærarium sanctum Julius Cæsar, qui vexillis sublatis hostem Senatus sese profitebatur, quia tardius aperiebant Tribuni, effregit, censumque & patrimonium populi Romani ante rapuit, quam imperium, Plutarchus *in vitis illustribus,* Florus *lib. 4 cap. 2.* Appianus *lib. 2. de bello civili,* Dion Cassius *lib. 41. histor.*

II. *Vectigalia.*] Jus cudendæ monetæ, quâ vectigalia solvuntur & mercimonia in humano genere transiguntur, Principum semper proprium fuit, itaque Antiochus Sedetes Rex Syriæ dedit potestatem Simoni Principi Hebræorum, ut aureos argenteosque nummos effigie suâ impressos pro gente suâ cuderet, 1. *Maccab.* 15 8. Effigie inquam suâ impressos, quiâ aliàs nihil novi de-

dedisset, quandò hactenus usurpaverant foris ac domi suæ nummos Regum Babyloniæ, Persiæ, Asiæ, quibus suberant, imaginibus affectos. Videlicet effigies nomenq; Principis præservabant velut nummi valorem, & Principi authoritatem suam apud cives subditos conservabant. Itaque illi ipsi Hebræi deinceps, quandò sub Romanorum potestatem concedebant, nummos Cæsaris effigie & nomine insculptos unà cum suis monetis in quotidiano usu adhibuerunt, *Matth.* 22. 6. Dicit *Spondanus*: Mori, fuit apud Romanos, ut nummi pro ratione tributi vel census ab Imperatoribus cuderentur, nec uno semper modo illi permanerent, sed nummi tributorum, cum mutaretur tributi qualitas, noviter ab Imperatore formarentur gravioris vel levioris ponderis, secundum rationem tributi vel census, ut hujus rei testis est Lampridius in vitâ Alexandri Severi, cum agit de vectigalibus publicis ab eodem Imperatore contractis, *in Epitome Annalium, pag.* 27. *num.* 4. Respondeo: Atqui Servator monetam eam poscit statimque accipit, non uti rarius obviam, sed uti frequentem usu, quæque non pro censu tantum numerarentur sed præterea qnoque usibus vulgaribus inter Judæos inservirent. Peculiare nummorum genus à Cæsaribus ad hos usus esse factum, verum non est si vetera tempora respicias, primusque ità fecit Alexander Severus, uti refert Lampridius *in vita ejus*. Ante illum nihil tale erat, itaque apud Scriptores commemoratur velut novum Severi institutum. Servator verò monetam illam sibi tradi postulavit, Romanis quidem jubentibus cusam, nec tamen à Judæis rejectam, quamvis haberet Cæsaris imaginem, uti hodiè Judæus quascunque monetas manu versat. De quâ re porrò agunt Casaubonus *Exercitat.* 16. *dist.* 7. Johannes Seldenus *lib.* 2. *de Jure gentium secundum Hebræos cap.* 8. Cæterum antiqui Judæorum nummi ante μετοικησίαν Babylonicam cusi impressam Regum faciem non habent, quandò imagines Dei geniorum, hominum, animantium, velut peregrini cultus notas, lege Mosis prohibitas esse constaret, *Exodi* 20. 4. *Deuter.* 5. 14. Nomina tantum addebant, & insignium aliquod peculiariter gestæ rei. Sicli Regis Salomonis nomen ejus Regis ab uno latere habebant, ab altero nunc calicem mannæ, nunc floridam virgam Aharonis, nunc templum ab eo Rege structum, uti docent Caspar Waserus *lib.* 2. *de nummis Hebræorum cap.* 3. *seqq.* Ariæ Montanus *libro de Siclo Hebræorum*, Joh. Henr. Höttingerus *libro de nummis Hebræorum Tab.* 3. *num.* 1. 3. 5. *Tab.* 5. *num.* 4. 5. *Tab.* 6. *num.* 1. 4. Villalpandus *commentariis ad templum Ezechielis Tomo.* 3. *pag.* 388 389. Andreas Masius *commentariis ad librum Josuæ pag.* 135. Ludovicus Capellus *lib.* 1 *de Arcano punctorum pag.* 40. *seqq.* Quod verò Johan. Buxdorffius *Dissertatione de antiquis Hebræorum literis*, Wilhelmus Scikhardus *libro de Jure Regio Hebræorum pag.* 59. referunt de Rabbino Asariâ, vidisse eum Mantuæ in domo Pansæ argenteum nummum, in cujus parte unâ erat figura capitis humani, cum his vocibus margini adscriptis שלומה המלך, in alterâ parte erat figura templi cum hac Inscriptione, היכל השלך, utraque scriptura erat Hebraica vulgaris, hoc inquam, eadem scripturâ

râ, probante non poteſt referri ad ævum Salomonis, quo literæ Aſſyriacæ nondum erant populo Iudaico uſitatæ, verum illæ quas vocamus Phœnicicas & Samaritanas, uti docui *libro de Scripturâ ſacra Exercitat.* 13. Accedit, quod nummus ille additam habet figuram capitis humani, quodque Rex ille geſtat coronam radiatam, ut videre eſt apud Hottingerum *l. d. Tab.* 4. *num.* 6. 7. Atqui repugnat veteri gentis inſtituto, humanam figuram imprimere monetis, eoque magis ſuſpecta fuerit moneta ob coronam radiatam Orientis Regibus inſuetam. Geſtabant cidarim ſive pileum turritum, *πιλημα πυργωτὸν* vocat Strabo *lib.* 9. *Geograph.* isque diademate ad frontem obligabatur, quod Xenophon, Plutarchus, Arrianus, Curtius, Appianus multis locis docent, & veteres nummi confirmant apud Joh. Triſtanum *commentariis de Imperio Romano Tomo* 1. *pag.* 635. *Tomo* 2. *pag.* 518. Coronæ radiatæ fuerunt inventum Latinorum caſcorum, adeoq; Latino Aboriginum Regi talem coronam Virgilius imponit, *l.* 12 *Æneid.* In nummis Regum Imperatorumque conſecratorum junguntur tria iſta, fulmen, corona radiata, aſtrum. Lucanus:

Fulminibus manes radiisque ornabit & aſtris,

lib. 7. Pharſal. Corona ea conſtabat ex duodecim radiis promicantibus in laminâ aureâ, quam laminam Cæſares imponebant capiti, quomodò Cidarim geſtabant Reges Orientis in ſolennibus, tiaram verò quotidiano uſu imponebant plurimum à cidari diſtinctam, quandò proceres etiam tiarâ operiebantur, cidarim & huic alligatum diadema Reges ſoli adhibebant. Multa de hisce congerit Briſſonius *lib.* 2. *de Regno Perſarum,* Carolus Paſchalius *lib.* 9. *de coronis cap.* 13. Nummos in quibus depinguntur Cæſarum iſtæ coronæ radiatæ, apponunt Hubertus Golzius *libro de Cæſare Auguſto pag.* 21. Johan. Triſtanus *Commentariis de Imperio Romano Tomo* 1. *pag.* 139. 225. 227. 233. 236. 237. 246. 215. *Tomo* 2. *pag.* 494. 496. 509. 518. 520 569. *Tomo* 3. *pag.* 12 68. 70. 194. 195. Antonius Auguſtinus *Tab.* 16. *num.* 17. 22. *Tab.* 47, *num.* 17. *Tab.* 59. *num.* 9. *Tab.* 60. 5. Nummos Antonii Triumviri, in quibus ille poſt devictum Armeniæ Regem, tiaram Orientis Regibus uſitatam exhibet, profert idem Antonius Auguſtinus *Tab.* 7. *num.* 2. 5. Imitatus eſt Cæſar Auguſtus, *Tab.* 13. *num.* 10 Valdè errat Dionyſius Lambinus *notis ad Eumenem Cornelii Nepotis pag.* 200. qui in nummis illis rimatur Cidarim & diadema. Quorum neutrum cernitur, cernuntur verò tiara, pharetra, arcus Quid ergò? Ad Herodis tempora debent referri, qui templum reſtauravit, inque primi conditoris honorem vulgavit monetam *Salomonis facie* inſignitam, *coronam Latinam,* addendo, ut Judæis gratum faceret Salomonis memoriam recolendo, Romanis haut diſpliceret mores horum imitando, quandò utriuſque populi favorem ſibi multum eſſe utilem videbat.

III. Apud Latinos erant vetuſti nummi, qui parte unâ habebant Janum laureatum bifrontem, alterâ navem, quod referunt Athæus *lib.* 15. *dipnoſophiſt.* Plinius *lib.* 33. *hiſtor. natur. cap.* 3. Ovidius *lib.* 1. *f*[illegible] *m.* Mimmos pingunt Theodorus Camerus *lib.* 2. *variarum Lect. cap.* 23. Abrah Gorlæus *in Theſauro numiſmatum Tab.* 18. *num.* 1. *Tab.* 26. *num.* 1. *Tab.* 43. *num.* 1. *& in Dactyliotheca num.* 29. Antonius Auguſtinus *Tab.* 41.

41 *num.9.* & verò de Jano, quem Noam fuisse dicit Mattheus Hostus *lib. 1. de re nummaria cap.* 2. atq; nos certò credimus, plura diximus *lib. 1. Antiquitatum Romanarum c. 2. dist. 1.* Deinceps apud Romanos auctis bello & pace rebus, fuerunt Triumviri monetales, de quibus retulimus *lib. 3. Antiquit. Roman. c. 3 dist. 10.* Hinc est illud siglum: A. A. Æ F. quod rectè exponitur, *aurum, argentum, æs feriunto*, & publicè signanto, uti refert Cicero *lib. 3. de LL.* Inscriptio Romana, quam adfert Gruterus:

C. Cerellio. Fufidio. Annio. Ravio. C. F. O. V. F. Politiano. Sodali. Marciano. Aureliano. Commodiano. Helviano. Severiano. III. Vir. monet. A. A. A. F. F. Trib. Laticlavio. Leg. III. Cyr. VI. Vir. equit. Rom. turmæ. primæ. Quæstor. Candidato. Imp. Cæsaris. M. Aurelii. Antonii. pii. felicis. Aug. Trib. pl. Candidatus. pr. hastar. C. V. Fufidii. amicus. & Chrestina. nutritores.

In volumine pag. 379. Eorum crebra mentio est in nummis antiquis, quos prodit Sebastianus Erissus *expositione ad nummos Cæsarum pag.* 26. 37. 43. 49. 273. & illi adde Marquardum Frehetum *lib. 1. de re monetaria cap.* 1. Joh. Chokierum *libro de re nummaria cap.* 12. Reinerum Budelium *lib. 1. de monetis cap.* 2 3. 4. Jacobum Bornitium *lib. 1. de nummis cap. 8.* ubi accuratissimè de hoc negotio commentantur.

IV *Reponit.*] Quod vectigalia solvuntur Principi, est de jure divino, 1. *Samuel.* 8. 15. *Rom.* 13. 5. 6. 7. Apud Romanos propria & suprema cura Ærarii erat penes Quæstores. Hos primum duos habuerunt, qui monetam paratam custodiebant, prædas in urbem allatas justo precio vendebant, belli expensas annumerabant, vectigalia provinciarum certa (quæ aliâs stipendia vocabant) in rationes publicas referebant, in certa Publicanis addicebant, quæ illi à mercibus nomine portorii exigerent: quæque decimarum nomine capiebant ab illis qui agros publicos arabant: & quæ Scripturæ titulo petebant ab illis qui silvis & pascuis publicis fruebantur: quæque demum macelli titulo accipiebant ab omnibus rebus ad victum pertinentibus Hæc in summam aliquam redacta permittebantur, ut redimerent Publicani, causâ quæstus, atqui hi à provincialibus exigebant periculo suo, & Reipublicæ sese obligabant datis sponsoribus. Cumq; Publicani ferè Equites Romani essent, facilè illis erat pretia rerum augere, præter justum exigere, muneribus vero etiam ad amicos in urbe potentes missis defendere sese adversus querelas provincialium. πάντες τελῶναι πάντες εἰσιν ἅρπαγες, ait Xenion *in Epigrammatis.* Itaq; malè audiebant, apud Hebræos cumprimis *Matth.* 18. 17 *Luca* 3. 12. 13. *cap.* 15. 1. 2. Cæterum vectigalia *imperii patrimonium* vocat Florus *lib. 3. histor. Rom. cap.* 13 Ob tot & tanta negotia quatuor, octo, demum (Julii tempore) quadringinta in urbe & provinciis fuerunt Quæstores, Plutarchus *in vita Publicolæ*, Aulus Gellius *lib. 13. cap.* 13. Guilhelmus Budæus *annotatis prioribus ad Pandectas pag.* 111. *seqq.*

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Diatriba singularis de Imperio maris.

SUMMARIA.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. *Notæ ad Tabulam Capitolinam.*

8. *Inscriptio ad portam Capenam.*

9. *Na-*

I. SErius ad maris navigationem venerunt Romani. Equidem Ancus Martius Rex in usum navigationis fecerat Ostiam portum, de quo *Florus*: Ostiam in ipso maris fluminisque confinio coloniam posuit, ut totius mundi opes & commeatus illo veluti maritimo urbis hospitio reciperentur, *lib.* 1. *histor. Romanæ cap.* 4. Cæterùm de navibus fabricandis ad maris imperium obtinendum actum est demum in primo bello Punico. Nec infelici eventu. Victor enim classe Duillius, quod ante eum nemo conflictus navales inivisset, Triumphator summus in urbe provixit, Romani verò etiam dominium maris obtinuerunt. Livius *lib.* 17. *histor.* Florus *lib.* 2. *historiæ Rom. cap.* 2. Eutropius *lib.* 2. Duilio ob navalem hanc victoriam statua cum Columnâ rostratâ in foro posita est, uti refert Plinius *lib.* 33. *histor. natur. cap.* 1. Ejus basi Inscriptio addita erat, quam in Capitolii ruderibus inventam ediderunt Antonius Augustinus, Carolus Sigonius, Fulvius Ursinus, Justus Lipsius, Janus Gruterus, Onuphrius Panvinius *commentariis ad Triumphos Romanorum pag.* 10. Jacobus Lautus *part.* 3. *Antiquitatum Roman. Tab.* 16. Mutilata parte sui meliore cum esset, non eodem modo suppleverunt illam Antiquitatis consulti Est verò talis:

ano. exemet. leciones, aximosque. macestratos. ovem. castreis. exfociont. Macel. ucnando. cepet. enque. eodem. mac. em. navebos. mari. Consol. primos. c. lasesque. navales. primos. ornavet. pa. cumque. eis. navebos. claseis. pœnicas. om. sumas. copias. Carthacinienfis præsente. Dictatore. olorum. in. alto. mari. pucn. q. nave. cū. socieū. septem. osque. triresmosque. naveis. X. om. captom. numei. D. tom. captom. præda. numei. cccIↃↃↃ. captom. æs. oque. navale. præda. poplo. numos. donavit.

Sic ibi. De sensu ejus breviter annotabimus: *ano. exemet.*] Onufrius explere conatur: *Segestam, opidom. obsidione, exemet.* Lipsius etiam prolixius: *Segestanos socios & cognatos populi Romani obsidione exemet.* Narrat Polybius, quod Romani excensione in Siciliâ factâ Ægestanos ad ultima jam redactos obsidione liberaverint, *lib.* 1. *histor.* Ægesta & Segesta una atque eadem urbs celebris ab antiquo, uti eam describit Philippus Cluverius *lib.* 2. *Siciliæ antiquæ cap.* 2. 3.

II. Sequitur *leciones. aximosque macestratos. ovem. castreis. exfociont.*] Onufrius ita explere conatur: *Legiones Romanas periculo maximosque magistratus liberavit, civium m. novem castris exfociunt.* Lipsius aliter: *Legiones Carthaginienses maximosque magistratus, Luceis bovibus amissis novem, castris exfociont.* Adventantis exercitus terrore perculsi fugerunt Pœni. Id enim est *exfociont*, pro quo nunc dicimus *effugiunt*, uti secundum permutationem literarum apud priscos usitatam, exemplis ostendunt Josephus Scaliger *animadversionibus in Eusebium pag.* 104. 112. Gerhardus Joh. Vossius

sius *lib.1. de Arte Grammatica cap.21.* Simili figurâ exponi debet *maximus magistratus*, ubi par literarum est permutatio, & notatur Pœnorum Imperator bellicus in fugam datus, *amissis luceis bovibus novem*, id est, novem Elephantis. Scilicet Elephantos adhibuerunt bellis Orientales, quod ex plurimis Scriptoribus constat. Et quod Romani adversus Pyrrhum Macedoniæ Regem pugnando, in Italiæ regione Lucaniâ primò vidissent Elephantos deinceps illos vocabant Lucas boves, uti referunt Plinius *lib. 8. histor. natur. cap. 6.* Solinus *in Polyhistore cap.28.* Varro *lib. 6. de Lingua Latina pag 72.*

III. Porrò est: *Macel. ucnando. cepet. enque. codem. mac. em. navebos. mari. Consol. primos. c.*] Onufrius & Lipsius consensu uno supplent: *Macelam oppidom pugnando cepet, enque eodem magistratu rem navebos mari Consol primos ceset*, id est, gessit. Polybius in hanc sententiam de Romanis: Et ab Egestâ regressi Macellam oppidum vi expugnant, *l. d.* Ad Himerenses Thermas profectos ibique castra metatos esse, paulò post refert. In eo quidem itinere inter Egestam & Thermas fuit oppidum Macella, quamvis hodiè non exstat amplius.

IV. Sequitur: *Lasesque. navales. primos. ornavet. pa*]Onufrius supplet: *Classesq; navales primus ornavit palmâ.* Palmis naves decorabantur, additis corollis sertisque uti patet è Suetonio *lib 9. cap. 10* Cæterùm de palmarum usu in Triumphi solennibus vide *suprà cap. 10. dist. 1.*

V. Sequitur: *Cumque. eis. navebos. classeis pœnicas. om. sumas. copias. Carthacinensis præsente. Dictatore. olorum. in. alto mari. pucn.*] Lipsius supplet: *Cumque eis navebos classes Pœnicas omnes paratis, summas copias Carthacinienses præsente Dictatore ollorum in alto mari pugnando vicit.* De Pœnis vetere coloniâ Phænicum & Carthagine urbe diximus *suprà lib. 1. cap. 20. dist. 28.* Dictatore, id est, Hannibale, quomodò Romani vocabant eum qui domi suæ erat Sufes, uti fuit *suprà lib. 1. cap. 13. dist. 1.* Testatur *Livius*: Infestus ob direpta quædam ab conscendentibus naves militibus, ad colloquium Suffetes eorum, qui summus Pœnis est magistratus, elicuit cum Quæstore, *lib. 8. histor.*

VI. Sequitur: *que. nave. t. cum. socieis. septem. osque. trireismosque. naves. X.*] Lipsius ità perficit: *Tricintaque naves cepet cumsocius septemremosque quinqueresmosque triresmosque naves XX. depreset.* De triremibus quinqueremibus, septemremibus navibus dicemus *infrà dist. 9. 10.*

VII. Sequitur: *om. captom. numei. O. tom. captom. præda. numei. captom. as. oque. navale. præda poplo. numos. donavit.*] Scilicet Triumphator Consul epulum sumptibus publicis adornabat, & pecuniam in vulgû spargebat, uti diximus *suprà c. 10. dist. 6.*

VIII Eodem bello Lucius Cornelius Scipio viriliter egit. De quo idem *Florus*: Lucio Cornelio Scipione, cum jam Sicilia suburbana esset populi Romani provincia, serpente latius bello, Sardiniam annexamq; Corsicam transit: ubi & sic Caralæ urbis excidio incolas terruit, adeoque omnes terrâ, mari Pœnos expugnavit, *lib. 2. histor. Romanæ cap 2.* Mendum subesse in verbis illis, censent Eruditi, quandò Caralis urbs Sardiniæ nota quidem est, non item in Corsicâ unquã fuerat urbs nominis ejus, Legunt, *ibi Olbiæ & hic Aleriæ urbis excidio.* Ibi, scilicet

in Sardiniâ, hic, in Corsicâ. Itâ restituit Claudius Salmasius *in Exercitationibus ad Solinum pag.29.*& firmat emendationem Inscriptio de his gestis vetustissima, ad portam Capenam effossa, quam Hieronymus Aleander Parisiis evulgavit, & Iohan. Seldenus *prolegominis de Diis Syrorum cap.3.* refert: *Hic. cepet. Corsica. Aleriaque. urbe. dedit. tempestatibus. aedem. merito.* De Cornelio Scipione loquitur, qui hoc bello Pœnos Corsos, Sardos vicit. Tabula Capitolina de ejus Triumpho: *L. Cornel. L. F. Cn. N. Scipio. Cos. de. Pœnis. &. Sardin. Corsica. An. C. D. XCIV. V. Id. Mar.* Quanquam magno ipsi constitisset victoria ob Corsici maris intemperiem. Hinc intelligimus, de quo loquatur Ovidius:

Te quoque Tempestas meritam delubra fatentur,
Cum penè est Corsis obruta classis aquis,

lib.6.fastorum. Nimirum de L. Cornelio Scipione. Proindè Iacobus Thomasinus *libro de donariis cap.23* existimat non satis rectè, sonare Inscriptionem de Marco Marcello, qui à periculo navigationis in Corsicam & Sardiniam liberatus, ædem extrà portam Capenam dedicaverit Calendis Iunii. Namque de hac Marcelli dedicatione nusquam occurrit.

IX. Navium partes & species consideravimus *lib.4. Antiquit. Roman. dissertat.1. dist.1.2.* ubi legantur. Olim ratibus usi populi, vel etiam cavatis arboribus, ut refert Plinius *lib.16. cap.41.* Rudimenta illa codicaria expoliverunt Phœnices, & justam navium formam condiderunt, exemplo ejus quod olim fecerat Noachus Orbis reparator, sive Ianus Priscus. Refert *Plinius*: Nave primus in Græciam ex Ægypto Danaus advenit, ante ratibus navigabatur inventis in mari Rubro inter Insulas ab Erythrâ Rege, *lib.7. cap.56.* Erythrâ Rex vocatur Usous à Sanchuniathone Phœnicio apud Eusebium *lib.1. de præparat. Evangel. cap.10.* estque Esavus, quem sacræ literæ appellant Edom, primogenitus Patriarchæ Isaaci filius, uti diximus *suprà lib.1. cap.20. dist.27.* Romani incondendis navibus summam adhibebant diligentiam, monéres, seu uniremes, biremes, triremes, quadriremes, quinqueremes, sexiremes, septiremes, octiremes, noviremes, deciremes struendo. Maximæ hæ erant, & de Caligulâ prodit *Suetonius*: Fabricavit de cedris liburnicas magnâ thermarum, porticuum, tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate, *lib.4. cap.37.* Falsa est lectio, *fabricavit de cederis.* Non equidem negamus, è cedrino ligno factas esse naves in Oriente uti refert Diodorus Siculus *lib.2. Bibliothecæ*, verum nunc legi debet, *fabricavit deceres liburnicas.* Deceres, id est, decemremes, uti benè exponit Adrianus Turnebus *lib.9. adversarior. cap.5.* Scilicet decem ordines remorum habebant naves istæ, quales fuisse Antonii Triumviri naves describunt Strabo *lib.8. Geograph.* Dion Cassius *lib.51. histor.* De eisdem *Florus*: A senis in novenos remorum ordines, castellorum & urbium specie, *lib.4. histor. Rom. cap.11.* Quale navium genus ob ingentem magnitudinem tricliniorum & thermarum capax fuit. Minimæ erant uniremes, quas μονήρεις vocant Græci & Latino vocabulo extulit Livius *lib.38. cap.38.* uti quidem Godelevius, Gelenius, Fulvius Ursinus, Ioh. Frid. Gronovius, Henricus Savilius

lius, ediderunt: Neve plures quam decem naves actuarias (nulla plusquam triginta remis agatur) habeto, neve monerem ex belli causâ, quod ipse illaturus erit. *Sic ibi*, estque sermo de fœderis legibus quas victores Romani pepigerunt cum victo Antiocho Syriæ Rege. Vulgò legitur, *neve minorem ex belli causa*. Sed lectio altera uti eruditior, ità haut dubie verior est, licet impugnare velit Ioh. Schæferus *lib. 2. de militia navali pag. 81. 82.* Hoc jubent verba fœderis: Decem actuarias ruditer factas ob tuendos maris fines & causas alias liceat habere, cæterum navem bellicam firmiter constructam ne minimam quidem, uti moneris esset, habere deberet. Fuit igitur illa Romanorum sententia, ut non uteretur nisi modicæ quantitatis navigiis actuariis, quæ unius ordinis remiges per nulla tabulata interstinctos habebant, & in conflictu navali subsidiariæ poterant, pro salvandis naufragiis, annonâ convehendâ, explorando, portubus occupandis: careret verò omnibus navibus ad conflictus bellicos ex sese aptis, quales erant istæ quæ diversos remigum ordines habebant, rostris & tabulatis confirmatæ, uniremes, biremes, triremes. Ne videlicet pacem mari turbaret.

X. Quomodò sint Remigum ordines illi numerandi, controversia est apud Eruditos. Secundum longitudinem laterum à prora ad puppim, numerant Lazarus Baifius *libro de re navali pag. 16. 17. 247. 248.* Guilh. Castilioneus *commentariis ad Vitruvium pag. 128. seq.* Godescalcus Stewechius *notatis ad Vegetium pag. 414. 415. 430 431.* quomodò Galeæ nostrates sunt μονοκρότοι, quæ ab his trecentis aut quadringentis annis in usu sunt Europæis atque Asianis, eodemque modo pingit Iacobus Laurus *part. 3. Antiquitatum Romanarum Tab. 15. 16.* Aliter verò numerant Iosephus Scaliger *in Animadversionibus Eusebianis p. 61. seq.* Salmasius *in Observationibus ad Jus Romanum & Atticum cap. 28.* Franciscus Stypmannus *lib. 3. de navigatione cap. 3. num. 79. seqq.* Gerhardus Iohan. Vossius *in Lexico Etymologico pag. 532.* Ioh. Fridericus Gronovius *notis ad Livium lib. 38. cap. 38. pag. 614. 615.* Ioh. Scheferus *lib. 2 de militia navali pag. 93. seqq.* videlicet, ut juga & transtra remigum penes atque infrà sese ordinata essent, à catastromate summo tendendo versus carinam. Magnorum virorum authoritas tantum apud me valuit, ut posteriorem hanc sententiam defenderem in Recensu Antiquitatum Romanarum *lib. 4. dissertat. 1. dist. 4.* Nunc reverti decrevimus ad sententiam priorem, quæ secundum latitudinem ordines istos, de quibus sermo est collocat. Et ut constet, quæ de totâ re maximis difficultatibus obvolutâ, nostra sit opinio, paulò accuratius inquiremus in testimonia Authorum, quos prolixè adfert Ioh. Schæferus *l. d.* Dicit ille: (1.) *Lucani verba sunt:*

Summis longè petit æquora remis,

lib. 3. Pharsal. *Summis remis inquit, & quidem longe petivisse æquora, unde facile apparet, alios etiam habuisse remos aquis viciniores.* Atqui *summis*, id est superne imminendo aquis, & longe, quoniam pro navis magnitudine diversitas remorum magna fuit, brevioribusque remis utebantur triremium vectores, longioribus illi qui impellebant quadriremes. (2.) *Idem ex aliis Scriptorum locis comprobari potest. Silius Italicus ait: Intrat diffusos pestis Vulcania passim, Atque implet dispersa foros trepidatur omisso*

Summis remigio, sed enim tàm rebus in arctis Fama mali nondum tanti penetrarat adimos, lib. 14. Quibus verbis nescio an quid apertius ad roborandam hanc sententiam adduci queat. Atqui verba illa nihil probaverint, si consideres, remiges *summos* esse eos qui ad puppim considebant, *imos* qui ad proram aquis incubabant, illos vocabāt θαλαμίτας, hos θρανίτας, quiq; in *medio* laborabant erant ζυγῖται, uti monet vetus Scholiastes *ad Aristophanis Ranas*, quem nullo suo merito repudiat Josephus Scaliger. Nimirum pars illa ad puppim magis erigitur, quæ verò ad proram est, deprimitur magis. Adhæc in puppi constructū fuit prætorium, unde factum est ut elatior videretur puppis. Regerit *Schæferus* Qui summos remigum & imos hic pro primis ultimisq; vel pro iis qui ad proram puppimque remigant, accipiunt, illi rem ipsam intellectu parum assequi videntur. Non enim hic de igne in puppi tantum agitur, sed de tali qui dispersus totos foros impleverat, id est, per omnes in summo tabulas vagatus, necdum tamen ad eos, qui in imo erant, penetrare poterat. *Resp.* Foros vocat, & quis velit intelligere de tabulato integro à flammis correpto? Tabulati partem aliquam ignis absumserat & quidem proræ instratam, reliqua perstabat hactenus incolumis, sive in mediis intervallis, sive in puppi. (3.) *Extat apud Arrianum locus lib. 6. Expedit. Alexandri, in quo ista remorum in altum & supra se invicem positorum ratio ostenditur, ipsorum, ait, remi inferiores paulò admodum suprà undas erant dispositi. De biremibus est sermo, & manifestum est, naves quas describit, alios habuisse remos aquæ vicinos, alios remotiores, adeoque non secundum longitudinem tantummodo, sed & altitudinem dispositos.* Respondeo: τὰς κάτω κώπας, vocat Arrianus illos remiges, qui ad puppim sedebant, & fieri potest ut propter naves aut sistendas, aut convertendas aut in unum cogendas, non ejusdem longitudinis remos adhiberent θρανῖται, quales habebant θαλαμῖται. (4.) *Expressa sunt verba Pausaniæ lib. 7. ubi describit τὸ ἐν Δήλῳ πλοῖον, his verbis usus, καθῆκον εἰς ἐννέα ἐρέτας ἀπὸ τοῦ καταστρώματος, in novenos remigum ordines à tabulato ad imum distinctum. Verbum καθήκειν notat descensum à summo ad imum, & proindè navigium illud admirandæ magnitudinis erat ἐννήρης novem-remis.* Respondeo: καθήκειν verâ notione est idem quod *accrescere*, & dicit Pausanias, habuisse navem illam Remigum ordines novem à proræ tabulato numerando versus puppim, quilibet ordo, uti alias semper, ità nunc complectebatur ab uno latere septem remos, quos omnes ab utrovis latere in summam unam redigendo, efficias remos centum viginti sex à quibus novemremis illa per aquas natando concitabatur. (5.) *Virgilius versum appellat hos remorum ordines in triremi, cum dixit: Triplici Pubes quam Dardana versu Impellunt, terno consurgunt ordine remi. Quomodo etjam loquuntur alii.* Respondeo: Rem unam Virgilius enunciat non uno sermonis genere, quomodò solent Poëtæ loqui. *Triplici versu*, id est, totidem intervallis, quibus ab invicem separabantur remiges, undè etiam tres ordines exstiterunt, quilibet ordo septē remos includebat, ut proindè triremis traheretur quatragintà duobus remis, secundùm figuræ ejus modum, quam refert Antonius Bayfius *libro de re navali pag.* 37. & falsò ipse nobis pro septem remi navi obtru-

trudere conatur. (6.) *Lucanus: Cornua Romanæ classis, validaq; triremes. Quasq; quater surgens exstructi remigis ordo Commovet & plures quæ verrunt æquora pinus Multiplices cinxere ratem*, lib. 3. Pharsal. *Crescere dicit gemino ordine, quæ duplici constant iugis, superiore & inferiore, per modum tabulatorum. Nam longitudo jacet, altitudo crescit vel consurgit. Quæ enon possunt intelligi remorum ordines in porrectum.* Respondeo: Omninò possunt ac debent intelligi remorum ordines in porrectum. *Consurgens*, id est, augescens, in quantum triremis magnitudine inferior erat præ quadriremi, adeoque pluribus remis & remorum ordinibus impellebatur hæc quàm illa. Dicimus ergo si in altum & suprà se invicem ordines isti numerantur, multas occurrere difficultates: (1.) Quia omnium navium picturæ apud Ursinum, Golzium, Erissum, Gorlæum Petrum Seguinum, Antonium Augustinum ostendunt, remos penes se collocatos & ad latera æquales. Nulla verò navis ejus altitudinis reperitur, quæ innuat, quomodò tot ordines suprà se positos valuerit comprehendere. (2.) Quia non potuissent regi hujusmodi navium moles, in quibus remorum ordines suprà se collocati augebantur ad octo, novem, decem substructiones. Certè remi superiores impedivissent alios, qui in situ æquali erant inferiores (3.) Quia ad impellendam novem remem navem aut eò majorem, non potuissent remi præparari cū debitâ longitudine, multò minus fuisset virium humanarum opus, tàm vastæ longitudinis remos trahere, quamvis plures etiam remiges singulis remis adjungamus, uti alias factum esse constat, itaq; Plinius describendo quinqueremem, unà commemorat navē istam à *quadringentis remigibus* propulsam esse lib. 32. histor. natur. cap. 1 Scilicet, ab utrôque latere navis illa habebat remos septuagintà quorum singulos trahebant, plures remiges, ut remigum numerus quadringentos viros efficeret operi isti incumbentes.

XI. Totus ille navium apparatus à Græcis Insulanis & Pœnis ad Romanos pervenit. & Pœnorum quidem magistri fuerant Phœnicum clarissimi, Tyrii. Virgilius:

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago, Italiam contrà Tiberinaque longè
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli,

lib. 1. Æneid. Nobilissima inquam pars Phœnicum, & Oceani Eoi pariter atq; Atlantici olim potentes uti testantur Strabo *lib. 16. Geographiæ*, Pomponius Mela *in descriptione orbis terrarum lib. 1. cap. 12.* Curtius *lib. 4. histor. cap. 15.* Navigationes eorum in Indiæ Orientalis partes notissimæ sunt ex literis sacris, *1. Regum* 9. 27. 28. Hic enim Ophir fuit auri atque aromatum ferax. uti diximus *suprà lib. 1. cap. 20. dist. 15. 16.* Postquam Tyrios Chaldæi primùm, inde Macedones spoliaverunt & devastaverunt, navigatio Oceani sensim venit in desuetudinem, cum posteri non æquarent majorū industriam. Atq; hoc fieri poterat eò facilius, quo periculosior & cum quotidiano damno ferè conjuncta erat navigatio per Oceanum, ob magnetis usum eis incognitum. Certissimum hoc est, veteresque Aristoteles, Marinus Tyrius, Plinius, Ptolomæus, qui de rerū naturalium proprietatibus, aut etiam de rebus ad naviculariam pertinentibus diligenter scripserunt, nusquam tamen magne-

tis verticitatem, id est, virtutem *βορειοδεικτικὴν* commemorant quia nesciebant. Contendunt Fullerus *lib.* 4. *miscellan. cap.* 19. Levinus Lemnius *lib.* 3. *de occultis naturæ miraculis cap.* 4. quod magnetis usum in re nauticâ habuerint cognitum veteres Sidonii, Tyrii, Pœni. Verum divinant potius quàm probant illud quod asserunt, adeoque rectius negant Iosephus Acosta *lib.* 1. *de natura novi orbis cap.* 17. 18. Samuel Bochardus *in Geographia sacra part.* 2. *lib.* 2. *fol.* 716. *seqq.* Nicolaus Cabæus *lib.* 1. *de magnete cap.* 6. Athanasius Kircherus *lib.* 1. *de magnete pag.* 18. *seqq.* Gilbertus Anglus *lib.* 1. *de magnete cap.* 1. Legebant oras & ductu siderum regebantur multum, remis confisi, libera vela non semper adhibebant. Tibullus:

Ducunt instabiles sidera certa rates,

lib. 1. Eleg. 10. Petronius: *Gubernator qui pervigil noctis siderum quoque motus custodit* in Satyrico pag. 117. Adfert Lemnius illud *Plauti*: Si huc item properes, ut istuc prope ras, facies rectius, huc secundus ventus nunc est, cape modò versoriam, *in Mercatore Actu* 5. *sc.* 2. *& in Trinummo Act.* 4. *sc.* 3. Respondeo: Versoria illa nihil aliud est quam temo aut velum, quorum ope navis in omnem partem versa compellitur, ut ait Turnebus *lib.* 20. *Adversariorum cap.* 4. Certè Veneti & Lusitani secuti ductum Canopi, & à littorum indiciis quædam argumenta petendo, meridionales Africæ regiones Indiæque confinia per mare adiverunt dudum, antequam pyxis nautica per Flavium Amalphitanum constructa est, testibus Petro Medinensi *lib.* 1. *de arte navigandi*, Petro Ciezâ *lib.* 2. *historiæ Indicæ. c.* 9. Franscisco Gomara *lib.* 1. *historiæ Indicæ.*

XII. De Pœnorum navigationibus testatur *Periphus Hannonis* Græco sermone edita per Conradum Gesnerum, quam nos Latinam dabimus, notisq; adjectis explanabimus. Ea verò sic habet: Hannonis Carthaginensium Regis periplus seu circumnavigatio, quâ emensus est Africam ultra columnas Herculis, quem commentarium in templo Saturni consecravit, ista commemorantem. Placuit Carthaginensibus Hannoni negotium dare, ut navigatione ultrâ columnas Herculis institutâ Libyphœnicum oppida coloniis frequentaret. Et profectus est cum classe sexagintâ navium actuariarum quinquaginta remis instructarum, ac virorum mulierumque numero ad trigintâ millia, habebatque secum frumentum & reliquum apparatum portu autem egressi, cum Herculis columnas prætervissemus, biduique cursum confecissemus, primam urbem condidimus eamq; Thymiaterium appellavimus. Suberat ibi magna planities. Subinde ad occidentem provecti, ad promontorium Libycum multis arboribus consitum Soloenta pervenimus Ibi excitato Neptuni de lubro iterum progressi sumus ad Orientem solem, donec venimus iter dimidiæ diei in paludem non planè à mari, multâ magnâque arundine plenam. Inerant Elephantes, aliaque complura, quæ pascebantur, animalia. Cum autem quasi cursu unius diei paludem prætervecti essemus, urbes ad mare exstruximus, quarum nomina, Cariconticus, Gytte, Acra, Melitta, & Arambys. Inde digressi magnum fluvium Lixum intravimus, quod ex Libya oritur. Accolas habet pastoritium genus Lixitas, pecoribus pascendis deditos, cum qui-

bus amicitiâ conjunctâ aliquantum temporis substitimus. Suprà horum regionem Æthiopes omnis hospitalis commercii expertes terram incolebant feris plenam, magnisque distinctam montibus, è quibus originem Lixi repetunt. Circà montes autem inusitatâ specie homines habitant, Troglodytę, quos cursibus equorum pernicitatem anteire, Lixitæ ferebant. Nos interpretibus acceptis deserti oram ad meridiem per biduum prætervecti sumus, unde rursus ad Orientem solem conversi, unius diei cursum confecimus. Ibi in recessu cujusdam sinus exiguam insulam, stadiorum quinque ambitu invenimus, eamque deductis colonis Cernen appellavimus. Notavimus autem in circumeundo, eam è regione Carthaginis sitam esse. Videbatur enim cursus Carthagine quidem ad columnas, inde ad Cernen æquali intervallo procedere. Inde per ingentem cursu delati fluvium in stagnum, nomen est Chretes, pervenimus, in quo tres cernebantur Insulæ majores quam Cerne. Ab his confecto cursu diurno in sinum quendam stagni perventum est. Immmebant autem stagno alti montes, è quibus homines feri & belluarum pellibus amicti, saxa jaculantes nos abigebant, neque egredi navibus sinebant. Digressi inde in alium delati sumus fluvium magnum & latum, in quo multi crocodili & hippotami visebantur. Tum converso cursu ad insulam Cernen regressi sumus. Illinc versus meridiem profecti duodecim per dies oram legebamus littoris, in quo Æthiopes habitabant, refugientes congressum nostrum, linguâque utentes etiam Lixitis, qui nobiscum erant, parum intellectâ. Postremo die accessimus ad montes magnos & silvosos, lignis arborum odore & varietate notabilibus. His biduo circumitis in immensum maris barathrum delati sumus. Ejus maris ab alterâ parte planities erat, unde de nocte prospiciebamus, ignem undique efferri per intervalla locorum, alibi magis, alibi minus. Aquâ autem indę petitâ, ulterius provecti, quinque diebus oram legebamus, donec in magnum quendam sinum, quem Interpretes Hesperium cornu vocari ajebant, deventum est. Hic Insula erat ingens, & in Insulâ stagnum maris specie, & in stagno alia Insula. In hanc exscensione factâ interdiu quidem nihil cernebamus præter silvam, nocte autem multi ignes collucebant, & vox tibiarum tum cymbalorum & tympanorum strepitus cum clamoribus dissonis audiebantur. Timore itaque nos perterritos, vates quoque abscedere Insula jubebant Celeriter igitur profecti regionem præterivimus odoribus æstuantem, unde & plures igniti torrentes in mare ferebantur, ità ut præ fervore inaccessa esset, quare neque hic moras trahere pavor nos sinebat, repetito autem cursu, post quartum diem appuruit nobis de nocte terra flammis plena, cujus in medio ignis altissimus majorque cæteris sidera attingere videbatur, diurno autem tempore montis maximi speciem præferebat, quem deorum vehiculum appellitabant. Tertio post die præteritis illis ignitis torrentibus, in sinum pervenimus, qui Cornu Austri vocabatur. In recessu Insula erat priori similis stagnum habens, in quo alia Insula feris plena hominibus, multò plures autem fœminæ inerant hirsuto corpore, quas Interpretes vocabant Gorillas. Cum autem con-

consectaremus incolas, virorum quidem neminem intercipere potuimus, omnes enim effugerunt, per præcipitia discurrere & nullo negocio vim à se propulsare assueti. Fœminæ autem tres captæ, eos à quibus ducebantur, morsu laniatuque appetebant, neque sequi volebant. Occisis tamen pelles detraximus & Carthaginem detulimus. Neque enim ulterius navigare contendimus, cum annona jam nos deficere cœpisset. *Hactenus Periplus.*

XIII. Et quanquam de istâ Hannonis relatione non adeò præclare sentiant Gerhardus Joh. Vossius *lib. 4. de Historicis Græcis pag. 513. 514.* Georgius Hornius *Introductione ad Geographiam antiquam*, malintque inter fabulosa referre, vix tamen fidem fecerint illis qui accurato examine instituto, fabulas nullas in verissimâ relatione comperient. Testatur *Plinius*, quod Carthaginis potentiâ florente, Hanno extra Gades profectus maritimo itinere Africam totam circumnavigaverit, adusque fines Arabiæ, & navigationem illam prodiderit scripto, *lib. 2. histor. naturalis cap. 67.* Quanquam, uti statim declarabimus, vix dimidiam Africam circumnavigaverit Hanno, & ob falsa aliorum narrata, qui Punicas antiquitates non satis intellexerant, factum sit, ut Plinius vera falsis permisceat. *Hannonis Carthaginensium Regis.*] Apud Phœnicas & horum colonos Pœnos מלך erat quilibet magistratus, etiam cum potestate modicâ, itaque Hanno vocatur Rex qui officii ratione Sufes erat, uti prolixius dictum est *suprà lib. 1. cap. 13. dist. 1* ubi legatur. *In templo Saturni consecravit.*] Quem illi colebant sub nomine Moloch, uti Orientis populi communiter vocabant, & nos docuimus in Recensu Antiquitatum Romanarum *lib. 1. cap. 6. dist. 11.* ubi plura testimonia protulimus. *Libyphœnicum oppida colonis frequentaret.*] Namque Tyrii, Sidonii, Palæstini maritimi, in viciniâ illâ dudum ante per naves ultrò citroque commeando urbes aliquas condiderant, quod refert Strabo lib. 1. Geographiæ. *Eamque Thumyaterium appellavimus.*] Θυμιατηρία vocat Stephanus περὶ πόλεων, & sonabat lingua Punicâ דמאתירא quasi πεδιάδα dixeris, id est, campestrem urbem. Fortè non procul inde, ubi nunc est Tingi, quam urbem esse originis Phœniciæ, refert, qui ibi natus est, Pomponius Mela *lib. 2. de situ Orbis cap. 6.*

XIV. Sequitur: *Ad promontorium Libycum multis arboribus consitum, Soloënta, pervenimus.*] Stephanus l. d. σολόεις ἄκρα τῆς Λιβύης, nomē Punicum fuit סלעים rupes. Hodiè est Capo Cantin. *Ibi excitato Neptuni delubro.*] ποσειδῶνιον ἱερὸν, quem vocabant Melicartum, ut autumat Nicol. Fullerus lib. 3. miscellan. sacrorum cap. 16. Nomen est Phœnicium מלך קרתא, ὁ πολιοῦχος θεός. Quare Seldenus Syntagm. 1. de Dis Syrorum pag 182. scribat, *quid sit ἀρχ in dictione μελικάρθος non satis intelligo*, causa nulla est evidens, ut pote quod eum latere non posset manifesta vocis compositio secundùm dialectum Syriacam. *Quarum nomina Cariconticus Gytte, Acra, Melitta, & Arambys*] καρικὸν τεῖχος est קיר חרס murus Solis, qualem urbem in Moabytarum regno commemorant sacræ literæ, 2. Regum 3. 25. Esaiæ 16 11. γύττη est גתה pecorosa, quod ibi pascua loca viderentur pecoribus alendis incrementum addere posse. ἄκρα est notissimum illud הקרא, munimentum, quomo-

modò valet 2. Samuel. 7.9. 1. Maccab. 1. 35. μέλιττα est מליטא urbs lateritia, id est coctis lapidibus substructa. ἄραμβυς est חר־צנבין mons uvarum, namq; vites in istis locis copiâ magnâ extitisse, produnt Strabo lib. 17. Geograph. Plinius lib. 5. histor. natur. cap. 1. De his civitatibus non amplius exstat, quod locis illis ob arenosum solum male cultis vix proficere incolæ possent. *In magnum fluvium Lixum pervenimus.*] λίξος est à Phœnicio ליש sive leo, oritur enim ex Æthiopum circà montem Atlantem terrâ θηριώδες sive feris & leonibus frequenti. Hodiè est Tensist apud Joh. Leonem lib. 9. descriptionis Africæ. *Desertis oram ad meridiem.*] Ubi nunc sunt Zanhaga & Gualata Nigritarum. *In recessu cujusdam sinus.*] Ubi nunc est Capo Blanco. *Deductis colonis Cernen appellavimus.*] Nomen Phœnicicum, est חרנאה postremum habitationis, sive ultima habitatio, uti monet Samuel Bochardus part 2. Geogr. sacræ lib. 1. cap. 37. Ultima autem & Dionysio dicitur.

πυμάτης παρὰ τέμπεα κέρνης.

in Periegesi. Phœnices enim ulterius coloniam nullam deduxerant hactenus, primusque Hanno terminum hunc navigationis excessit. Cernen esse usquam locorum, negat Strabo lib. 1. *Geograph.* & cum Eratosthene litigat, quod ille talem Insulam aliquam in Oceano ponat. Verum Eratosthenes sequebatur Pœnorum antiquas relationes ipsi exactè cognitas, quas omnes in dubium vocando Strabo, non est mirum, quod parum fidei adhibuerit eis qui Cernen in Oceano Atlantico sitam tradebant. Esse verò Insulam eam, quam Maderam hodiè vocamus arbitrantur Gesnerus *notatis ad Periplum*, & Phil. Cluverus *Introduct. Geograph. lib. 6. cap.* 10. Verum illa procul à continente, distat, & ab omni ætate inculta fuit. Non majori probabilitate differit Georgius Hornius *lib.* 2. *Originum Americanarum cap.* 9. quod fuerit Canaria aliqua. Sanè hæc etiam procul à Continente abest, quamvis haud negare velim, Canarias primùm habitas fuisse à Phœnicibus, quandò in Mauritaniâ consedisse Amorrhæos dictum est *suprà lib. 1. cap. 20. dist.* 29. unde in has Insulas brevis est trajectus. Cumque Plinii & Solini ævo desertæ jacuerint, oppidorum ruinis exstantibus, inde colligas, earum incolas aliò profectos, & fortè in Americam. Donec Mauri eas repeterent, suæque gentis hominibus implerent. Multas aliorum conjecturas profert Abrahamus Ortelius *in Thesauro Geographico*, quos inter Joh. Baptista Rhamnusius *in Itinerario Orientali*, & Joh. Mariana *lib.* 1. *descriptionis Hispaniæ* dicunt esse promontorium Arguin, retinetq; Isaac Vossius *notis ad lib.* 3. *Melæ pag.* 309 Nos tamen malumus exponere, ut sint Insulæ dos Couros. *Per ingentem cursu delati fluvium in stagnum.*] Nescio quomodò illa in Punico, sonuerint. Hoc verum est quod littus infrà dictas Insulas sit vadosum ob syrtes, & plures Insulas habeat ad promontorium Arguin. Vocant nunc Insulas Darao. Fluvius Chretes corrupto nomine est, quod emendatius pronunciat Aristoteles, χρεμέτης, *lib. 1. Meteororum cap.* 13 estque Punico sermone נהר כרמאת fluvius vinearum, quandò constat, iis locis vineas copiosas olim fuisse. *In alium delati sumus fluvium magnum.*] Est Rio Sancti Johannis. *Oram legebamus littoris.*] Tractus ille ad mare vocatur

eatur Costa de Anderotte. *In immensum maris barathrum.*] Ubi nunc est Capo Tarem. *Ignem undique efferri per intervalla locorum.*] Quod hodiè etiam faciunt, atque incensis facibus abigunt belluas. *Quem Interpretes Hesperi Cornu vocari ajebant.*) ἑσπέρου κέρας: est promontorium illud famosum, quod Capo Verde appellatur, uti rectè observat Ortelius *in Thesauro Geographico*. Valdè hallucinantur Petrus Bertius *lib.* 1. *Tabularum contractarum pag.* 48. Hugo Grotius *libro de mari libero cap.* 5. Joh. Isaacus Pontanus *lib.* 2. *discussionum marinarum cap.* 5. cum ad promontorium Bonæ spei pertrahant, neque enim eousque progressus fuit Hanno. *Insula erat ingens.*) Suprà atque infrà promontorium illud sunt plures Insulæ, magni etiam lacus, in lacubus exstant syrtes. Quæ omnia sunt à fluvio Negro qui in tractu illo pluribus ostiis mare petit. *Prætervimus regionem odoribus æstuantem.*) Ob palmas ibi frequentes. *Plures igniti torrentes.*) Aquæ fervidæ ob æstum in Zonâ torridâ summum. *Terra flammis plena.*) Ob causas illas quas ante diximus. *Quem Deorum vehiculum appellabant.*) Sunt montes Guineæ. *Qui Cornu Austri vocabatur.*) Est Sierra Leona promontorium Guineæ adeò altum, ut ducentis & amplius passuum millibus nonnunquam conspiciatur. Latera ejus perpetuò virent odoratis omnium generum arboribus vertex æternis incingitur nebulis, quas ne ardentissimus quidem Sol unquam dispellere ac vix perrumpere possit. Hinc fit, ut continuis fulminibus ac tonitruis noctu præsertim verberetur, quorum fragor est similis rugitui Leonum, atque inde promontorio Lusitani dederunt nomen. *Insula erat priori similis.*) Hodiè vocatur Roxa, estque non procul inde fluvius dos palmas. *Fœminæ inerant hirsuto corpore.*) Meminit Plinius lib. 6. histor. natur. cap. 31. *Vocabant Gorillas.*) Aut verius Gorgidas, unde sunt Insulæ Gorgides ad promontorium viride quas alio nomine vocamus Hesperidas. De his Marcus Lescarbotus *lib.* 1. *Franciæ Occidental. cap.* 3. ait: Hesperides sunt Insulæ Cuba, Hispaniola, reliquæ in freto Mexicano. Herculem ibi fuisse, haud alienum est à virtute ejus. *Sic ille.* Quod vanum est, quandoquidem de promontorio Hesperio satis constat ex præcedentibus. *Pelles detraximus.*) Quæ in Junonis templo repositæ videbantur usque ad Carthaginem captam, ait Plinius l. d. *Neque enim ulterius navigare contendimus.*) Non ergò pervenit in Arabiam, secus quàm Plinio visum fuit, perindè uti refert. Metello Galliæ Proconsuli Indos à Rege Suevorum dono datos esse, qui ex Indiâ commerciorum gratiâ navigantes, vi tempestatum abrepti fuerant in Germaniam. Sanè indi non fuerunt, quanquam Franciscus Gomara *lib.* 1. *rerum Hispanicarum* contendat, hos venisse à Laboradoris terrâ, quæ est pars Americæ septemtrionalis. Quod si verum est, oportebat eos per mare hyperboreum irrupisse in mare Septentrionale, itinere prorsus impossibili. Itaque Isaac Vossius *notis ad lib.* 3. *Pomponii Melæ pag.* 249.250. existimat, legi debere in Plinio, *Rege Bætorum.* Bætos ait esse Batavos, & qui ad illos naufragio facto appulerant, Britannos fuisse homines Indis similes, quod Britanni olim corpora sua fuco cæruleo pingerent, ut Indos fecisse constat. *Sic ille.* Atqui magis verosimile est, fuisse Grunlandos & Lapponos, qui in mari Cronio navi-

navigantes, cumque ventorum impetu luctati Codanum sinum petiverunt, inque Balthicâ Germaniâ naufragi appulerunt, novi hospites, nova monstra Regibus oblata. Et Rex ille Suevorum erat qui imperabat populis ad Mare Balthicum sitis. Hos enim Suevos appellatos fuisse, constat ex Julio Cæsare *lib.* 4. *commentar.* Tacito *libro de moribus Germanorum cap.* 45.

XV. Quæritur: *An mare magnum possit dominio occupari*? Respondeo: De fluviis, lacubus, stagnis controversia nulla est, quin possint dominio proprio occupari ab illo domino, qui littora & circumsitos agros in potestate habet: verum de Oceano ipso controversia est, an partem ejus insignem possit Rex aliquis jure proprietatis sibi asserere, ut ab ejus communi usu populos alios removeat? Negant Hugo Grotius *libro de mari libero cap.* 5. & *lib.* 2. *de Jure belli ac pacis cap.* 3. *dist.* 8. *seqq.* Theodorus Graswinkelius *in vindiciis maris liberi*, Franciscus Stypmannus *lib.* 1. *de Navigatione cap.* 4. *num* 16. *seqq.* Johan. Isaacus Pontanus *lib.* 2. *discussionum marinarum cap.* 1. Adferunt rationes: (1.) Quod tanta est maris magnitudo, ut ad quemvis usum populis omnibus sufficiat, videlicet ad hauriendam aquam, ad navigationem, ad piscandum. *Respondeo* Abundantia rei non vetat, quin illa sub dominium veniat. Potius, quia totus Oceanus sufficit omnibus populis & ad omnes usus, occupari potest per partes insigniores citrà injuriam alterius. Remanet enim semper de toto, quod aliorum usibus sufficit. (2.) Quod occupatio non procedit nisi in re terminatâ, ergò liquida quæ per se non terminantur, non possunt occupari. *Respondeo*: Quamvis Oceanus haut terminetur finibus suis, attamen finibus alienis concluditur, idque sufficit ad statuendum dominium. Nimirum terminatur littoribus, quod tum sacrarum literarum authoritas, *Jobi* 38. 8. *Proverb.* 8. 59. tum universalis hominum consensus oppidò confirmant. Regerit *Stypmannus*: Littora solùm definiunt maris extrema, *l. d. num.* 90. Atqui ità est, quod extrema finit. Neque enim alius usquam est, quàm extremorum terminus, & ripæ nonnisi extrema fluminis terminant, quæ tamen dominio occupari posse nemo ausit inficiari. *Pontani* exceptio est: terminant equidem sinus & littora vera, verum quid hoc ad vastum Oceanum? *Respondeo*: Etiam Oceano ponere liceat terminos, quales sunt scopuli, adversa invicem promontoria, insulæ hinc inde sparsæ, è quibus possunt mathematicæ liniæ quaquaversus duci. Ità Persæ & Græciæ populi invicem pepigerunt, ne qua navis Medica armata extrà Cyaneas & Chelidonia navigaret, teste Plutarcho *in vita Cimonis*. In fœdere illo quod post Reges ejectos Romani cum Pœnis fecerant, convenerant, ne Romani & horum socii, ultra Pulchrum promontoriũ navigarent, extrà quod si tempestatis aut hostium vi compulsi essent nihil acciperent præter necessaria, & intrà diem quintum abscederent. Sarpedon & Cadycednus promontoria Ciliciæ, sunt ad maritimum dominium distinguendum termini in fœdere, quod Romani & Antiochus Syriæ Rex iniverunt, teste Polybio *libro de Legationibus cap.* 35. (3.) Mare dicitur esse commune, perinde uti communis est aër, *l.* 3. §. 1. *ne quid in locis publicis.* Respondeo: Verum hoc est de libero usu maris

& aëris, quique non est cum emolumento peculiari, undè alii damnum conciliatur, qui littora & terras occupavit. Propterea neque aucupium omnibus ubiqui licet, quia ejus est cœlum cujus est solum, neq, piscationes licent, quando certis in locis certa piscium genera nutrit mare, undè amplus quæstus redire potest ad populum illum, qui ob littoris vicinam propior est ad procurandam, capturam. Itá nec aër communis adeò est, ut eo pro lubitu utamur cum proximi damno. Statuta nota sunt de ædibus non altius tollendis, de luminibus non officiendis in contermino aëre, undè *in novo opere nunciato, tam soli quàm cœli mensuram esse faciendam*, ait Pomponius *l. 21. ff. Tit. quod vi aut clam* § 2. Concludimus ergò quemlibet esse dominum rerum suarum, quæ vel stabiles sunt, vel cum stabilibus jure quodam utili cohærent, uti sunt littorum excursiones per mare, quæq; littoribus appropinquant, nimirum pisces, corallia, gemę, succinũ, portus, pontes, arundines, scirpus, arenæ metallorũ feraces cannæ aromaticæ, salicta.

XVI. Instat *Stypmannus*: Natura instituit commerciorum jus, quod tollitur, cum mare prorsus clauditur. *Respondeo*: Non tollitur commerciorum jus, verum potius stabilitur, cum quisque velit rebus propriis, non suo tantum, sed etiam aliorum bono uti. Verbo, non dubitatur commune esse, verum quomodò communitas illi ad hunc vel illum restricta locum usurpari possit, ut communitàs omnium locorum inde usum habeat, quæritur. Nos cum Johanne Seldeno *lib. 1. de mari clauso cap. 1. 2. seqq.* Tomâ Rivio *lib. 3. historiæ navalis cap. 27. 38.* Bartholomæo Morisoto *in Orbe maritimo lib. 2. cap. 1. seq.* Jacobo Godofredo *libro de Imperio maris*, Guilhelmo Welwood *libro de dominio maris cap. 4. seqq.* Johanne Strauchio *dissertatione de imperio maris quæst. 2.* affirmamus, quod Princeps aliquis possit Oceani partem terris suis vicinam & commodam dominio suo occupare. Rationes nostræ sunt istæ: (1.) Quia jus gentium probat, esse Reges populosq; liberos cum maris dominio potentes, quatenus illud navibus & commerciis suis onerant, sibique asserunt quousque terræ ipsorum stabiles permittunt. De Hebræis in Oceani partes vicinas jura sua exercentibus, testantur literæ sacræ, *Genes.* 49. 13. *Numer.* 34. 6. *Deut.* 33. 23. *Judic.* 5. 17. Excipit *Stypmannus*: Loquuntur ista de particularibus maribus, *l. d. num.* 81. Respondeo: Ista verò sunt pars magni maris, adeoque hoc volumus; neque enim dicimus mare magnum esse Regis unius proprietatem, sed partes ejus perinde esse dividuas, ut possint dominio occupari, uti quidem fit in terrâ solida. (2.) Quia est populorum universalis in hac re consensus, itaque antiquissimum maris dominium ob classem potentem erat Minois Regis in Creta, τῆς ἑλληνικῆς θαλάσσης ἐπὶ πλεῖστον ἐκράτησεν, de Rege illo ait Thucydides *lib. 1. hist.* Eum deinceps Rhodii, Cyprii, & imprimis Tyrii sequuti sunt, de quibus est *Ezechiel.* 27. 3. 4. *seqq.* Ab his Græci maris usum in commerciis agitandis & portubus aperiendis acceperunt, ut prolixè ostendit Seldenus *lib. 1. Maris clausi cap.* 9. 10. *seqq.* Dicit *Stypmannus*: Specialis gentium relatio nihil concludit ad universale. *Respondeo*: Inductio certè multum concludit, ubi de gentium moribus pro jure ipso in-

inferendo semper voluerunt Prudentes ità agere. Est enim hoc jus, ut rectè notat Dion Chrisostomus, εὕρεμα βίου καὶ χρόνου, *repertum temporis atque usus*, itaque non potest aliter probari quàm usu continuo & peritorum testimonio. Regerit: *Conditio rei obstat* Atqui non obstat, quoniam res ipsa mensurari potest, & Reges moribus suis usi consuetudinem sanciverunt, quæ Legis instar sit. (3.) Quia à Græcis idem jus acceperunt & defenderunt Pœni, Hispani, Galli, Britanni, Suedi, Norvagi, Dani, omnes Europæ populi ad mare siti, & maris dominio aliquo ad privatum emolumentum semper usi, ut alios inde velut peregrinos aut excluderent omninò aut sub onere vectigalium admitterent. *Totus mundus illo jure utitur*, ait Chacheranus *decis. Pedemontana* 155. *num.* 4. & porrò ostendit Joh. Seldenus *l. d. cap.* 14. 15 *seqq.* (4.) Quia Romani imperium exercuerunt in quasvis Oceani partes ipsis vicinas, quod satis docet Lex Rhodia *de jactu*, ad quam doctissimum commentarium edidit Jacobus Godofredus, eique adde Arnoldum Vinnium *notis ad Petri Peckii jus maritimum.*

XVII. Nos describemus quædam *à Samuele Petito*: Non satis, *inquit*, diligenter excussa sunt, quæ refert ex Lege Rhodiâ *Volusius Mucianus lib.* 9. *D.* Quid hic monstri est, eos qui in mari ad Italiam naufragium fecerunt, à publicanis qui in Cycladibus sunt insulis, direptos fuisse? ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων, τῶν τὰς κυκλάδας νήσους οἰκούντων. Uude publicani Cycladum Insularum ad Italiam? Præterca non negat Antonius, se maris dominum esse, ut non possit leges dicere iis, qui navigant, vides enim velle jus dici Eudæmoni & publicanis, qui in Cycladibus Insulis, ex Lege Rhodiâ; neque item dicit, se ità teneri hac Lege Rhodiâ, ut non possit omninò Eudæmoni succurrere adversus hanc legem, si quid illi fiat injuriæ sed vult Eudæmoni judicium reddi ex hac quidem lege, ità tamen ut Romanarum legum nulli adversetur hæc lex. Atque ex his manifesti satis arguitur vitii hic locus de ejus porrò emendatione agendum restat. Rescribendum itaque putamus, ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Τηλίᾳ, διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων, τῶν τὰς κυκλάδας νήσους οἰκούντων. Corruptio hinc manavit. Scriptum olim, ἐν τῃτηλίαι quod cum non intelligerent homines libris corrumpendis nati, mutaverunt in ἐν τῇ ἰταλίᾳ. Emendationis ratio hæc est: Telus una erat è Cycladibus. *Stephanus*, Τῆλος, νῆσος τῶν κυκλάδων. Dixit autem Eudæmon, ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Τηλίᾳ, supple θαλάσσῃ, naufragium fecimus in mari Telino, sive ad insulam Telum, quæ ut diximus, una erat de Cycladibus: itaque publicani quæ in Insulis erant Cycladibus, undique advolaverunt, uti diriperent merces, quæ naufragio peribant. Sequitur in rescripto Antonini ad Eudæmonem, ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ ἄνεμος τῆς θαλάσσης, τῷ νόμῳ τῶν ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ. Querebatur Eudæmon, se naufragium fecisse, & prętereà merces suas in naufragio à publicanis direptas fuisse. Ad prius respondet Antoninus, se quidem orbis dominum esse, sed tamen vento imperium esse in mare, ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ ἄνεμος τῆς θαλάσσης, neque à se vento legem poni posse, itaque ne faceret

naufragium Eudæmon, à se præstari non potuisse. Quod ad alterum verò attinet, jubet, ut ex Lege Rhodiâ cum publicanis judicio experiatur. Hactenus ille *lib. 3. Miscellaneorum cap.* 11. Et cum illo Joh. Isaacus Pontanus *lib. 2. discussionum marinarum pag.* 209. 210. Claudius Salmasius *libro de modo usurarum pag.* 199 *seqq.* Franciscus Stypmannus *lib. 1. de navigatione cap. 6. num* 125. *seqq.*

XVIII. Non satis benè considerabat vir doctus, quod Eudæmon conqueratur, haut quidem de naufragio facto, ut adversus illud Cæsar auxilio sibi esset; verum de rapinâ à servis publicis admissâ, quos cupiebat ad restituenda ablata Cæsaris mandato adigi. Naufragium commemorat ideò quoniam præcesserat, & rapinæ faciendæ occasionem dederat. Hoc si cogitetur paulò diligentius, erit opus verborum emendatione posteriori. Sed nec prior apta est. Rescribit. ἐν τῇ Ἰκαλίᾳ. Atqui τὸ Ἰκαρ. Insula pars est maris Rhodiaci, pertinetque ad Sporades, uti docet Strabo *lib.*10. *Geograph.* Nec tamen tolerari debet vulgatum illud ἐν Ἰταλίᾳ, pro quo Grotius *in floribus sparsis ad Justinianum pag.* 174. optimè restituit ἐν τῇ Ἰκαρίᾳ. Erat hoc mare naufragiis infame, uti referunt Strabo *lib.* 10. *&* 14. *Geograph.* Solinus *in polyhistore cap.* 11. Nec non Horatius:

Luctantem Icariis fluctibus Africum
Mercator metuens,

lib. 1, Carm. 1. Publicanos appellat vicibus multis, quasi legeretur, ὑπὸ τῶν δημοσιωνῶν, atque ità corrigunt *Grotius Salmasius, Vinnius.* Ego nihil mutaverim, suntque οἱ δημόσιοι servi publici civitatum, per quos negotia Reipublicæ gerebantur, uti est apud Demosthenem *Olynth.* 2. Postremò illud, ἐδέ ὁ νόμος τῆς θαλάσσης, quantoperè etiam laudet *Salmasius*, prorsus ineptum est. Neque enim Cæsar de naufragii causâ respondere voluit, utpote Eudæmoni ipsi cognitâ, sed consilium dare, quomodò cum deprædatoribus agi debeat itaque hoc dicit: Quandò moris sit, ut Cyclades Insulæ per servos publicos naufragorum bona colligant, atque ipsi hoc νόμον θαλάσσης vocant, Eudæmon contrà διαρπαγὴν interpretari volet, haut operæ precium facere illum adeundo Cæsarem, qui equidem sit mundi dominus, id est, rebus quæ in terris geruntur, sæpè leges figat & refigat, cæterum res maris habere ex consensu populorum jus suum Rhodiis legibus descriptum, quod mutare non sit moris sui, postquam illud ab Augusto Cæsare confirmatum hactenus in vigore fuerit.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Jure circâ Legatos.

SUMMARIA.

1. *Legatus inviolabilis.*
2. *Legatorum comites.*
3. *Legatus exsul.*
4. *Legatus ad hostes.*
5. *Legatus in delicto.*
6. *Legatus à seditiosis.*

I. Legatus *est per quem Princeps aliqua denunciat apud exteros.* Sanctissimum est commune illud gentium omnium institutum, quò Legatis Regum & Nunciis populorum liberorum securitatem vitæ atque vitæ præstant. Scilicet ut admittantur, utque

que incolumes dimittantur. Admittuntur, ut audiantur & responsum ferant super illis quæ Regis, quæ populi sui nomine denunciant. Nisi justa sit causa denegandi aditum, quod sæpè contingit. Ità Rabsaces Assyriæ Regis legatus ad populum in Regem suum concitandum missus, non fuit admissus intrà urbem, 2. *Regum* 18.17 *seqq.* Veneti missum à Cæsare Maximiliano I. Legatum Reinaldum minus accepta dicturum, admiserunt quidem, sed custodibus appositis prohibuerunt, ne quem injussu Patrum alloqueretur, quando securitas Reipublicæ ità volebat, Bembus *lib.* 7. *historiæ Venetæ pag.* 272. Dimittuntur, ut Regi & populo suo reddant, quod responsum acceperunt. Proinde Legatis non debet injuria inferri: (1.) Quia res gerunt nomine dominorum suorum. (2.) Quia necessariò Internuncii tales sunt, ut eis societas gentium carere non possit. (3.) Quia Jus gentium idem stabilivit communi assensu, ne Barbaris quidem exceptis, uti docent *Tacitus lib.* 1. *Annal.* Livius *lib.* 4. *histor.* Julius Cæsar *lib.* 3. *de Bello civili*, Cornelius Nepos *in vita Epaminondæ*, Vellejus Paterculus *lib* 2. *histor.* Cicero *Orat.* 5. *in Verrem*, Procopius *lib.* 3. *Gotticorum*, Josephus *lib.* 15 *Antiquitatum cap.* 18. Joh. Mariana *lib.* 12. *histor. cap.* 7. (4.) Quia Reges authoritatis suæ observatissimi propter Legatos suos malè habitos denunciaverunt bella, 2. *Samuel.* 10. 2. 3. *seqq.* (5.) Quia Reges & populi contumeliæ in Legatos admissæ in damno atque interitu suo militiam istam luerunt, uti patet. Ammonitis interitum attulit, 2. *Samuel.* 12. 29 30. Romani ob Legatos suos aut malè habitos aut interfectos bello everterunt Illyrios, Achæos, Senonas Bojos, Samnites Florus *lib.* 2. *cap.* 5. Cicero *Orat. pro Lege Manilia*, Polybius *lib.* 2. *histor.* Livius *lib.* 4. Alexander Magnus solo æquavit florentissimos Tyrios ob Legatum suum ab eis occisum, Curtius *lib.* 4. *histor.* Tamerlanes bello devastavit Syriæ Regem Turcum ob causam eandem, uti prodit Arabassides *libro de rebus gestis Tamerlanis pag.* 165. Selymus Turcus profligavit & omninò delevit Mamalucos, quoniam Legatum suum ad eos missum interemerant, Leonclavius *in historia Turcica lib.* 17. Jovius *lib.* 17. & 18. *histor.* Ludovicus XIV. Franciæ Rex propter Legatum suum Romæ non satis reverenter habitum, Papæ denunciavit bellum & Avenionen urbem illi eripuit, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 13. *cap.* 4. *dist.* 11. Deinde verò reddidit motus pietatis argumento, uti credo, & quod Comitatus ille velut pars Regni Arelatensis ad Imperium pertineat.

II. *Denunciat.*] Non tantum Legati ipsi, verum etiam comites & ministri eorum securitate publicâ gaudent. Æquissimum enim est, oneris socios & ministros honoris quoque communione gaudere, ideoque si quis eorum quempiam contumeliâ affecerit, pari scelere & sceleris lege tenetur: Salustius de bello Jugurthino: *Fit reus magis ex æquo bonoq;, quàm ex Jure Gentium Bomilcar comes ejus, qui Romam fide publica venerat.* Bonum & æquum, id est, merum naturæ jus patitur pœnas exigi, ubi reperitur qui deliquit, at jus Gentium Legatos, & qui his similes fide publicâ veniunt excipit. Nec tamen privilegio isto abuti debent, ut facinorosis receptum dent, magistratu repugnante, domi suæ. Uti enim Principi injustum & crudele esse du-

ci-

in Sardiniâ, hic, in Corsicâ. Itâ restituit Claudius Salmasius *in Exercitationibus ad Solinum pag.29.*& firmat emendationem Inscriptio de his gestis vetustissima, ad portam Capenam effossa, quam Hieronymus Aleander Parisiis evulgavit, & Iohan. Seldenus *prolegominis de Diis Syrorum cap.3.* refert: *Hic. cepet. Corsica. Aleriaque. urbe. dedit. tempestatibus. aedem. merito.* De Cornelio Scipione loquitur, qui hoc bello Poenos Corsos, Sardos vicit. Tabula Capitolina de ejus Triumpho: *L. Cornel. L. F. Cn. N. Scipio. Cos. de. Poenis. &. Sardin. Corsica. An. C.D.XCIV.V. Id. Mar.* Quanquam magno ipsi constitisset victoria ob Corsici maris intemperiem. Hinc intelligimus, de quo loquatur Ovidius:

Te quoque Tempestas meritam delubra fatentur,
Cum penè est Corsis obruta classis aquis,

lib.6.fastorum. Nimirum de L. Cornelio Scipione. Proindè Iacobus Thomasinus *libro de donariis cap.* 23 existimat non satis rectè, sonare Inscriptionem de Marco Marcello, qui à periculo navigationis in Corsicam & Sardiniam liberatus, aedem extrà portam Capenam dedicaverit Calendis Iunii. Namque de hac Marcelli dedicatione nuspiam occurrit.

IX. Navium partes & species consideravimus *lib.* 4. *Antiquit. Roman. dissertat.* 1. *dist.*1.2. ubi legantur. Olim ratibus usi populi, vel etiam cavatis arboribus, ut refert Plinius *lib.* 16. *cap.* 41. Rudimenta illa codicaria expoliverunt Phoenices, & justam navium formam condiderunt, exemplo ejus quod olim fecerat Noachus Orbis reparator, sive Ianus Priscus. Refert *Plinius*, Nave primus in Graeciam ex Aegypto Danaus advenit, ante ratibus navigabatur inventis in mari Rubro inter Insulas ab Erythrâ Rege, *lib.* 7. *cap.* 56. Erythrâ Rex vocatur Usous à Sanchuniathone Phoenicio apud Eusebium *lib.* 1. *de praeparat. Evangel. cap.*10. estque Esavus, quem sacrae literae appellant Edom, primogenitus Patriarchae Isaaci filius, uti diximus *suprà lib.*1. *cap.* 20. *dist.* 27. Romani incondendis navibus summam adhibebant diligentiam, monéres, seu uniremes, biremes, triremes, quadriremes, quinqueremes, sexiremes, septiremes, octiremes, noviremes, deciremes struendo. Maximae hae erant, & de Caligulâ prodit *Suetonius*: Fabricavit de cedris liburnicas magnâ thermarum, porticuum, tricliniorum laxitate, magnaque etiam vitium & pomiferarum arborum varietate, *lib.* 4. *cap.* 37. Falsa est lectio, *fabricavit de cederis.* Non equidem negamus, è cedrino ligno factas esse naves in Oriente uti refert Diodorus Siculus *lib.*2. *Bibliotheca*, verum nunc legi debet, *fabricavit deceres liburnicas.* Deceres, id est, decemremes, uti benè exponit Adrianus Turnebus *lib.*9. *adversarior. cap.*5. Scilicet decem ordines remorum habebant naves istae, quales fuisse Antonii Triumviri naves describunt Strabo *lib.* 8. *Geograph.* Dion Cassius *lib.* 51. *histor.* De eisdem *Florus*: A senis in novenos remorum ordines, castellorum & urbium specie, *lib.* 4. *histor. Rom. cap.*11. Quale navium genus ob ingentem magnitudinem tricliniorum & thermarum capax fuit. Minimae erant uniremes, quas μονήρεις vocant Graeci & Latino vocabulo extulit Livius *lib.* 38. *cap.* 38. uti quidem Godclevius, Gelenius, Fulvius Ursinus, Ioh. Frid. Gronovius, Henricus Savilius

lius, ediderunt: Neve plures quam decem naves actuarias (nulla plusquam triginta remis agatur) habeto, neve monerem ex belli causâ, quod ipse illaturus erit. *Sic ibi*, estque sermo de fœderis legibus quas victores Romani pepigerunt cum victo Antiocho Syriæ Rege. Vulgò legitur, *neve minorem ex belli causa.* Sed lectio altera uti eruditior, ità haut dubie verior est, licet impugnare velit Ioh. Schæferus *lib. 2. de militia navali pag. 81.82.* Hoc jubent verba fœderis: *Decem actuarias ruditer factas ob tuendos maris fines & causas alias liceat habere, cæterum navem bellicam firmiter constructam ne minimam quidem, uti moneris esset, habere deberet.* Fuit igitur illa Romanorum sententia, ut non uteretur nisi modicæ quantitatis navigiis actuariis, quæ unius ordinis remiges per nulla tabulata interstinctos habebant, & in conflictu navali subsidiariæ poterant, pro salvandis naufragiis, annonâ convehendâ, explorando, portubus occupandis: careret verò omnibus navibus ad conflictus bellicos ex sese aptis, quales erant istæ quæ diversos remigum ordines habebant, rostris & tabulatis confirmatæ, uniremes, biremes, triremes. Ne videlicet pacem mari turbaret.

X. Quomodò sint Remigum ordines illi numerandi, controversia est apud Eruditos. Secundum longitudinem laterum à prora ad puppim, numerant Lazarus Baifius *libro de re navali pag. 16. 17. 247. 248.* Guilh. Castilioneus *commentariis ad Vitruvium pag. 128. seq.* Godescalcus Stewechius *notatis ad Vegetium pag. 414. 415. 430. 431.* quomodò Galeæ nostrates sunt *μονοκρότοι*, quæ ab his trecentis aut quadringentis annis in usu sunt Europæis atque Asianis, eodemque modo pingit Iacobus Laurus *part. 3. Antiquitatum Romanarum Tab. 15. 16.* Aliter verò numerant Iosephus Scaliger *in Animadversionibus Eusebianis p. 61. seq.* Salmasius *in Observationibus ad Jus Romanum & Atticum cap. 28.* Franciscus Stypmannus *lib. 3. de navigatione cap. 3. num. 79. seqq.* Gerhardus Iohan. Vossius *in Lexico Etymologico pag. 532.* Ioh. Fridericus Gronovius *notis ad Livium lib. 38. cap. 38. pag. 614. 615.* Ioh. Scheferus *lib. 2 de militia navali pag. 93. seqq.* videlicet, ut juga & transtra remigum penes atque infrà sese ordinata essent, à catastromate summo tendendo versus carinam. Magnorum virorum authoritas tantum apud me valuit, ut posteriorem hanc sententiam defenderem in Recensu Antiquitatum Romanarum *lib. 4. dissertat. 1. dist. 4.* Nunc reverti decrevimus ad sententiam priorem, quæ secundum latitudinem ordines istos, de quibus sermo est collocat. Et ut constet, quæ de totâ re maximis difficultatibus obvolutâ, nostra sit opinio, paulò accuratius inquiremus in testimonia Authorum, quos prolixè adfert Ioh. Schæferus *l. d.* Dicit ille: (1.) *Lucani verba sunt:*

Summis longè petit æquora remis,

lib. 3. Pharsal. *Summis remis inquit, & quidem longè petivisse æquora, unde facile apparet, alios etiam habuisse remos aquis viciniores.* Atqui *summis*, id est superne imminendo aquis, & longe, quoniam pro navis magnitudine diversitas remorum magna fuit, brevioribusque remis utebantur triremium vectores, longioribus illi qui impellebant quadriremes. (2.) *Idem ex aliis Scriptorum locis comprobari potest. Silius Italicus ait: Intrat diffusos pestis Vulcania passim, Atque implet dispersa foros trepidatur omisso*

J 2 Sum-

Summis remigio, sed enim tàm rebus in arctis Fama mali nondum tanti penetrarat adimos, lib. 14. Quibus verbis nescio an quid apertius ad roborandam hanc sententiam adduci queat. Atqui verba illa nihil probaverint, si consideres, remiges *summos* esse eos qui ad puppim considebant, *imos* qui ad proram aquis incubabant, illos vocabāt θαλαμίτας, hos θρανίτας, quiq; in *medio* laborabant erant ζυγῖται, uti monet vetus Scholiastes *ad Aristophanis Ranas*, quem nullo suo merito repudiat Josephus Scaliger. Nimirum pars illa ad puppim magis erigitur, quæ verò ad proram est, deprimitur magis. Adhæc in puppi constructū fuit prætorium, unde factum est ut elatior videretur puppis. Regerit *Scheferus* Qui summos remigum & imos hic pro primis ultimisq; vel pro iis qui ad proram puppimque remigant, accipiunt, illi rem ipsam intellectu parum assequi videntur. Non enim hic de igne in puppi tantum agitur, sed de tali qui dispersus totos foros impleverat, id est, per omnes in summo tabulas vagatus, necdum tamen ad eos, qui in imo erant, penetrare poterat. *Resp.* Foros vocat, & quis velit intelligere de tabulato integro à flammis correpto? Tabulati partem aliquam ignis absumserat & quidem proræ instratam, reliqua perstabat hactenus incolumis, sive in mediis intervallis, sive in puppi. (3.) *Extat apud Arrianum locus lib. 6. Expedit. Alexandri, in quo ista remorum in altum & suprà se invicem positorum ratio ostenditur, ipsorum,* ait, *remi inferiores paulò admodum suprà undas erant dispositi. De biremibus est sermo, & manifestum est, naves quas describit, alios habuisse remos aquæ vicinos, alios remotiores, adeoque non secundum longitudinem tantummodo, sed & altitudinem dispositos.* Respondeo: τὰς κάτω κώπας vocat Arrianus illos remiges, qui ad puppim sedebant, & fieri potest ut propter naves aut sistendas, aut convertendas aut in unum cogendas, non ejusdem longitudinis remos adhiberent θρανῖται, quales habebant θαλαμῖται. (4.) *Expressa sunt verba Pausaniæ lib. 7. ubi describit* τὸ ἐν Δήλῳ πλοῖον, *his verbis usus,* καθήκειν εἰς ἐννέα ἐρέτας ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων, *in novenos remigum ordines à tabulato ad imum distinctum. Verbum* καθήκειν *notat descensum à summo ad imum, & proindè navigium illud admirandæ magnitudinis erat* ἐννήρης *novem-remis.* Respondeo: καθήκειν verà notione est idem quod *accrescere*, & dicit Pausanias, habuisse navem illam Remigum ordines novem à proræ tabulato numerando versus puppim, quilibet ordo, uti alias semper, ità nunc complectebatur ab uno latere septem remos, quos omnes ab utrovis latere in summam unam redigendo, efficias remos centum viginti sex à quibus novemremis illa per aquas natando concitabatur. (5.) *Virgilius versum appellat hos remorum ordines in triremi, cum dixit: Triplici Pubes quam Dardana versu Impellunt terno consurgunt ordine remi. Quomodo etjam loquuntur alii.* Respondeo: Rem unam Virgilius enuncias non uno sermonis genere, quomodò solent Poëtæ loqui. *Triplici versu*, id est, totidem intervallis, quibus ab invicem separabantur remiges, undè etiam tres ordines exstiterunt, quilibet ordo septē remos includebat, ut proindè triremis traheretur quatragintà duobus remis, secundùm figuræ ejus modum, quam refert Antonius Bayfius *libro de re navali pag. 37.* & falso ipse nobis pro septem remi navi obtru-

trudere conatur. (6.) *Lucanus*: *Cornua Romanæ classis, validæq; triremes. Quasq; quater surgens exstructi remigis ordo Commovet & plures quæ verrunt æquora pinus Multiplices cinxere ratem*, lib. 3. Pharsal. *Crescere dicit gemino ordine, quæ duplici constant ἰχρία, superiore & inferiore, per modum tabulatorum. Nam longitudo jacet, altitudo crescit vel consurgit. Quare non possunt intelligi remorum ordines in porrectum.* Respondeo: Omninò possunt ac debent intelligi remorum ordines in porrectum. *Consurgens*, id est, augescens, in quantum triremis magnitudine inferior erat præ quadriremi, adeoque pluribus remis & remorum ordinibus impellebatur hæc quàm illa. Dicimus ergo si in altum & suprà se invicem ordines isti numerantur, multas occurrere difficultates: (1.) Quia omnium navium picturæ apud Ursinum, Golzium, Erissum, Gorlæum Petrum Seguinum, Antonium Augustinum ostendunt, remos penes se collocatos & ad latera æquales. Nulla verò navis ejus altitudinis reperitur, quæ innuat, quomodò tot ordines suprà se positos valuerit comprehendere. (2.) Quia non potuissent regi hujusmodi navium moles, in quibus remorum ordines suprà se collocati augebantur ad octo, novem, decem substructiones. Certè remi superiores impedivissent alios, qui in situ æquali erant inferiores (3.) Quia ad impellendam novem remem navem aut eò majorem, non potuissent remi præparari cū debitâ longitudine, multò minus fuisset virium humanarum opus, tàm vastæ longitudinis remos trahere, quamvis plures etiam remiges singulis remis adjungamus, uti alias factum esse constat, itaq; Plinius describendo quinqueremem, unà commemorat navē istam à *quadringentis remigibus* propulsam esse lib. 32. histor. natur. cap. 1. Scilicet, ab utròque latere navis illa habebat remos septuagintà quorum singulos trahebant, plures remiges, ut remigum numerus quadringentos viros efficeret operi isti incumbentes.

XI. Totus ille navium apparatus à Græcis Insulanis & Pœnis ad Romanos pervenit. & Pœnorum quidem magistri fuerant Phœnicum clarissimi, Tyrii. Virgilius:

Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni,
Carthago, Italiam contrà Tiberinaque longè
Ostia, dives opum, studiisque asperrima belli,

lib. 1. Æneid. Nobilissima inquam pars Phœnicum, & Oceani Eoi pariter atq; Atlantici olim potentes uti testatur Strabo *lib. 16. Geographiæ*, Pomponius Mela *in descriptione orbis terrarum lib. 1. cap. 12.* Curtius *lib. 4. histor. cap. 15.* Navigationes eorum in Indiæ Orientalis partes notissimæ sunt ex literis sacris, *1. Regum* 9. 27. 28. Hic enim Ophir fuit auri atque aromatum ferax uti diximus *suprà lib. 1. cap. 20. dist. 15. 16.* Postquam Tyrios Chaldæi primùm, inde Macedones spoliaverunt & devastaverunt, navigatio Oceani sensim venit in desuetudinem, cum posteri non æquarent majorū industriam. Atq; hoc fieri poterat eò facilius, quo periculosior & cum quotidiano damno ferè conjuncta erat navigatio per Oceanum, ob magnetis usum eis incognitum. Certissimum hoc est, veteresque Aristoteles, Marinus Tyrius, Plinius, Ptolomæus, qui de rerū naturalium proprietatibus, aut etiam de rebus ad navicularium pertinentibus diligenter scripserunt, nusquam tamen magne-

tis verticitatem, id est, virtutem *βορειοδεικτικὴν* commemorant quia nesciebant. Contendunt Fullerus *lib.* 4. *miscellan. cap.* 19. Levinus Lemnius *lib.* 3. *de occultis naturæ miraculis cap.* 4. quod magnetis usum in re nauticâ habuerint cognitum veteres Sidonii, Tyrii, Pœni. Verum divinant potius quàm probant illud quod asserunt, adeoque rectius negant Iosephus Acosta *lib.* 1. *de natura novi orbis cap.* 17. 18. Samuel Bochardus *in Geographia sacra part.* 2. *lib.* 2. *fol.* 716. *seqq.* Nicolaus Cabæus *lib.* 1. *de magnete cap.* 6. Athanasius Kircherus *lib.* 1. *de magnete pag.* 18. *seqq.* Gilbertus Anglus *lib.* 1. *de magnete cap.* 1. Legebant oras & ductu siderum regebantur multum, remis confisi, libera vela non semper adhibebant. Tibullus:

Ducunt instabiles sidera certa rates,

lib. 1. Eleg. 10. Petronius: *Gubernator qui pervigil nocte siderum quoque motus custodit* in Satyrico pag. 117. Adfert Lemnius illud *Plauti*: Si huc item properes, ut istuc prope ras, facies rectius, huc secundus ventus nunc est, cape modò versoriam, *in Mercatore Actu* 5. *sc.* 2. *& in Trinummo Act.* 4. *sc.* 3. Respondeo: Versoria illa nihil aliud est quam temo aut velum, quorum ope navis in omnem partem versa compellitur, ut ait Turnebus *lib.* 20. *Adversariorum cap.* 4. Certè Veneti & Lusitani secuti ductum Canopi, & à littorum indiciis quædam argumenta petendo, meridionales Africæ regiones Indiæque confinia per mare adiverunt dudum. antequam pyxis nautica per Flavium Amalphitanum constructa est, testibus Petro Medinensi *lib.* 1. *de arte navigandi*, Petro Ciezâ *lib.* 2. *historiæ Indicæ. c.* 9. Franscisco Gomara *lib.* 1. *historiæ Indicæ*.

XII. De Pœnorum navigationibus testatur *Periplus Hannonis* Græco sermone edita per Conradum Gesnerum, quam nos Latinam dabimus, notisq; adjectis explanabimus. Ea verò sic habet: Hannonis Carthaginensium Regis periplus seu circumnavigatio, quâ emensus est Africam ultra columnas Herculis, quem commentarium in templo Saturni consecravit, ista commemorantem. Placuit Carthaginensibus Hannoni negotium dare, ut navigatione ultrâ columnas Herculis institutâ Libyphœnicum oppida coloniis frequentaret. Et profectus est cum classe sexagintâ navium actuariarum quinquaginta remis instructarum, ac virorum mulierumque numero ad trigintâ millia, habebatque secum frumentum & reliquum apparatum portu autem egressi, cum Herculis columnas præterivissemus, biduique cursum confecissemus, primam urbem condidimus eamq; Thymiaterium appellavimus. Suberat ibi magna planities. Subinde ad occidentem provecti, ad promontorium Libycum multis arboribus consitum Soloenta pervenimus Ibi excitato Neptuni delubro iterum progressi sumus ad Orientem solem, donec venimus iter dimidiæ diei in paludem non planè à mari, multâ magnâque arundine plenam. Inerant Elephantes, aliaque complura, quæ pascebantur, animalia. Cum autem quasi cursu unius diei paludem prætervecti essemus, urbes ad mare exstruximus, quarum nomina, Cariconticus, Gytte, Acra, Melitta, & Arambys. Inde digressi magnum fluvium Lixum intravimus, quod ex Libya oritur. Accolas habet pastoritium genus Lixitas, pecoribus pascendis deditos, cum qui-

bus amicitiâ conjunctâ aliquantum temporis substitimus. Suprà horum regionem Æthiopes omnis hospitalis commercii expertes terram incolebant feris plenam, magnisque distinctam montibus, è quibus originem Lixi repetunt. Circà montes autem inusitatâ specie homines habitant, Troglodytę, quos cursibus equorum pernicitatem anteire, Lixitæ ferebant. Nos interpretibus acceptis deserti oram ad meridiem per biduum prætervecti sumus, unde rursus ad Orientem solem conversi, unius diei cursum confecimus. Ibi in recessu cujusdam sinus exiguam insulam, stadiorum quinque ambitu invenimus, eamque deductis colonis Cernen appellavimus. Notavimus autem in circumeundo, eam è regione Carthaginis sitam esse. Videbatur enim cursus Carthagine quidem ad columnas, inde ad Cernen æquali intervallo procedere. Inde per ingentem cursu delati fluvium in stagnum, nomen est Chretes, pervenimus, in quo tres cernebantur Insulæ majores quam Cerne. Ab his confecto cursu diurno in sinum quendam stagni perventum est. Imminebant autem stagno alti montes, è quibus homines feri & belluarum pellibus amicti, saxa jaculantes nos abigebant, neque egredi navibus sinebant. Digressi inde in alium delati sumus fluvium magnum & latum, in quo multi crocodili & hippotami visebantur. Tum converso cursu ad insulam Cernen regressi sumus. Illinc versus meridiem profecti duodecim per dies oram legebamus littoris, in quo Æthiopes habitabant, refugientes congressum nostrum, linguâque utentes etiam Lixitis, qui nobiscum erant, parum intellectâ. Postremo die accessimus ad montes magnos & silvosos, lignis arborum odore & varietate notabilibus. His biduo circumitis in immensum maris barathrum delati sumus. Ejus maris ab alterâ parte planities erat, unde de nocte prospiciebamus, ignem undique efferri per intervalla locorum, alibi magis, alibi minus. Aquâ autem indę petitâ, ulterius provecti, quinque diebus oram legebamus, donec in magnum quendam sinum, quem Interpretes Hesperium cornu vocari ajebant, deventum est. Hic Insula erat ingens, & in Insulâ stagnum maris specie, & in stagno alia Insula. In hanc exscensione factâ interdiu quidem nihil cernebamus præter silvam, nocte autem multi ignes collucebant, & vox tibiarum tum cymbalorum & tympanorum strepitus cum clamoribus dissonis audiebantur. Timore itaque nos perterritos, vates quoque abscedere Insula jubebant Celeriter igitur profecti regionem præterivimus odoribus æstuantem, unde & plures igniti torrentes in mare ferebantur, ità ut præ fervore inaccessa esset, quare neque hic moras trahere pavor nos sinebat, repetito autem cursu, post quartum diem appuruit nobis de nocte terra flammis plena, cujus in medio ignis altissimus majorque cæteris sidera attingere videbatur, diurno autem tempore montis maximi speciem præferebat, quem deorum vehiculum appellitabant. Tertio post die præteritis illis ignitis torrentibus, in sinum pervenimus, qui Cornu Austri vocabatur. In recessu Insula erat priori similis stagnum habens, in quo alia Insula feris plena hominibus, multò plures autem fœminæ inerant hirsuto corpore, quas Interpretes vocabant Gorillas. Cum autem con-

consectaremus incolas, virorum quidem neminem intercipere potuimus, omnes enim effugerunt, per præcipitia discurrere & nullo negocio vim à se propulsare assueti. Fœminæ autem tres captæ, eos à quibus ducebantur, morsu laniatuque appetebant, neque sequi volebant. Occisis tamen pelles detraximus & Carthaginem detulimus. Neque enim ulterius navigare contendimus, cum annona jam nos deficere cœpisset. *Hactenus Periplus.*

XIII. Et quanquam de istâ Hannonis relatione non adeò præclare sentiant Gerhardus Joh. Vossius *lib. 4. de Historicis Græcis pag. 513. 514.* Georgius Hornius *Introductione ad Geographiam antiquam*, malintque inter fabulosa referre, vix tamen fidem fecerint illis qui accurato examine instituto, fabulas nullas in verissimâ relatione comperient. Testatur *Plinius*, quod Carthaginis potentiâ florente, Hanno extrà Gades profectus maritimo itinere Africam totam circumnavigaverit, adusque fines Arabiæ, & navigationem illam prodiderit scripto, *lib. 2. histor. naturalis cap. 67.* Quanquam, uti statim declarabimus, vix dimidiam Africam circumnavigaverit Hanno, & ob falsa aliorum narrata, qui Punicas antiquitates non satis intellexerant, factum sit, ut Plinius vera falsis permisceat. *Hannonis Carthaginensium Regis.*] Apud Phœnicas & horum colonos Pœnos מלך erat quilibet magistratus, etiam cum potestate modicâ, itaque Hanno vocatur Rex qui officii ratione Sufes erat, uti prolixius dictum est *suprà lib. 1. cap. 13. dist. 1.* ubi legatur. *In templo Saturni consecravit.*] Quem illi colebant sub nomine Moloch, uti Orientis populi communiter vocabant, & nos docuimus in Recensu Antiquitatum Romanarum *lib. 1. cap. 6. dist. 11.* ubi plura testimonia protulimus. *Libyphœnicum oppida colonis frequentaret.*] Namque Tyrii, Sidonii, Palæstini maritimi, in viciniâ illâ dudum ante per naves ultrò citroque commeando urbes aliquas condiderant quod refert Strabo lib. 1. Geographiæ. *Eamque Thumyaterium appellavimus.*] Θυμιατήριον vocat Stephanus περὶ π. λιῶν, & sonabat lingua Punicâ דמאתירא quasi πεδιάδα dixeris, id est, campestrem urbem. Fortè non procul inde, ubi nunc est Tingi, quam urbem esse originis Phœniciæ, refert, qui ibi natus est, Pomponius Mela *lib. 2. de situ Orbis cap. 6.*

XIV. Sequitur: *Ad promontorium Libycum multis arboribus consitum, Soloënta, pervenimus.*] Stephanus l. d. σολόεις ἄκρα τῆς Λιβύης, nomē Punicum fuit סלעים rupes. Hodiè est Capo Cantin. *Ibi excitato Neptuni delubro.*] ποσειδῶνος ἱερὸν, quem vocabant Melicartum, ut autumat Nicol. Fullerus lib. 3. miscellan. sacrorum cap. 16. Nomen est Phœnicium מלך־קרתא, ὁ πολιοῦχος θεός. Quare Seldenus Syntagm. 1. de Diis Syrorum pag 182. scribat, *quid sit ἄρθρον in dictione μελκαρθος non satis intelligo*, causa nulla est evidens, ut pote quod eum latere non posset manifesta vocis compositio secundùm dialectum Syriacam. *Quarum nomina Cariconticus Gytte, Acra, Melitta, & Arambys*] καρικὸν τεῖχος est קיר חרם murus Solis, qualem urbem in Moabytarum regno commemorant sacræ literæ, 2. Regum 3. 25. Esaiæ 16 11. γύττη est גדי pecorosa, quod ibi pascua loca viderentur pecoribus alendis incrementum addere posse. ἄκρα est notissimum illud חקרא, munimentum, quomo-

modò valet 2. Samuel. 7.9. 1. Maccab. 1. 35. *μέλιττα* est מליטא urbs lateritia, id est coctis lapidibus substructa. *ἄραμβυς* est חר־ענבין mons uvarum, namq; vites in istis locis copiâ magnâ extitisse, produnt Strabo lib. 17. Geograph. Plinius lib. 5. histor. natur. cap. 1. De his civitatibus non amplius exstat, quod locis illis ob arenosum solum male cultis vix proficere incolæ possent. *In magnum fluvium Lixum pervenimus.*] λίξος est à Phœnicio ליש sive leo, oritur enim ex Æthiopum circà montem Atlantem terrâ *θηριώδει* sive feris & leonibus frequenti. Hodiè est Tensift apud Joh. Leonem lib. 9. descriptionis Africæ. *Desertis oram ad meridiem.*] Ubi nunc sunt Zanhaga & Gualata Nigritarum. *In recessu cujusdam sinus.*] Ubi nunc est Capo Blanco. *Deductis colonis Cernen appellavimus.*] Nomen Phœnicicum, est חרנאה postremum habitationis, sive ultima habitatio, uti monet Samuel Bochardus part 2. Geogr. sacræ lib. 1. cap. 37. Ultima autem & Dionysio dicitur.

πυμάτης παρ' ἔμπεα κέρνης.

in Periegesi. Phœnices enim ulterius coloniam nullam deduxerant hactenus, primusque Hanno terminum hunc navigationis excessit. Cernen esse usquam locorum, negat Strabo lib. 1. *Geograph.* & cum Eratosthene litigat, quod ille talem Insulam aliquam in Oceano ponat. Verum Eratosthenes sequebatur Pœnorum antiquas relationes ipsi exactè cognitas, quas omnes in dubium vocando Strabo, non est mirum, quod parum fidei adhibuerit eis qui Cernen in Oceano Atlantico sitam tradebant. Esse verò Insulam eam, quam Maderam hodiè vocamus arbitrantur Gesnerus *notatis ad Periplum*, & Phil. Cluverus *Introduct. Geograph. lib. 6. cap.* 10. Verum illa procul à continente, distat, & ab omni ætate inculta fuit. Non majori probabilitate differit Georgius Hornius *lib. 2. Originum Americanarum cap. 9.* quod fuerit Canaria aliqua. Sanè hæc etiam procul à Continente abest, quamvis haud negare velim, Canarias primùm habitas fuisse à Phœnicibus, quandò in Mauritaniâ consedisse Amorrhæos dictum est *suprà lib. 1. cap. 20. dist. 29.* unde in has Insulas brevis est trajectus. Cumque Plinii & Solini ævo desertæ jacuerint, oppidorum ruinis exstantibus, inde colligas, earum incolas aliò profectos, & fortè in Americam. Donec Mauri eas repeterent, suæque gentis hominibus implerent. Multas aliorum conjecturas profert Abrahamus Ortelius *in Thesauro Geographico*, quos inter Joh. Baptista Rhamnusius *in Itinerario Orientali*, & Joh. Mariana *lib. 1. descriptionis Hispaniæ* dicunt esse promontorium Arguin, retinetq; Isaac Vossius *notis ad lib. 3. Melæ pag. 309.* Nos tamen malumus exponere, ut sint Insulæ dos Couros. *Per ingentem cursu delati fluvium in stagnum.*] Nescio quomodò illa in Punico, sonuerint. Hoc verum est quod littus infrà dictas Insulas sit vadosum ob syrtes, & plures Insulas habeat ad promontorium Arguin. Vocant nunc Insulas Darao. Fluvius Chretes corrupto nomine est, quod emendatius pronunciat Aristoteles, *χρεμέτης, lib. 1. Meteororum cap.* 13 estque Punico sermone נהר כרמאת fluvius vinearum, quandò constat, iis locis vineas copiosas olim fuisse. *In alium delati sumus fluvium magnum.*] Est Rio Sancti Johannis. *Oram legebamus littoris.*] Tractus ille ad mare vo-

catur Costa de Anderotte. *In immensum maris barathrum.*] Ubi nunc est Capo Tarem. *Ignem undique efferri per intervalla locorum.*] Quod hodiè etiam faciunt, atque incensis facibus abigunt belluas. *Quem Interpretes Hesperi Cornu vocari ajebant.*) ἑσπέρου κέρας: est promontorium illud famosum, quod Capo Verde appellatur, uti rectè observat Ortelius *in Thesauro Geographico.* Valdè hallucinantur Petrus Bertius *lib.* 1. *Tabularum contractarum pag.* 48. Hugo Grotius *libro de mari libero cap.* 5. Joh. Isaacus Pontanus *lib.* 2. *discussionum marinarum cap.* 5. cum ad promontorium Bonæ spei pertrahant, neque enim eousque progressus fuit Hanno. *Insula erat ingens.*) Suprà atque infrà promontorium illud sunt plures Insulæ, magni etiam lacus, in lacubus exstant syrtes. Quæ omnia sunt à fluvio Negro qui in tractu illo pluribus ostiis mare petit. *Prætervimus regionem odoribus æstuantem.*) Ob palmas ibi frequentes. *Plures ignsti torrentes.*) Aquæ fervidæ ob æstum in Zonâ torridâ summum. *Terra flammis plena.*) Ob causas illas quas ante diximus. *Quem Deorum vehiculum appellabant.*) Sunt montes Guineæ. *Qui Cornu Austri vocabatur.*) Est Sierra Leona promontorium Guineæ adeò altum, ut ducentis & amplius passuum millibus nonnunquam conspiciatur. Latera ejus perpetuò virent odoratis omnium generum arboribus vertex æternis incingitur nebulis, quas ne ardentissimus quidem Sol unquam dispellere ac vix perrumpere possit. Hinc fit, ut continuis fulminibus ac tonitruis noctu præsertim verberetur, quorum fragor est similis rugitui Leonum, atque inde promontorio Lusitani dederunt nomen. *Insula erat priori similis.*) Hodiè vocatur Roxa, estque non procul inde fluvius dos palmas. *Fœminæ inerant hirsuto corpore.*) Meminit Plinius lib. 6. histor. natur. cap. 31. *Vocabant Gorillas.*) Aut verius Gorgidas, unde sunt Insulæ Gorgides ad promontorium viride quas alio nomine vocamus Hesperidas. De his Marcus Lescarbotus *lib.* 1. *Franciæ Occidental. cap.* 3. ait: Hesperides sunt Insulæ Cuba, Hispaniola, reliquæ in freto Mexicano. Herculem ibi fuisse, haud alienum est à virtute ejus. *Sic ille.* Quod vanum est, quandoquidem de promontorio Hesperio satis constat ex præcedentibus. *Pelles detraximus.*) Quæ in Junonis templo repositæ videbantur usque ad Carthaginem captam, ait Plinius l. d. *Neque enim ulterius navigare contendimus.*) Non ergò pervenit in Arabiam, secus quàm Plinio visum fuit, perindè uti refert. Metello Galliæ Proconsuli Indos à Rege Suevorum dono datos esse, qui ex Indiâ commerciorum gratiâ navigantes, vi tempestatum abrepti fuerant in Germaniam. Sanè indi non fuerunt, quanquam Franciscus Gomara *lib.* 1. *rerum Hispanicarum* contendat, hos venisse à Laboradoris terrâ, quæ est pars Americæ septemtrionalis. Quod si verum est, oportebat eos per mare hyperboreum irrupisse in mare Septentrionale, itinere prorsus impossibili. Itaque Isaac Vossius *notis ad lib.* 3. *Pomponii Melæ pag.* 249. 250. existimat, legi debere in Plinio, *Rege Batorum.* Batos ait esse Batavos, & qui ad illos naufragio facto appulerant, Britannos fuisse homines Indis similes, quod Britanni olim corpora sua fuco cæruleo pingerent, ut Indos fecisse constat. *Sic ille.* Atqui magis verosimile est, fuisse Grunlandos & Lapponos, qui in mari Cronio-

mari-

navigantes, cumque ventorum impetu luctati Codanum sinum petiverunt, inque Balthicâ Germaniâ naufragi appulerunt, novi hospites, nova monstra Regibus oblata. Et Rex ille Suevorum erat qui imperabat populis ad Mare Balthicum sitis. Hos enim Suevos appellatos fuisse, constat ex Julio Cæsare *lib. 4. commentar.* Tacito *libro de moribus Germanorum cap.* 45.

XV. Quæritur: *An mare magnum possit dominio occupari?* Respondeo: De fluviis, lacubus, stagnis controversia nulla est, quin possint dominio proprio occupari ab illo domino, qui littora & circumsitos agros in potestate habet: verum de Oceano ipso controversia est, an partem ejus insignem possit Rex aliquis jure proprietatis sibi asserere, ut ab ejus communi usu populos alios removeat? Negant Hugo Grotius *libro de mari libero cap.* 5. *& lib. 2. de Jure belli ac pacis cap. 3. dist. 8. seqq.* Theodorus Graswinkelius *in vindiciis maris liberi*, Franciscus Stypmannus *lib. 1. de Navigatione cap. 4. num 16. seqq.* Johan. Isaacus Pontanus *lib. 2. discussionum marinarum cap. 1.* Adferunt rationes: (1.) Quod tanta est maris magnitudo, ut ad quemvis usum populis omnibus sufficiat, videlicet ad hauriendam aquam, ad navigationem, ad piscandum. *Respondeo* Abundantia rei non vetat, quin illa sub dominium veniat. Potius, quia totus Oceanus sufficit omnibus populis & ad omnes usus, occupari potest per partes insigniores citrà injuriam alterius. Remanet enim semper de toto, quod aliorum usibus sufficit. (1.) Quod occupatio non procedit nisi in re terminatâ, ergò liquida quæ per se non terminantur, non possunt occupari. *Respondeo*: Quamvis Oceanus haut terminetur finibus suis, attamen finibus alienis concluditur, idque sufficit ad statuendum dominium. Nimirum terminatur littoribus, quod tum sacrarum literarum authoritas, *Iobi* 38. 8. *Proverb.* 8. 59. tum universalis hominum consensus oppidò confirmant. Regerit *Stypmannus*: Littora solùm definiunt maris extrema, *l. d. num.* 90. Atqui ità est, quod extrema finit. Neque enim alius usquam est, quàm extremorum terminus, & ripæ nonnisi extrema fluminis terminant, quæ tamen dominio occupari posse nemo aussit inficiari. *Pontani* exceptio est: terminant equidem sinus & littora vera, verum quid hoc ad vastum Oceanum? *Respondeo*: Etiam Oceano ponere liceat terminos, quales sunt scopuli, adversa invicem promontoria, insulæ hinc inde sparsæ, è quibus possunt mathematicæ liniæ quaquaversus duci. Ità Persæ & Græciæ populi invicem pepigerunt, ne qua navis Medica armata extrà Cyaneas & Chelidonia navigaret, teste Plutarcho *in vita Cimonis*. In fœdere illo quod post Reges ejectos Romani cum Pœnis fecerant, convenerant, ne Romani & horum socii, ultra Pulchrum promontoriū navigarent, extràquod si tempestatis aut hostium vi compulsi essent nihil acciperent præter necessaria, & intrà diem quintum abscederent. Sarpedon & Cadyceenus promontoria Ciliciæ, sunt ad maritimum dominium distinguendum termini in fœdere, quod Romani & Antiochus Syria Rex iniverunt, teste Polybio *libro de Legationibus cap.* 35. (3.) Mare dicitur esse commune, perinde uti comunis est aër, *l. 3. §. 1. ne quid in locis publicis.* Respondeo: Verum hoc est de libero usu maris

Z 2 &

& aëris, quique non est cum emolumento peculiari, undè alii damnum conciliatur, qui littora & terras occupavit. Propterea neque aucupium omnibus ubiqui licet, quia ejus est cœlum cujus est solum, neq; piscationes licent, quando certis in locis certa piscium genera nutrit mare, undè amplus quæstus redire potest ad populum illum, qui ob littoris viciniam propior est ad procurandam, capturam. Ità nec aër communis adeò est, ut eo pro lubitu utamur cum proximi damno. Statuta nota sint de ædibus non altius tollendis, de luminibus non officiendis in contermino aëre, undè *in novo opere nunciato, tam soli quàm cœli mensuram esse faciendam*, ait Pomponius *l. 21. ff. Tit. quod vi aut clam* § 2. Concludimus ergò quemlibet esse dominum rerum suarum, quæ vel stabiles sunt, vel cum stabilibus jure quodam utili cohærent, uti sunt littorum excursiones per mare, quæq; littoribus appropinquant, nimirum pisces, corallia, gemę, succinũ, portus, pontes, arundines, scirpus, arenæ metallorũ feraces cannæ aromaticæ, salicta,

XVI. Instat *Stypmannus*: Natura instituit commerciorum jus, quod tollitur, cum mare prorsus clauditur. *Respondeo*: Non tollitur commerciorum jus, verum potius stabilitur, cum quisque velit rebus propriis, non suo tantum, sed etiam aliorum bono uti. Verbo, non dubitatur commune esse, verum quomodò communitas illi ad hunc vel illum restricta locum usurpari possit, ut communitàs omnium locorum inde usum habeat, quæritur. Nos cum Johanne Seldeno *lib. 1. de mari clauso cap. 1. 2. seqq.* Tomâ Rivio *lib. 3. historia navalis cap. 27. 38.* Bartholomæo Morisoto *in Orbe maritimo lib. 2. cap. 1. seq.* Jacobo Godofredo *libro de Imperio maris*, Guilhelmo Welwood *libro de dominio maris cap. 4. seqq.* Johanne Strauchio *dissertatione de imperio maris quæst. 2.* affirmamus, quod Princeps aliquis possit Oceani partem terris suis vicinam & commodam dominio suo occupare. Rationes nostræ sunt istæ: (1.) Quia jus gentium probat, esse Reges populosq; liberos cum maris dominio potentes, quatenus illud navibus & commerciis suis onerant, sibique asserunt quousque terræ ipsorum stabiles permittunt. De Hebræis in Oceani partes vicinas jura sua exercentibus, testantur literæ sacræ, *Genes.* 49. 13. *Numer.* 34. 6. *Deut.* 33. 23. *Judic.* 5. 17. Excipit *Stypmannus*: Loquuntur ista de particularibus maribus, *l. d. num.* 81. Respondeo: Ista verò sunt pars magni maris, adeoque hoc volumus; neque enim dicimus mare magnum esse Regis unius proprietatem, sed partes ejus perinde esse dividuas, ut possint dominio occupari, uti quidem fit in terrâ solida. (2.) Quia est populorum universalis in hac re consensus, itaque antiquissimum maris dominium ob classem potentem erat Minois Regis in Creta, τῆς ἑλληνικῆς θαλάσσης ἐπὶ πλεῖστον ἐκράτησεν, de Rege illo ait Thucydides *lib. 1. hist.* Eum deinceps Rhodii, Cyprii, & imprimis Tyrii sequuti sunt, de quibus est *Ezechiel.* 27. 3. 4. *seqq.* Ab his Græci maris usum in commerciis agitandis & portubus aperiendis acceperunt, ut prolixè ostendit Seldenus *lib. 1. Maris clausi cap. 9. 10. seqq.* Dicit *Stypmannus*: Specialis gentium relatio nihil concludit ad universale. *Respondeo*: Inductio certè multum concludit, ubi de gentium moribus pro jure ipso in-

inferendo semper voluerunt Prudentes ità agere. Est enim hoc jus, ut rectè notat Dion Chrisostomus, ἐυρεμα βίου καὶ χρόνου, *repertum temporis atque usus*, itaque non potest aliter probari quàm usu continuo & peritorum testimonio. Regerit: *Conditio rei obstat* Atqui non obstat, quoniam res ipsa mensurari potest, & Reges moribus suis usi consuetudinem sanciverunt, quæ Legis instar sit. (3.) Quia à Græcis idem jus acceperunt & defenderunt Pœni, Hispani, Galli, Britanni, Suedi, Norvagi, Dani, omnes Europæ populi ad mare siti, & maris dominio aliquo ad privatum emolumentum semper usi, ut alios inde velut peregrinos aut excluderent omninò aut sub onere vectigalium admitterent. *Totus mundus illo jure utitur*, ait Chacheranus *decis. Pedemontana* 155. *num.* 4. & porrò ostendit Joh. Seldenus *l. d. cap.* 14. 15 *seqq.* (4.) Quia Romani imperium exercuerunt in quasvis Oceani partes ipsis vicinas, quod satis docet Lex Rhodia *de jactu*, ad quam doctissimum commentarium edidit Jacobus Godofredus, eique adde Arnoldum Vinnium *notis ad Petri Peckii jus maritimum.*

XVII. Nos describemus quædam *à Samuele Petito*: Non satis, *inquit*, diligenter excussa sunt, quæ refert ex Lege Rhodiâ *Volusius Mucianus lib. 9. D.* Quid hic monstri est, eos qui in mari ad Italiam naufragium fecerunt, à publicanis qui in Cycladibus sunt insulis, direptos fuisse? ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων, τῶν τὰς κυκλάδας νήσους οἰκούντων. Unde publicani Cycladum Insularum ad Italiam? Præterea non negat Antonius, se maris dominum esse, ut non possit leges dicere iis, qui navigant, vides enim velle jus dici Eudæmoni & publicanis, qui in Cycladibus Insulis, ex Lege Rhodiâ; neque item dicit, se ità teneri hac Lege Rhodiâ, ut non possit omninò Eudæmoni succurrere adversus hanc legem, si quid illi fiat injuriæ sed vult Eudæmoni judicium reddi ex hac quidem lege, ità tamen ut Romanarum legum nulli adversetur hæc lex. Atque ex his manifesti satis arguitur vitii hic locus de ejus porrò emendatione agendum restat. Rescribendum itaque putamus, ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Τηλίᾳ, διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων, τῶν τὰς κυκλάδας νήσους οἰκούντων. Corruptio hinc manavit. Scriptum olim, ἐν τηιτηλίαι quod cum non intelligerent homines libris corrumpendis nati, mutaverunt in ἐν τῇ ἰταλίᾳ. Emendationis ratio hæc est: Telus una erat è Cycladibus. *Stephanus*, Τῆλος, νῆσος τῶν κυκλάδων. Dixit autem Eudæmon, ναυφράγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Τηλίᾳ, supple θαλάσσῃ, naufragium fecimus in mari Telino, sive ad insulam Telum, quæ ut diximus, una erat de Cycladibus: itaque publicani quæ in Insulis erant Cycladibus, undique advolaverunt, uti diriperent merces, quæ naufragio peribant. Sequitur in rescripto Antonini ad Eudæmonem, ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης, τῷ νόμῳ τῶν ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ. Querebatur Eudæmon, se naufragium fecisse, & prætereà merces suas in naufragio à publicanis direptas fuisse. Ad prius respondet Antoninus, se quidem orbis dominum esse, sed tamen vento imperium esse in mare, ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ ἄνεμος τῆς θαλάσσης, neque à se vento legem poni posse, itaque ne faceret nau-

que incolumes dimittantur. Admittuntur, ut audiantur & responsum ferant super illis quæ Regis, quæ populi sui nomine denunciant. Nisi justa sit causa denegandi aditum, quod sæpè contingit. Ità Rabsaces Assyriç Regis legatus ad populum in Regem suum concitandum missus, non fuit admissus intrà urbem, 2. *Regum.* 18.17 *seqq.* Veneti missum à Cæsare Maximiliano I. Legatum Reinaldum minus accepta dicturum, admiserunt quidem, sed custodibus appositis prohibuerunt, ne quem injussu Patrum alloqueretur, quando securitas Reipublicæ ità volebat, Bembus *lib.* 7. *historiæ Venetæ pag.* 272. Dimittuntur, ut Regi & populo suo reddant, quod responsum acceperunt. Proinde Legatis non debet injuria inferri: (1.) Quia res gerunt nomine dominorum suorum. (2) Quia necessariò Internuncii tales sunt, ut eis societas gentium carere non possit. (3) Quia Jus gentium idem stabilivit communi assensu, ne Barbaris quidem exceptis, uti docent *Tacitus lib.* 1. *Annal.* Livius *lib.* 4. *histor.* Julius Cæsar *lib.* 3. *de Bello civili*, Cornelius Nepos *in vita Epaminondæ*, Vellejus Paterculus *lib* 2. *histor.* Cicero *Orat.* 5. *in Verrem*, Procopius *lib.* 3. *Gotticorum*, Josephus *lib.* 15 *Antiquitatum cap.* 18. Joh. Mariana *lib.* 12. *histor. cap.* 7. (4.) Quia Reges authoritatis suæ observatissimi propter Legatos suos malè habitos denunciaverunt bella, 2. *Samuel.* 10. 2. 3. *seqq.* (5.) Quia Reges & populi contumeliæ in Legatos admissæ vei damno atque interitu suo militiam istam luerunt, uti patet. Ammonitis interitum attulit, 2. *Samuel.* 12. 29 30. Romani ob Legatos suos aut malè habitos aut interfectos bello everterunt Illyrios, Achæos, Senonas Bojos, Samnites Florus *lib.* 2. *cap.* 5. Cicero *Orat. pro Lege Manilia*, Polybius *lib.* 2. *histor.* Livius *lib.* 4. Alexander Magnus solo æquavit florentissimos Tyrios ob Legatum suum ab eis occisum, Curtius *lib.* 4. *histor.* Tamerlanes bello devastavit Syriæ Regem Turcum ob causam eandem, uti prodit Arabassides *libro de rebus gestis Tamerlanis pag.* 165. Selymus Turcus profligavit & omninò delevit Mamalucos, quoniam Legatum suum ad eos missum interemerant, Leonclavius *in historia Turcica lib.* 17. Jovius *lib.* 17. & 18. *histor.* Ludovicus XIV. Franciæ Rex propter Legatum suum Romæ non satis reverenter habitum, Papæ denunciavit bellum & Avenionen urbem illi eripuit, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 13. *cap.* 4. *dist.* 11. Deinde verò reddidit motus pietatis argumento, uti credo, & quod Comitatus ille velut pars Regni Arelatensis ad Imperium pertineat.

II. *Denunciat.*] Non tantum Legati ipsi, verum etiam comites & ministri eorum securitate publicâ gaudent. Æquissimum enim est, oneris socios & ministros honoris quoque communione gaudere, ideoque si quis eorum quempiam contumeliâ affecerit, pari scelere & sceleris lege tenetur: Salustius de bello Jugurthino: *Fit reus magis ex æquo bonoq̀, quàm ex Jure Gentium Bomilcar comes ejus, qui Romam fide publica venerat.* Bonum & æquum, id est, merum naturæ jus patitur pœnas exigi, ubi reperitur qui deliquit, at jus Gentium Legatos, & qui his similes fide publicâ veniunt excipit. Nec tamen privilegio isto abuti debent, ut facinorosis receptum dent, magistratu repugnante, domi suæ. Uti enim Principi injustum & crudele esse duci-

citur, quandò indulgendo parcit facinorosis, ità patrocinium hujusmodi censetur Legato indignum esse, qui neutiquam mittitur, ut alterius Principis jurisdictionem turbet. Abondus, Cavassa, & Valerius cives Veneti, postquam arcana quædam Senatus in præjudicium Reipublicæ enunciaverant, proditores declarati sunt, itaque in ædes Legati Gallici, qui tunc Venetiis aderat, confugerunt, cumque postulantibus Officialibus nullo modo traderentur, navigio cum apparatu bellico ante ædes Legati collocato, demum traditi & supplicio affecti sunt. Quod cum Rex Galliæ rescivit, tantisper coràm admittere noluit Legatum Venetum, ut animi indignationem ostenderet, fortè in publico occurrenti Legato objecit factum iniquissimum, quandò haud æquo animo laturos Venetos crederet si contrà eorum Legati domum officiales sui eadem molirentur. Cui statim Venetus Legatus respondit, se optare, si qui essent contrà Regem proditores, ut in domo ejus apprehendi possent, eos se statim dediturum, cum pro certò haberet, si secus faceret, Rempublicam Venetorum haudquaquam approbare velle, Paulus Paruta *lib.* 11. *histor. Veneta*.

III. *Apud exteros.*] Legatus debet esse vir optimi generis, civis, eruditione & rerum gerendarum dexteritate instructus, præstans ingenio, quod prolixè exponunt Albericus Gentilis, Carolus Paschalius, Fridericus Marselar *libris de Legatorum jure* conscriptis Quæritur hic: (1) *An Exsuli ad Principem suum Legati nomine redeunti securitas debeatur?* Respondeo: Negat Albericus Gentilis *lib.* 2. *de Legatis cap.* 10. ubi certissimum esse *ait*, si exsul ad loca interdicta redeat, plecti capite posse, neque juvare eum Legati nomen. Exemplum est in Cardinale Polo, qui proditionis condemnatus ab Henrico VIII. Rege Angliæ, clanculùm fugit ac Romæ invenit receptum, inde missus à Papâ ad Regem Galliæ Franciscum I. ut res quasdam nomine Curiæ Romanæ ageret, ab Henrico postulabatur, ut ad supplicium dedere vellet eum Gallus, verum non obtinuit, & Polus quidem eo tempore non ad Regem Angliæ, à quo proscriptus fuerat sed ad Regem Galliæ Legatus ibat, cui nec subditus nec obnoxius ullo modo fuit. Sed posteà cum Maria Regina præerat Angliæ jam Philippo Regi nupta, & Polus iste legatione sanctissimâ missus à Papâ contenderet in Angliam, ad repurgandam illam à sordibus hæreticorum, duo proceres Regni cum mandato Regio aderant Bruxellis, ut honorifico ornarent comitatu, ipse tamen regnum nolebat ingredi, antequam in comitiis Regni lege de proscriptione ejus abrogatâ omnibus nobilitatis & patriæ juribus restitutus fuisset, Goodwyn *in Annalibus Anglianum.* 1537. & 1554. Verum affirmativa placet exemplo ejus quod Perseus Rex Macedoniæ exsulem Illyricarum misit Legatum ad Illyriæ Regem Gentium, & verò Gentius eum Legati nomine exceptum honoribus debitis affecit. Livius *l. b.* 43. *histor.* Dicit *Gentilis*: Si iste Legatus nihil mali perpessus est, non ad jus, sed ad factum referatur. *Respondeo*: Imò est Juris. Certè Ius Gentium de securitate Legatis præstandâ nullam exceptionem habuit unquam, & verò Exsul nonnisi tunc violat Regis sui jura, cum

cum redit privato instinctu, Regi suo quasi contumeliam facturus: sed cum à Rege alio famæ restitui cœpit, illius dignitatem percepit aliquam, itaque lædi non potest, nisi ut amicitia mittentis simul lædatur.

IV. Quæritur: (2.) *An Legatus, qui per nostros fines ad hostem proficiscitur, ut cum illo fœdus rebus nostris detrimentosum ineat, securitatem obtinere debeat?* Respondeo: Negant Balthasar Biala *lib. 1. de Jure belli cap. 9. num. 5.* Hugo Grotius *lib. 2. de Iure pacis & belli cap. 18. dist. 5.* Balthasar Cellarius *lib. 2. Institut. Politicar. cap. 9. dist. 7.* Fridericus à Marselar *lib. 2. de Legato dissertat. 13.* Joh. Cockier *libro de Legato cap. 40.* Mich. Piccartus *in Philosophia Aldorffina Disputat. 46. quæst. 4.* Rationes adferunt: (1.) Quod Legatus est cum isto nomine & privilegio tantum ejus, ad quem mittitur, neq; ergò alios ad reverentiam obligat (2.) Quod Legatus est pacis internuncius, neq; ergò debet parci illis qui bella concitare volunt. (3.) Quod defensio permittit, ut hostium conatus quovis modo avertamus. (4.) Quod sunt exempla Atheniensium & Hispanorum. Illi quidem Legatum à Spartanis missum ad Persas interceperunt & occiderunt: hi verò Galliæ Regis Legatos Rinconum & Fregosum ad Turciç Sultanū euntes in Pado apprehensos interfecerunt, Petrus Bisarus *lib. 21. histor. Ital.* Paulus Jovius *lib. 40. hist.* Laurentius Surius *in historia Germaniæ pag. 479.* Hæc illi. *Respondeo*: (1.) Legatus est talis apud omnes, etiam illos per quos viâ publicâ contendit ad istum, coram quo vult expedire negocia sua. (2) Hactenus bellum nondum est conflatum, & verò quâ potestate dominus ejus bella gerere potest, eâdem potestate utendo adhibere potest media & remedia omnia, quæ novit secundum Jus Gentium rebus suis prodesse. (3) Possunt averti, sed honestis modis fiat Legatus captivus, & si res tanti est, remittatur ad dominum suum cum querelâ: Legato non inferatur noxa, quandò mandatis Domini sui reluctari eum velle fas non est, adeoque nefas erit occidere eum, qui culpâ non suâ cum mandatis proficiscitur. (4.) Sunt exempla ista non satis bonæ fidei. Dicit *Kirchnerus*: Rinconus & Fregosus poterant jure intercipi videlicet missi ab eo, qui potestatem mittendi Legatos contrà dominum universi orbis non habebat, *lib. 1. de Legato cap. 8. dist. 19. seqq.* Respondeo: Galliæ Rex non est subjectus imperio Romano, adeoque liberrimæ potestatis compos Legatos mittendi jus perfectum habet de quâ reagemus *infrà cap. ult. dist. 3.* & Carolus V. Imperator non approbavit, quod sese inconsulto fecerat præfectus Mediolani, uti narrat Joh. Bodinus *lib. 1. d. Republica, cap. 6.* Porro in contrarium sunt exempla alia. Alexander intercepit quidem Legatos Spartanorum & Thebanorum, qui ad Darium Persiæ Regem ibant, & rejecit eos, non verò interfecit, Arrianus *lib. 2. hist.* Romani Legatum Philippi Regis Macedoniæ, cum literis jungendæ societatis gratiâ profecturum, ne quidem prohibuerunt ab itinere, quod Regis sui jussu ille persequebatur, Justinus *lib. 29. histor.*

V. Quæritur: (3.) *An Legatus in delicto gravi deprehensus supplicio affici debeat à Rege illo, apud quem deliquit?* Respondeo: Affirmant Joh. Chokier *libro de Legato cap. 42.* Joh. Henselerus *in Collegio Iuridico-Politico Disputat. 13. thesi. 37.* Rationem adferūt: Quod Legati nomine & privilegiis indi-

gnus est quicunque facinora patrat. Addunt exemplum Alexandri Pheræi, qui Pelopidam Legatum populi Thebani in carcerem detrusit, quod diceretur Thessalos ad libertatem prehendendam concitare, Cornelius Nepos *in vita Pelopidæ*. Respondeo: Legato nomen & privilegia, cum deliquit, ille solus detrahere potest, qui Legato nomen dedit, & Privilegia secundum Jus gentium propria accommodavit personæ. Et solus ille pœnam Legato irrogare potest ob delicta, qui impunitatem Legato rectis modis agenti omnia pro authoritate suâ dedit. Ità ergò docemus: Legatus ob patrata facinora accusatus remittatur ad dominum suum, ut is pœnam irroget ei. Nobiscum docent Albericus Gentilis *lib. 2. de Legatis cap.* 18. Herm Kirchnerus *lib. 2. de Legato cap.* 2. Hugo Grotius *lib. 2. de Jure pacis ac belli cap.* 18. *dist.* 4. Vernulejus *lib. 2. Institut. Politicar. Tit.* 6. *cap.* 6. Fridericus à Marselar *lib. 2. de Legatis dissertat.* 13. Carolus Paschalius *libro de Legatis cap.* 74. Ad Senones Gallos ibant Romanorum Legati Fabii, tunc cum Galli adversus Thuscos pugnabant, cumque nollent Galli deferre intercessioni Romanorum, Legati mutato habitu, antequam referrent ad populum suum, quid actum esset, Duces militiæ seipsos offerebant Thuscis, inq; Gallos veluti hostes suos pugnabant, vincebant, cædebant. Galli super istâ perfidiâ conquesti Romæ, Legatos vel puniri vel ad pœnam dedi sibi jubebant, rejecti verò bellum inferebant Romanis, quo urbs devastabatur, cives interficiebantur. Livius lib. 5. histor. Florus *lib.* 1. *cap.* 13. *histor. Roman.* Plutarchus *in vita Camilli*, & nos ex illis in Recensu historiæ universalis *l.* 4. *c.* 2. *dist.* 7.

VI. Quæritur: (4.) *An Nuncii à seditiosis civibus ad Reges suos missi habeant privilegium Legatorum, ut non possint violari?* Respondeo: Negant Balthasar Ajala *lib.* 1. *de Iure belli cap.* 4. Christoph. Besoldus *lib.* 3. *doctrina Politicæ cap.* 13. *dist.* 4. Alb. Gentilis *lib.* 2. *de Legatis cap.* 7. & defendunt exemplis. Dionysius pulsus à Syracusanis civibus missos ab eis ad se nuncios in carcerem detrusit, Plutarchus *in vita Dionysii*. Philippus Hispaniæ Rex missum ad se à Belgis civili bello efferatis nuncium Florentium Montignium capitis supplicio affecit, bona ejus in fiscum redegit, Hugo Grotius *lib.* 2. *Annal. Belgic.* Johan. Meursius *lib.* 1. *historiæ Belgic.* Martinus Schockius *libro de justitia belli Belgici cap.* 15. Verum hæc exempla illaudata non debent trahi ad imitationem. Quin prohibeantur magis, ne accedant, & verò Nuncios illos ideò admittere velle ut carnificis manu perimantur, injustum est, quod nobiscum docent Hugo Grotius *lib.* 2. *de Jure belli & pacis cap.* 18. *dist.* 2. Carolus Scribanus *lib.* 1. *Politica Christianæ cap.* 26. Franciscus Hottomannus *libro de Legato cap.* 4. Barthol. Keckermannus *in Cursu Philosophico Disput.* 33. *quæst.* 5. Rationes sunt: (1.) Quia non debent reconciliationis media pro componendis civilibus bellis impediri etiã apud seditiosos. (2.) Quia necessitas frangit communem Legem, & jus aliquod impertit eis, qui ab alio se injuriam accepisse, persuasum sibi habent. (3.) Quia crudelitas illa in causa est, ut sæpè ira in furorem convertatur, atque seditio levior in atrocissimum bellum demutetur, quomodò post cædem Mon-

Montignii in Belgicâ adversus Hispanos virorum innocentissimorum cruore madidos. (4.) Quia Flavianos imperii summi cōpetitores accusat *Tacitus*, quod sacrum quoque inter Barbaros Legatorum jus bello civili adversus Vitellium contemeraverant, *l. 3. hist.* Et verò prisci Romani cordatius egerant, quandò Legatos Tarquiniorū incolumes dimiserunt, qui insuper occultis modis cives impulerant ut profugos Reges in solium restituere vellent. Livius *lib. 2. histor.*

CAPVT VICESIMVM.

De Occasu Imperiorum.

SUMMARIA.

1. *Planetarii deceptores.*
2. *Testimonia sacra.*
3. *Chaldaeorum imposturae.*
4. *Edicta Principum.*
5. *Testimonia Doctorum.*
6. *Solvuntur instantiae.*
7. *Ratio evidens.*
8. *Vanitatum exempla.*
9. 10. 11. 12 *Exempla alia.*
13. *Solvuntur rationes contrariae.*
14. *Copernici error.*

I. ET *sint in signa cum tempestatibus, tum diebus & annis.*] Genes. 1. 14. Summus opifex postquam spectabile & eximiū manuum suarum opus, stellas, in coelo suspenderat, voluit illas esse ad distinctionem faciendam inter diem & noctem, ut essent in signa cum tempestatibus, tum diebus & annis, utque lucem adferrent super terrâ, *Genes.* 8. 22. *Deuter.* 4. 19. *Psalm.* 8. 3. *Psalm.* 19. 1. 2. 3. 4. 5. *Psal.* 104. 19. 20. 21. 22. Pro stabiliendâ Astrologiâ judiciariâ hinc inferunt Cardanus, Gauricus, Pomponatius, Leovitius, Junctinus, Garcaeus, Argolus, cumprimis Peucerus *commentario de generibus divinationum pag.* 279. *seqq.* & plures curiosae ejus professionis ostentatores. Atqui de eventis naturalibus ait Moses, uti sunt defectus luminarium, ventorum turbines, pluviarum defluxus, serenitates, tempestatum mutationes, conversiones temporum anni. Multo aliter sordidi illi Errones, qui profanos Chaldaeorum & Maurorum imitati mores, vani & mendacissimi harioli omnes ex genituris Principum & certis constellationum aspectibus, qui fuerunt eo tempore, quo Imperium aliquod primitus condi cepit investigare volunt successus, eventus bonos, malos, propè imminentes aut magis etiam remotos casus atque occasus, contingentes illos & seu voluntati humanae obnoxios, seu penes fati arbitria repositos, in quod utrumque solus Deus Imperiorum stator, Regum curator, imperium exercet, 1. *Regum* 12. 24. *Daniel.* 2. 20. 21. 22. *cap.* 7. 26. *Hosea* 13. 11. Damnant hoc literae sacrae, vetant Principes & Legumlatores, detestantur Theologi, spernunt Sapientes, refellit manifesta ratio, quicquid in contrarium garriat Mauricius Comes Fliscus *libro de annis Climactericis pag.* 168. *seqq.* Nos hoc ordine probare volumus, & instantias Adversariorum unà refellere, quas indagare possumus.

II. Primò: Damnant literae sacrae multis locis. Numeror. 23. 23. *Non est augur in Jacob, neque est divinus in Israele, temporibus suis dicetur Jacob & Israeli, quid ope-*

ratus sit Deus. Deuter. 18. 10. 11. 12. 14. *Non inveniatur divinus: Planetarius, conjector, præsagitor, incantator, hariolus, necromantes, namque abominationi est domino qui ista facit, & propter abominationes illas dominus Deus tuus expellit gentes istas à facie tua, gentes enim, quarum tu hæres futurus es, planetariis & divinis auscultant.* Jerem. 10. 1. 2. *Audite verbum hoc quod loquitur dominus vobis, ò domus Israëlis: Ità dicit dominus, vias gentium nolite discere, & à signis cœli nolite timere, quia timent gentes ab illis.* Cap. 27. 9. *Vos ergo ne auscultetis Prophetis vestris, aut divinis vestris, aut præstigiatoribus & planetariis vestris.* Actorum. 19. 19. *Multi verò ex iis qui curiosa exercuerant, comportatos libros exusserunt in omnium conspectu.* Curiosæ artes sunt, quæ Planetariorum prædicta excolunt, uti interpretatur Augustinus *Enarrat. ad Psalm.* 61. Excipit *Garcæus*: cum dicit Propheta, *à signis cœli nolite timere*, monet pios exspectare illos debere auxilium à Domino, quamvis calamitates magnæ à signis cæli denuncientur. Et cum *signa* vocat, portendi illis aliquid confirmat nec vult contemni, *in Methodo Astrologiæ Judiciariæ pag.* 393. Respondeo: Ità monet pios, ut precibus sese Deo commendent, & futuros eventus in potestatem ejus reponant, ne vanis auguriis ex syderum positu deductis vel rimari velint occulta, vel terreri prædictis nugacissimis. Et vocat *signa* μιμητικῶς, quandò ità vocabant Chaldæi describere spiris astrorum qui fata solebant, inque sidera ipsa per ἀποθέωσιν aliquã referre defunctos heroas, ut Numinum vice à mortalibus colerentur, beneficiorum præbitores, sed verò uti signa naturalia esse haut negamus, ità divinationes Planetariorum omni contentione animi detestamur: Numina verò tutelaria fingere velle, exsecramur.

III. Rursum: Chaldæi exponuntur ludibrio, qui primi artes illas exercuerunt, & fumos vendiderunt orbi universo, Esaiæ 47. 12. 13. *Defetisceris multitudine consiliorum tuorum, stent jam Planetarii qui contemplantur stellas, qui notas faciunt in menses prædictiones suas, & servent te ab iis quæ superventura sunt tibi: Ecce sunt tanquam stipula, ignis corripiet eos, non eripiunt seipsos à flamma.* Eccipit *Garcæus*: Damnantur corruptelæ artis, cum ex astris omnes pervestigamus eventus, verboque Dei præferimus decreta Astrologorum, *l. d. pag.* 394. Respondeo: Vana est distinctio inter artem & abusum ejus. Nec enim Astrologia est ars, sed impostura merissima, artisque ludibrium, cujus totus usus est in abusu. Et quomodò non præferuntur verbo Dei Astrologorum decreta, quandò contrà expressam Legem hariolantur Planetarii?

IV. Secundò: Vatuerunt Principes & Legumlatores, cum viderent Satanæ vates prædictionibus turbare animos, & ad novas, magnas, fallaces spes impellere. Mæcenas apud Dionem lib. 52. in Oratione ad Augustum: *Divinos in Republica esse, omninò non oportet. Multos enim hi tales, dum vera quædam, plura falsa proferunt, ad res novas impellunt.* Rescriptum Constantii: *Nemo aruspicem consulat aut mathematicum, nemo ariolum.* Rescriptum ejusdem: *Si quis aruspex, aut ariolus, aut certè augur vel mathematicus aut enar-*

ran-

randis somniis artem occultans divinandi, aut certè aliquid horum simile exercens, in comitatu meo vel Cæsaris fuerit deprehensus, præsidio dignitatis exutus, cruciatus & tormenta non fugiat, Cod. Theodos. lib. 9. Tit. 18. num. 2. 5. 7. Edicta similia habes apud Tacitum *lib. 12. histor.* Aliter esse cum damno animæ suæ credebat Julianus Apostata, & trahebat post se aulæ castrensis appendices, turbam Magorum, Vatum, Planetariorum, Chiromantarum, nebulonum, impostorum (*dæmonum majorem quàm militum turbam*, ut ait Nazianzenus Orat. 2. adversus Julianum) quos omnes cum ipso Juliano stoliditatis Eunapius Sardianus *libro de vitis Philosophorum*, & non obscurè perstringit scriptor prudentissimus Ammianus Marcellinus *lib. 23. histor.* Præsagiebant omnes læta omnia, successus fortissimis Alexandri Magni conflictibus pares, aliter vero evenit, Persarum armis fractus, fugatus, postartus fato sinistro occubuit. Dæmonis manu percussum esse qui Planetariorum auspiciis sese totum addixerat, & Solis patrocinio elatus Deorum filium sese existimabat crediderunt Sapientes, Theodoretus *lib. 3. histor. Ecclesiast. cap. 20.* Chrysostomus *Oratione contrà gentiles*, Augustinus *lib. 5. de Civit. Dei cap. 21.* Sozomenus *lib. 6. histor. Ecclesiast. cap. 1.*

V. Tertiò: Detestantur Theologi, Origenes, Epiphanius, Chrysostomus, Augustinus, Hieronymus, Cyrillus, Prudentius, quorum testimonia ordine describunt Pererius *lib. 3. Electorum cap. 1. seqq.* Dilherrus *lib. 3. Electorum cap. 22* Martinus Delrio *lib. 4. disquisit. magicarum cap. 3. quæst. 2.* Unum adferemus *Lactantium*: Diabolorum inventa sunt Astrologia & Aruspicina & auguratio, & ipsa quæ dicuntur oracula, & necromantia, & ars magica, & quicquid malorum exercent homines vel palàm vel occultè, *lib. 3. divinarum Institut. cap. 13.* & facto ipso comprobaverunt, quandò Aquilam Ponticum & Eusebium Emissenum viros cæterum doctos, quod improbam ex astris divinandi artem profiterentur, à cœtibus suis excluserunt, ut testantur Epiphanius *libro de mensuris & ponderibus*, Sozomenus *lib. 3. histor Ecclesiast. cap. 5.*

VI. Quartò: Spernunt Sapientes. Curtius vocat *superstitionem, vanam religionem, humanæ mentis ludibria*, lib. 4 & 7. histor. 2. Horatius:

Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi
Finem Dii dederint Leuconoe. neu Babilonios
Tentaris numeros,

lib. 1. Carm. 11. Inter Chaldæos ipsos, qui sapientiâ eminebant, & Astronomiæ studio excellebant vanissimas prædictiones adeò repudiabant, ut Planetarios de cœtibus suis relegarent. Strabo refert, προσποιοῦνται δέ τινες καὶ γενεθλιαλογεῖν, οὓς οὐ καταδέχονται οἱ ἕτεροι. *Sunt inter hos, qui ex natali horà hominum fata prædicere posse profitentur, quos alteri in consortium cœtus sui non admittunt.* Si illi etiam qui potuerunt credere astra Deos esse, hos vanissimos vates rejecerunt, quid melioris animi homines facere debent, cultores Dei Israelis, vates ejusmodi lapidibus obruere jubentis? Valerius Maximus: Mathematici: *ait*, levibus & ineptis ingeniis fallaci siderum interpretatione, quæstuosam mendaciis suis caliginem

injiciunt, *lib.* 1. *cap.* 3. Audi Lector de quæstu, finem hunc omnes istæ præstigiæ (non enim artes sunt) habent. Et quem non deceperunt Circumcelliones? Si Cardanus, Gauricus, Pompanatius ex thematum collocatione quædam certa præsagiverunt, non hoc debebat arti incerti imputari, sed quoniam ad magiæ albæ artes abominandas γοητεί desciverint. Vana igitur collectio est: *Sæpè evenit, quomodo prædixerunt. Ergò ars certa est.* Sanè Franciscus Junctinus *Tom.* 1. *Speculi Astrologici pag.* 3. 4. Andræas Argolus *præfat. ad Pandosion Sphæricum*, hic tibias inflant propolæ nugarum. Videlicet, quod Spurina Astrologus genus diemque mortis prædixerit Julio Cæsari: Quod Æschylus Philosophus obitum suum prævidetit ex astris, neque tamen effugerit casum dejectæ testudinis in caput suum: Quod Thrasybulus Astrologus prædixerit Tiberio imperii adeptionem: Quod Publius Nigidius & Theagenes Mathematici prædixerint Octavio Imperium orbis, quia Capricornum pro genitura suâ habebat adscendentem: Quod Tiberius interfecerit multos exploratis horum genituris per Thrasybulum, cum animadverteret eos ad summam fortunam natos esse: Quod Chaldæus aliquis prædixerit Agrippinæ, futurum ut filius ejus imperaret atque matrem occideret: Quod Vespasianus Cæsar Astrologiâ fretus pro certo dixerit, vel filios sibi successuros in Imperio, vel neminem: Quod Vitellio prædixerint Astrologi diem, quo periturus erat: Quod Sulla Mathematicus Caligulæ, Ælius Adriano imperium atque diem obitus prædixerint: Quod Asceletarion prædixerit & Domitiano & sibi genus mortis, quo uterq; perire debebat: Quod Lucas Bellantius ex astris prædixerit Astrologorū hosti Pico Mirandulano, non futurum eum ævi longi: Quod Petrus Leonius Spoletanus Medicus prævideret se in aquis periturum esse: Quod Muleassi Regi Tunetano prædixerit Astrologus cladem & exsilium: Quod dæmones oracula protulerint olim de rebus illis quas per Astrologiam divinatoriam exploraverant. *Hæc ille.* Atqui negat Deus, eventum esse veritatis regulam in prædictionibus improbis, *Deut.* 13. 12. 13. Et notum est, quod sæpè non evenerit. *Patitur Mercurius eos* (Nativitatum stelliones) *aliquando verum dicere. Omnibus mensibus, omnibus annis Mathematici Claudium efferebant, ut mortuum & vixit tamen diutissimè*, ait Seneca *ludo de morte Claudii Cæsaris.* De Cardano refert Scaliger *prolegomenis ad Manlii Astronomica*: Genethliacus in suis illustribus genituris multa præclara prædicebat viro cuidam summi ordinis, tàm ab ipsius, quàm liberorum fortunâ: quo quidem homine post omnem memoriam nihil fuit infelicius, sive ipsius, sive uxoris, sive liberorum exitum spectes. Idem Genethliacus cum multis annis diem & horam mortis suæ determinavisset, appetente verò tempore nihilominus benè valeret quanquam octuagenario major, ne artem contumeliæ exponeret, inediâ constituit mori, quod nescio serius an citius ante constitutum ab eo tempus contigerit. Res nota est. *Hactenus ille.* Et tamen Cardanus tantus in arte eâ fuit, ut hodiè ejus decreta sint κύριαι δόξαι. Si isti qui familiam in hac arte ducunt, ità pueriliter decipiuntur, quid à Crumeni sectoribus nostris exspectes, qui monoculorum ducum effatis cœci ipsi insistunt, qui aliorū fata in matrimonio rimantur, ipsi partem fortunæ accipiunt

Am-

Ambubajas pediculosas? Quos Argolus producit, Chaldæos, Syros, Ægyptios, isti omnes fuerunt dæmonum ministri, & ab his prædictiones suas acceperunt. Spurina erat haruspex, uti docet Suetonius *l. b. 1. cap. 81.* Non igitur Astrologus, quandò hic sidera pro geniturìs inspicit, ille victimarum proficias rimatur uterque præstigiator, sed non eodem modo. Præstigiator etiam Thrasybulus, quoniam Tiberii cogitationes, quas secum ille animo volvebat, ex inspectione siderum deprehensas proferebat ut produnt Suetonius *lib. 3. cap. 14.* Tacitus *lib. 6. annal.* Felix ars, quæ dæmonis familiaris conversationem velo tegit! Quot mille nascuntur, qui Capricornum habent in adscendente, & quamobrem non omnes illi sunt orbis domini? Quamdiu Sol in Cancri signo ambulat, eo occidente oritur ἀκρονύχως Capricornus, & homines tempore illo geniti habent Capricornum in adscendente. Et illa ipsa tamen genitura Augustini, quam hic posteritati commendavit, Capricornum in nummis scalpendo, uti refert Antonius Augustinus *Tab. 10. num 2. Tab. 11. num. 15. 16. Tab. 13. num. 12. Tab. 14. num. 20. 23.*) non leve dubium habet. *Suetonius* ait: Natus est Augustus paulò ante Solis exortum, *lib. 2. cap. 5.* Si hoc verum est, non sanè Capricornus erat in adscendente, verùm Cancer. Aut Suetonius hallucinatus est, aut Theagenes impostor fuit. An verosimile est, Suetonium tàm accuratum scriptorem, qui etiam minima omnia persequitur, tempus natale Augusti ignoravisse? Non possumus defendere contradictionem istam, nisi dicamus, Theagenem finxisse genituram, quæ non erat talis, aut Octavium perperam indicavisse. Vult equidem Ludovicus Carrion *lib. 2. Emendationum cap. 9.* prolixè evincere, petitis à Manilio testimoniis quod Augustus cum isto positu Capricorni fuerit natus, verum quid inde amplius? Reliqua sub examen vocare, haud lubeat; dæmones verò explorandis astrorum effectibus operam dare ut Oracula pronunciet, omninò futile est. Habent dæmones ingenii perspicaciam magnam longam rerum experientiam, itaque latentia rerum principia facilè explorant, neque mirum est, si multa prædicunt, quæ eveniunt. Demum apud Deum multa illis revelantur, qui ipsorum ministerio utitur in exsequendis rebus plurimis, uti literæ sacræ docent, 1. *Regum 22. 21. 22. 23. Iobi 1. 6. 7. 8.* Quod vero dæmonis familiares ab eo quædam vera falsis permixta possint exquirere, verissimum est. Rectè *Barclajus*: Impiæ arti accesserunt nefandorum geniorum commercia. Hi enim transacta inter homines secretaque accuratè explorant & sagaciter de futuro conjiciunt, ergo Chaldæos qui in pudendam eorum familiaritatem acciti fuerunt, suggerentibus ipsis prædixisse multa, non est mirum, *in Argenide lib. 2. pag. 153.* Denique regula est, *per quod quis peccat, per idem punitur*; Sapient. 11. 17. Ergò si non falluntur semper, qui Astrologorum prædictionibus fidem commodant, verum est quod fatuis sint fatua fata, quia enim decipi amant, imponunt lubentibus, ità permittente Deo, ut superstitio hominum sentiat flagellum Diaboli.

VII. Quintò: Refellit manifesta ratio. Nihil est in Intellectu, quod non antè fue-

rit in sensu. Atqui futura non sunt talia, ut sensus illa percipere valeant. Quomodò ergò pervenient ad Intellectum? Sensus verò nititur experientiâ. Dicit *Bellantius*: Experientia præstò est, cum plurimorum genituræ examinantur ad eorum mores & successus, ut in similibus astrorum concursibus de aliorum moribus vitaque fiat certissimum præsagium. *Respondeo*: Ut aliquid experientia sciatur factum ab aliqua certâ causa, necesse est, ut eadem illa causa perspecta sit eundem effectum eodem modo produxisse sæpius. Est enim experientia ejusdem rei eodem modo sæpè factæ observatio vel memoria. Ergò quia constellatio cœli nulla iterum redeat priori similis non poterat de ullâ haberi scientia, quod hoc illudve producendi potestatem in sese habeat. Quoties mater geminos eodem momento concipit atque enititur, sortis diversæ tamen & moribus invicem dissimiles? Quoties eodem momento haurit aqua plures naufragos, nec tamen eodem momentò natos? Duos Henricus Franciæ Reges diversis temporibus natos unum Mortis genus perdidit, uterque venenato cultro à sicatiis confossus est, vitamque cum sanguine vomuit, *alteri* genus mortis dedit Saturnus dominus octavæ, Lunam cum Pleiadibus aspectu quadrato feriens, unde per venenum mors esse debuit, Mars verò in Librâ solem infestans dedit vulnera ex ferro: *alteri* mortem non dissimilem alius omninò Siderum positus videbatur ominari. Luminaria erant in signis violentis afflicta, & Pleiades in domo octavâ, nec non Caput Medusæ, Venus vero octavæ domina in suo detrimento & domo Martis. Specimina ineptiarum videas apud Joh. Rudolphum Camerarium *in Centuriis horarum natalium pag.* 90. 91 93 95. Adde illa, quæ de Henrici I I. Franciæ Regis in hastiludio confossi genitura perscrutantur Mauritius Comes Fliscus *libro de annis fatalibus pag.* 52. Joh. Garcæus *in methodo Astrologiæ Iudiciariæ pag.* 265. 304. 367. 445. Franciscus Junctius *Tomo* 1. *Speculi Astrologici pag.* 169. 451. & mirare hominum inconsultam audaciam, qui vaticinia post eventa fingunt: quia opus manuum Dei in hominis exitium cooperari dicunt; qui hominem divinæ providentiæ subtractum impotenti astrorum dominio subjiciunt, qui Deum hominesque potestati superiori obnoxios unâ captivitate damnant; qui in perniciosissimâ amentia singularem aliquam sapientiam profitentur.

VIII. Amentia sanè intolerabilis est, quod Cardanus *in Catalogo Genitu rarum illustrium num.* 64. docet, eandem fuisse rationem præclaræ Theologiæ divinarumque literarum percipiendarum in Servatore nostro & Hieronymo Savanorolâ: *Namque Saturnus & Venus*, ait, *cum Spica Virginis fuerunt*, *sæpius autem dictum est*, *hanc stellam nostræ regioni præsidere*, *ut causam naturalem*, *quæ cum Iove etiam in Servatoris genitura horoscopum occupabat.* Hæc ille. Ità astrorum Dominum astrorum dominio subjicit, ac prætereà notum est, quod verum Servatoris natalem ignoraverit. Paris amentiæ indicium est, quod Cardanus *l. d. num.* 60. 61. 62. 63. *& cõmentariis ad Ptolomæi quadripartitũ*, Cyprianus Leovitius *præfatione ad Ephemerides*, Petrus Alliacensis *libro de Orbis concordia*,

&

& pronuper Mauricius Comes Fliscus *libro de annis fatalibus*, *pag.* 160. *seqq.* ausi fuerunt, civitatibus, populis, imperiis, familiis illustribus describere genituras, ut earum successus, conversiones, eversiones prædicerent secundùm illa, quæ motus siderum portendebant. Adversus istos prolixam disputationem orditur Johannes Bodinus *lib.* 4. *de Republica*, *cap.* 2. & hoc cumprimis argumento utitur, eorum, qui siderum vim, orbiumque cœlestium cursus notaverunt, tantam esse varietatem & inconstantiam, ut eandem stellam alius recto, alius averso cursu ferri eodem momento scripserit, atque suâ ipsi temeritate refellantur, qui stellarum vim in civitates, quidque ad quamlibet multos annos effecturæ sint, sine errore prædicere sese posse jactitant. Quod argumentum invictum est, atque magis illud urgebit, cùm notatur multorum stupida in urbium thematis erigendis negligentia. Olim Marcus Varro, quem Tullius Græcos & Latinos omnes eruditione superavisse, prodit, Tarruntium Firmianum jussit, Romæ urbis thema erigere. Is ergò causas ex progressu Reipublicæ, & antecessiones è consequentibus comparans, levissimis & inanibus conjecturis tradit, jacta fuisse urbis fundamenta anno tertio sextæ Olympiadis X. Cal. Majas sub horam à meridie tertiam, cùm Saturnus, Mars & Venus scorpionem, Jupiter pisces, Sol taurum, Luna jugum obtinebant, Geminis in cœli medio constitutis, oriente Virgine. At conatus hos Tarruntii erroris meritò insimulat Joachimus Vadianus *notatis ad Pomponium Melam*, *pag.* 112. Cumque hujus thematis cardines præcipui ad Mercurium pertineant, & hominum studiosorum mercaturæ, Philosophiæ, literarum denique omnium, thema illud cæleste notam præ se ferat, quî fieri potest, ut in Romanos belli studiosos, literarum bonarum modicè amantes homines ista conveniant? *Mercurius in octavo loco Jovi junctus in piscibus, quòd in eis maximè infortunetur, ad literas aptos minimè faciet, quod & magno miraculo consecutum est, ab ejus enim ædificatione vir maximus in re literaria usque ad hunc diem non exstitit*, ait de Venetiarum ædificatione Cardanus, *l. d. sect.* 60. Quanquam Tarruntius alio etiam errore lapsus est, cùm Solem Veneri ἀντικείμενον & planè oppositum dixerit, namque Venus à Sole remota quàm longissimè, discedit octo & quadraginta partibus tantùm, non ultrà.

IX. Ut errores cumularet Mediolanensis Genethliacus, & nominis sui fama, quam venabatur apud rerum earum imperitos, patriæ suæ laudes augeret, (utpotè quæ habet *in themate suo Mercurium in domo propria, in Saturni trigono, ipso in aquario existente, unde proveniant divina & in artibus præstantissima ingenia*, ait ipse l. d. sect. 61.) maximarum civitatum origines & incrementa ducit à stella boreali, quæ extremam caudam Ursæ majoris occupat, eamque urbi Romæ, cùm primò conderetur, verticalem fuisse affirmat, inde Romanum Imperium Constantinopolim, pòst in Galliam, hinc in Germaniam ejusdem stellæ benificio, quæ ob præcessionem æquinoctiorum mutavit locum, traducendo, profert. Quæ tametsi ab homine vanitatum Astrologicarum peritissimo in literas relata sint, non tamen approbat Genethliacus Comes Fliscus *libro de annis fatalibus pag.* 193. Nunquam enim stellæ ejus declinatio fuit tanta,

 ut

ut haberet quadraginta duos gradus, quot gradibus elevatur polus urbis Romæ. Atqui elevatio poli ab Horizonte, & declinatio stellæ ab Æquinoctiali sunt æquales. Et cur hodiè non confert imperandi potestatem civitatibus ac populis illis, quorum verticem perambulat, videlicet Saxonibus, Brabantis, Lusatis, Thuringis, Flandris, sub elevatione poli ad quinquaginta & unum gradus constitutis? Quare non ad Imperia evehit Scotorum piscatores, qui Orcadas accolunt, aut Norvagos & cæteras ad Aquilonem gentes, quibus eadem stella non modò verticalis est Sole meridiano ac mense Septembri, verùm etiam perpendicularis? Regerit *Cardanus*: Si quis dicat, igitur existentium in uno parallelo erit eadem fortuna, quoniam eadem stella verticalis est, dico, quòd oportuit in fundatione loci eam stellam tunc fore & in meridie & cum Sole junctam, & Solem cum hoc esse fortunatum, atque ita fortitudo communicatur toti parallelo, sed imperium uni soli contingit loco, unde legimus, quòd tempore Romanorum tota Italia erat repleta populis fortissimis, maxime in eodem parallelo, Samnitibus, Vejentibus, Fidenatibus, qui ferè erant in eadem poli elevatione, partem autem Italiæ borealiorem, non Italiam, sed Galliam togatam vocabant, nec in fortitudine erat eis similis, *libro de Supplemento Almanach, cap.* 10. Respondeo: Benè dixeris, ab homine levissimo prodita illa esse, ut homines rerum cœlestium imperiti legant quæ mirentur. Certè per naturam fieri haud potuit, ut extrema stella in cauda Helices eâdem horâ, id est, meridianâ, cum Sole verticalem circulum attingeret. Est enim hodie stella ista posita in vigesimo secundo gradu Virginis, itaque secundùm doctrinam præcessionis æquinoctiorum à Brahæo ad justum calculum revocatam, necesse est in decimo octavo gradu Leonis exstitisse, cùm urbis fundamenta jaciebantur, Solem verò in decimo octavo gradu Arietis. Ergò aberat stella triente circuli à verticali, cùm in eodem signo & eadem parte signi, quâ Sol erat, esse debuisset, si vera sit Cardani doctrina. Illud etiam absurdius, quòd ab extrema Helices Imperium Constantinopolim delatum fuerit, cùm mille circiter annis condita fuerat ante, quàm Imperii sedes à Constantino ibi deponeretur.

X. Nec melius alii, quos inter *Argolus*. Parisiis, *inquit*, culminat latus fulgens Persei naturâ Saturni & Jovis, multumque conferet ad stabilia amplificanda. Culminabat annis elapsis Venetiis Capella seu Hircus, primæ magnitudinis stella de natura Martis, & ad bellicos apparatus Rempublicam excitavit, culminavit de propinquo stella borealis in pede posteriori Ursæ majoris, naturâ etiam Martis, & ad eadem Martialia Rempublicam propellet, ac duratura. Stella nova in Cassiopeja fuit verticalis Suediæ, cùm obtinuerit declinationem ad partes sexaginta unam, quanta est illius regionis elevatio poli: Direxit Brahæus eam stellam, ut magna protendentem, ad magnam conjunctionem Saturni & Jovis in Trigono igneo & in Ariete celebratam, ad quam perveniebat Annô M. DC. XXXIII. circiter, quos effectus produxerit, novit mundus, *in Pandosio Sphærico, cap.* 63. Rursum *Cardanus*: Quando caput Medusæ peragravit Asiam minorem & Græciam in annis fermè quadringentis, destruxit eas provincias

vincias usque ad extremum, & desertas atque oppressas à Muhammedanis reddidit. Nunc autem invalit Italiam, est enim verticalis super Apuliam & Neapolitanum Regnum, utinam nobis nihil ferat nocumenti, *in Almanach l. d.* Et *Mauritius Comes Fliscus*: Caput Medusæ de natura Saturni & Jovis factum verticale Lissabonæ Portugalliæ paulò ante An. Chr. 1640. tumultus in Regno illo excitavit, adhuc super verticem est, & Portugallia plorabit, nam ante hujus seculi finem, circa Annum 1700. pejora consurgent ex ingressu sinistri humeri Bootæ, magnitudinis tertiæ de natura Martis & Saturni, *l. d. pag.* 197. Hæc illi. Ad quæ nos pauca notare volumus. Nec Capella attulit commodum Venetis, nec stella borealis in pede Helices adferet, postquam dominio maris Ægei dejecerunt eos Sultani, Cypro expugnatâ, Cretæ invasores, & quis pellat eos! Stellam novam in Cassiopeja tumultus Suedicos in Germania prænunciavisse, quis credat ob temporis intervallum? Tantò magis præcipitem animum in Comite Flisco arguit, qui genituram Regis Gustavi Adolphi describit: *Nihil mirum est*, ait, *si tot victoriis præditus fuit, quia stella nova in Cassiopea fuit in ejus horoscopo*, l. d. pag. 58. Atqui miraculum ingens & supra omnem fidem, quòd stella, quæ non exstabat Regis in lucem editi tempore, Regis potuerit addere successibus, & fortunam ejus dominio suo moderari.

XL. Denique notorium est, omnes omnium in hoc negocio errores velle redarguere, esse supervacaneum. Petrus Alliacensis *libro de Concordia Orbis*, Leovitius *Præfatione ad Ephemerides*, Mauritius Fliscus *l. d. pag.* 182. *seqq.* Argolus *l. d. cap.* 73. provocant ad conjunctiones maximas & magnas Saturni, Jovis, Martis in uno signo Zodiaci, propter quas fiant Rerumpublicarum ortus, conversiones, obitus, populorum migrationes, bella, pestes, eluviones, incendia, sterilitates. Et quidem haud negamus, quoties Planetæ isti conjunguntur sequi ea in negotiis humanis eventa, quæ etiam prudentissimos rapiunt in admirationem, quanquam nulla vis necessitatis hominum generi à cœlo impendet. Sed quicquid illud fuerit, Petrum Alliacensem gravissimè errare constat, quando conjunctiones illas ab ultimo principio repetens, annorum septem millia ab orbe condito procurrisse, credidit falsò, Eusebii & Alphonsi errores secutus, ab Alexandrinis Bibliorum Interpretibus primùm invectos & nuper ab Isaaco Vossio *libro de vera ætate mundi*, reproductos, ad quorum mentem orbis creatio profertur suprà mille quingentos annos, ac quidem veritas Hebraica permittit. Quare fallitur Alliacensis, qui ante septem millia annorum superiorum Planetarum conjunctionem posuit anno post orbem conditum trecentesimo & vigesimo: Id autem mille ac ducentis annis ante conditum mundum fuisset. Idem etiam putat, mundo nascenti, cujus ipse thema deformat, Cancrum in Ortu fuisse, Solem in Ariete, Lunam ac Venerem in Tauro, Saturnum in Aquario, Jovem in Piscibus, Martem in Scorpione, Mercurium in Geminis. Quæ cum orbium cœlestium motu ac natura ipsa pugnare, verissimè arguit Johannes Bodinus *lib.* 4. *de Republica*, *cap.* 2. non tamen sine errore. Uti enim meritò reprehenditur Alliacensis, dum Solem ponit in 19. parte Arietis, &

Mercurium in 15. parte Geminorum, alterum ab altero sex & quinquaginta partibus removendo, quos tamen in distantia maxima triginta partibus solùm ab invicem recedere, docet Ptolomæus *lib. 12. magnæ constructiónis*, ita assensum meretur in eo quòd Solem ponit in Ariete, contra quam disserit Bodinus, Solem in Libræ signo collocando, ut evincat, mundi initium in Autumno fuisse, adversus quam sententiam prolixè commentati sumus *libro de Creationis operibus, Exercitat.7.* Ratio una sufficit: Quia tellus germinavit herbas virides, *Gen.* 1. 11. id quod tempus vernum demonstrat. Excipit *Bodinus*:(1.) Quòd antiquissimi populi omnes institutis moribusque suis ostendant, mundum in Autumno cepisse. (2.) Quòd annus Jubilæus celebrari jubetur septimo mense, qui est September. Et eodem mense, quo messis in horrea colligitur, jubetur celebrari festum tabernaculorum, *Exod.23.16. cap.34.22. Lev.23.34. cap.25.9.* Hoc ideò factum est, quòd mensis ille principium orbis & anni esset. (3.) Quòd terra protulerat fruges maturas & fructus arborum ad vescendum aptos, ut homo & animantia haberent commodum alimentum. Id verò fieri non posset, nisi mundus in Autumno conditus esset, quia prope Jordanem creatus est Adamus, ubi Veris tempore nec fruges maturescunt, nec arbores proferunt fructus. *Hæc ille.* Respondeo: (1.) Imò contrarium verum est, quòd videlicet Chaldæi, Persæ, Indi, Syri, Phœnices anni principium in Martio posuerint. (2.) Duplex erat annus apud Hebræos, civilis & Ecclesiasticus. Anni civilis principium & finis erat September, non quod eo tempore mundus quondam cepisset, sed quòd ratio contractuum & negotiorum ita juberet, metiri eo annuos pensus & census locationum, conductionum, emptionum, sementis, comutationum pro frugibus collectis, pecuniarum solutionibus. Ergò etiam festum tabernaculorum alio tempore celebrari non poterat, quàm messe peractâ. Eodem etiam mense annus Jubilæus incipere debuit, quòd anno illo agri veris Dominis restituerentur, oportuitque annum in collectione frugum terminari, ut novus possessor sementem faceret in annum sequentem. Ecclesiastici sive legalis anni principium erat Aprilis, *Exod. 12. 2.* (3.) Omninò convenit verno tempori, habere maturas fruges, arbores pomis gravidas, viride gramen. Certum enim est, quòd apud Orientis populos bis proveniant arborum fructus, Vere & Autumno, sicut mala aurea in hortis Hispaniæ. Locus, qui creatum Adamum primò excepit, fovitque, erat Paradisus, atque ille situs, non quidem in Palæstina, uti Bodinus statuit, verùm in Babylonia, de qua re porrò videris *librum nostrum de Creationis operibus, Exercitat.34.* Ad Petrum Alliacensem ejusdemque thema natalitium mundo primitus constituto erectum revertamur, qui hoc sibi proposuerat, contra decus & majestatem planetarum fore, si nascente mundo alibi quàm in suo quemque solio collocaret, quæ sunt improba Chaldæorum figmenta. Thema cœli si quis desiderat, hoc modo è Tabulis à Brahæo constructis erigitur: In prima domo est initium Arietis, in decima initium Capricorni, in septima initium Libræ, in quarta initium Cancri. Sol occupat primum gradum Arietis, Mercurius duodecimum, Venus decimum quartum ejusdem, Saturnus vagatur

per

per Libram, Jupiter in Aquario, Mars in Tauro effulserunt; Luna in Ariete, utpotè nova & cum Sole conjuncta, caput Draconis fuit in Virgine.

XII. Pronunciabat Leovitius velut ex tripode, quòd ob Planatarum ferè omnium concursum & unà minitantem Solis Eclipsin An. Chr. MDLXXXIIII. instaret adventus Servatoris ad judicium & consummatio seculi. Quàm tamen incertus aliàs rerum suarum, ut Ephemerides conscriberet anni ejus coronidem prætergressas; & Jovem permisceret ei conventui Planetarum, qui à Saturni atque Martis copula duodecim gradibus remotus erat; & similis Planetarum coitio unà Solis ac Lunæ deliquia maxima secum adferens, tempore Caroli magni facta, ei haud ignota esse posset, nec propterea tamen mundum hunc interiisse vidimus; & vaticinium ejus alterum, quo Maximiliano Imperatori totius Europæ dominium pollicebatur, mendacii convinceretur, quando post consummationem seculi dominia omnia cessabunt. Ac porrò ab eo dominatu universali, (quem ante illum ob causas easdem Cardanus prænunciaverat, & post eum Philippus Melanchton *Exhortatione ad Maximilianum* perscriptâ laudare voluit, ut Cæsarem pacis studiosum ad arma in Turcos ferenda impelleret,) tantum abfuit Maximilianus, ut ei viventi & spiranti Solymannus Turcus magnam partem Hungariæ eriperet, Veneti urbes imperiales per Italiam auferrent, Helvetii amplissimos pagos in clientela Imperii hactenus descriptos, armis victricibus extorquerent. Hoc scilicet dominium universale fuit!

XIII. Instat *Peucerus*: (1.) Quòd Deus dixit, fiant luminaria magna in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa, stata tempora, dies & annos, ut luceant in firmamento, & illuminent terram, *Gen.* 1. 14. 15. 16. 17. Decretum itaque & statutum est à Deo, ut stellæ distinguant, varient, temperent idoneis qualitatibus & naturæ mixtorum convenientibus, diurna, menstrua & annua spatia, sintque in signa, id est, ante conspecta & considerata, de initiis, progressionibus ac metis temporum, deque illis quæ incidunt variationibus, vi stellarum excitatis, moneant atque doceant homines. Ergò & tribuit eis hoc, quod aliàs aliter elementaria cuncta afficiant, & eas effectiones positu suo præmonstrent attendentibus. *Respondeo:* Dictum est *suprà dist.* 1. quòd omnes illi stellarum effectus quà lucem propriam ipsis & calorem in elementis productum extendant sese ad vicissitudines temporum & tempestatum, maturandas fruges, fovenda corpora animantium. Hæ sunt qualitates manifestæ, occultæ nec sunt, nec si essent, Astrologis notæ essent. Constat; quòd veteres Hebræi in perscrutandis rerum causis admodum gnavi & solertes fuerint, ut non modò rerum divinarum ac cœlestium scientiam, sed etiam abditos naturæ effectus divino munere & concessu perspectos habuerint, & ab eis ad homines alios rerum pulcherrimarum cognitio pervenerit, teste *Porphyrio Malcho* omnium ætatis suæ Philosophorum maximo, *in Epistola ad Boetium*, nemo tamen horum fato aliquid tribuit, nec siderum decreta ulla immutabilia metuunt, sed omnia divinæ voluntatis arbitrio regi & mutari ajunt, ut qui rerum naturam ac mundi fundamenta cùm volet, quatere possit. quomodo conti-

egit in aquarum eluvione super orbis habitati partem, & in extensione lucis à Sole productæ, *Gen.*7.10.11.12. *Josue* 10.12. 13.14. Proinde illæ rerum humanarum conversiones, quæ vel solo Dei arbitrio reguntur, vel hominum consiliis procurantur, dominio stellarum neutiquam obnoxiæ sunt (2.) Neque consentaneum est, maxima illa & fulgentissima corpora tantâ lucis varietate, tanto numero, & certâ atque immotâ lege consistentia, nec erroribus obnoxia, nec labem ullam perpessa, quorum perpetuos motus cum admirabili constantia & consensu inter se immutabili cernere liceat: Ociosi tantùm ornatus causâ comparatos esse, & non ad alios usus longè potiores. *Respondeo:* Non est, pro solo ornatu esse, quando monstrant Deum conditorem universi, *Gen.*1.1. *Psalm.*8.1.2.*seq.* *Psalm.* 19.1.2.*seqq.* *Rom.*1.3.4 *seqq.* & cùm vicissitudines temporum naturales dimetiuntur, *Gen.*8.21.22. *Psalm.*104.19.20.21.22.23. (3) Stellarum effecta in mutandis hominum affectibus, augendis morbis, minuendis doloribus sunt varia & manifesta. *Respondeo:* Hoc inde est, quòd in elementa sibi proxima agendo, quæ hominem vicissim ratione animæ sensitivæ afficiunt, quosdam producant effectus. Nunc verò quæritur de iis, quæ ab intellectu & voluntate hominis reguntur & dependent, an illa sint in potestate Jovis, Solis, Veneris, Lunæ, Martis? Et negatur. (4.) Stellarum effecta in largiendis homini nascituro animis, sunt manifesta, itaque alius huic arti aptus est, alius ineptus. *Respondeo:* Non tàm à stellarum viribus debent illa peti, quàm à causis arcanis, & soli Deo notis, ob quas Naturæ sequitur semina quisque suæ. Dicit Moses, condita esse astra pro ministerio populorum omnium, *Deut.*4.19. Non ergò habent dominium in animos nostros, um Deo obnoxios, & quatenus absurdum est, ut peritura æternis, inanimia animatis & ratione præditis imperent. Ac quanquam sidera possint qualitates aliquas in homine progenerare, nunquam tamen efficient, ut deinde hoc vel illud ab aliis in eos perpetretur, quippe quòd eventa hujusmodi in alterius, non vero in ipsius arbitrio & voluntate posita sunt. (5) Luminum deliquia inficiari non possumus atque horum significata, quorum tristi deformique aspectu omni tempore hominum animi conterriti expaverunt trepidaruntque, occulto scilicet sensu naturæ præsagientes secutura damna. *Respondeo:* Et ingentia sæpè contigerunt damna, quæ nullis Lunæ Solisque deliquiis prænunciata fuerunt. Fuissent deliquia ista etiamsi non fuisset peccato obnoxius status. Constat quia fiunt secundùm Naturæ Leges primò institutas, nec enim illis Deus aliquid post naturam destitutam addidit, unde possint Naturam inferiorem culpâ suâ vitiosam in pejus etiam promovere novis influxibus. Hinc prædicuntur ab illis, qui rerum futurarum piæ notionem cæteroquin nullam habent, soli Deo propriam. Quia ergò causas naturales habent, non est, quare in rebus agendis nos ab eis impediri sinamus. Niciæ exercitus internecione deletus fuit, cùm præ metu deliqui eum in castris continebat. Melius Pericles, quando exercitum suum ob Solis deliquium videret timoris plenum, obvie stationes, causas aperuit, & milites in officio retinuit. Plutarchus *in vitis illustribus*, Valerius Maximus *lib.* 8. *cap.* 11. Instat

Penic-

Peucerus: Frequentiores multò tetrioresque aspectu nos cernimus labores Solis & Lunæ, quàm didit vetustas, quæ ob raritatem, quotiescunque alterutrum evanuit, subitò obstupefacta & in sollicitudinem redacta, tota tremuit horruitque metu offensi luminis, & posthabitis rebus omnibus, tota exquirendis placationibus Deorum dedita & intenta fuit. *Respondeo*: Mirum si ille ex Tabulis Revolutionum Purbachii non potuit aliter & melius etiam informari. Et tetra olim fuerunt deliquia, & hodiè sunt: Neque lætiora hodiè sunt orbis eventa quàm olim fuerunt, uti docent Annales. *Pergit*: Christus inter extrema signa, quæ fatiscentem & dissolutioni vicinum mundum antecessura sunt, in Lunæ Solisque & stellarum etiam corporibus apparitura indicia commemorat, quibus etsi fortasse aliqua nondum visa hactenus aut animadversa notat, tamen & crebriora deliquia, & fœdio r es ... stellarum positus complecti eum sentio, præsertim cùm addat, & virtutes cœlorum movebuntur. *Respondeo*: Non quidem de orbis consummatione loquitur Servator, verùm de urbis Hierosolymorum excidio & populi Judaici internecione, quam Romani procuraturi essent. De quo ipso excidio prædixerat Malachias *cap* 4. 5. nec non agit Petrus *Actor*. 2. 16. ubi applicat Joëlis vaticinium per analogiam, id est, in simili casu. Nam quomodo per Chaldæos populum olim puniverat, ita per Romanos deinceps punire volebat, durius etiam, quia dissipare volebat eos per orbem totum sine spe restitutionis, quò majora etiam beneficia nunc quàm olim præcesserant ad convincendam Judæorum pertinaciam. Adeoque Servator commemorat signa ista, non quòd principaliter effectura essent cladem gentis impiæ, sed quòd comitarentur. Scilicet verbo, *sunt signa*, & contingentia illa, quæ nec mala omnia, nec semper denunciant mala populis iis, quorum conspectui præbent sese. (6.) Gentes regionesque certis subjici signis, & consentire sideribus, cùm quis dubitat, mores earum naturasque comparet ad naturas stellarum, quarum dominio tribuuntur, non casu & fortuitâ sortitione, sed ratione & judicio. *Respondeo*: Sunt Chaldæorum & Ægyptiorum fabulæ, quibus fidem velle dare, est nugis veritatem addere, & cum ratione insanire, uti censet Johannes Keplerus *libro de Trigono igneo*, *pag*. 23. *seqq*. cæterùm non obscurus Genethliacorum patronus. Postquam animadverterant, superiorum Planetarum conjunctiones, aut frugum inopiam, aut populares morbos, aut interitum animantium, aut eluviones aquarum, aut incendia urbium, aut conversiones Imperiorum consequi, non quidem ubique, sed certis quibusdam locis & regionibus. Ex quo quidem conjecturâ quadam judicaverunt, hoc vel illud signum huic vel illi regioni à Natura tributum esse, inde cœlestia signa duodecim quadrifariam diviserunt ex elementorum vi ac potestate, & præcepta quædam posteritati reliquerunt, quæ quòd conjecturis inanibus magis quàm rerum experientiâ manifestâ niterentur, artem efficere non potuerunt. Mentiebantur enim Chaldæi, qui se quadringentis annorum millibus in experiundis nativitatibus operam dedisse, jactabant, teste Cicerone, *lib*. 2. *de Divinatione*, quò suam illam scientiam redderent certiorem: Ægy-

Ægyptii viginti mille annorum in literis hieroglyphicis observationes comprehensas volebant persuadere Soloni, uti refert Plato *in Timæo*. Atqui cordatiores ista omnia ad fabulas redegerunt. Calisthenes Alexandri M. comes, post Babilonem expugnatam, librariam supellectilem Chaldæorum perquisivit, & omnes horum observationes mille nongentis annis descriptas esse animadvertit, quod quidem tempus cum literis sacris exactè congruit, si ad ætatem Nimrodi, qui primus dominatum Babilonis adeptus est, progredi voluerimus, erit sexagesimus annus post diluvium Noëticum, & eò quidem historia verior est, quò à Simplicio homine Pagano *Comment. 46. ad lib. 2. de Cœlo*, relata est Ptolomæus, cùm antiquitates Chaldæorum longissimè repeteret, motuum principia non assignat pro tot annorum millibus, sed pro initio Regis Nabonassaris, atque iis Lunæ deliquiis, quæ sub illius dominatu contigerunt, *lib. 3. & 4. Constructionis magnæ*. Erat annus post diluvium M.D.XLVI. Quis verò non miretur, tot annorum millia in observationibus siderum perpetuis impendisse Chaldæos, ut nihil nisi monstra mendaciorum inde nobis procurarent? Hoc saltem ex illorum disciplina constat, non posse defendi in astris τὸ ποιητικὸν, nisi Dii sint, & divina his tribuatur potestas. Quam cùm eis adimes, non superest, unde veritatem horum effectuum, qui illis tribuuntur, possis adstruere. Itaque Ptolomæus solos φιλοθέους esse pronunciavit eos populos, qui essent φιλαστρόλογοι, quique astra & solem colerent, ut Phœnices, Chaldæos & Orchenios, pro impiis verò habet eos, qui unum Deum colebant, & siderum vanissimas prædictiones contemnebant, uti erant Judæi & Idumæi. Ergò qui Syriam Cavam habitabant, Judæam & Idumæam Arieti & Marti vult magis συνοικειοῦσθαι. διόπερ, inquit, ὡς ἐπὶ πᾶν θρασεῖς, καὶ ἄθεοι καὶ ἐπιβουλευτικοί. Phœnices autem & Chaldæos & Orchenios, Leoni & Soli magis affines & cognatos videri. διόπερ ἀπλούστεροι καὶ φιλανθρωπότεροι καὶ φιλαστρόλογοι καὶ μάλιστα πάντων σέβοντες τὸν ἥλιον. Ita scribit *lib. 2. Quadripart.* Nemo igitur bonus Astrologus, nisi Astrorum cultor & Solis, qui præcipuus Deus & præcipalis in Planetariæ artis decretis faciendis, utpote qui Regis instar inter reliquos Planetas Deos obtineat. Orchenii autem illi pars & secta Chaldæorum, appellati ita fuerunt, quòd essent Sacerdotes ignis, Chaldaico sermone אור כהניא, uti diximus *lib. 1. Antiquitat. Roman. cap. 6. dist. 10.* Porrò *Diodorus Siculus* in Ægyptum veritatis inquirendę causa profectus, audivit sacerdotes quosdam, qui dicerent, triginta & trium millium annorum vetustas observationes in Memphitico delubro repositas esse, cumque rerum veritatem justis ponderibus exigeret, comperit omnes illas priscorum temporum relationes annis tribus millibus & septingentis absolvi. Quamobrem ineptè illi quidem agunt, qui librum Quadripartitum Ptolomæo tribuunt, ubi triplicitas ignea datur Europæ, & iis regionibus, quæ Occasum inter & Aquilonem interjacent; Asiæ aëria & iis locis quæ posita sunt inter Aquilonem & Ortum; Africæ aquea; reliquis locis terrestris. Experientia verò Gentibus mores naturamque tribuit prorsus aliam, quàm eis Astrologorum mendacia ex positu siderum tribuunt. Judæi sub Ariete & Scorpione positi damnantur impietatis, cùm tamen

gens

gens nulla religionem susceperit prius, coluerit sanctius, sacra cerimoniasque majorum impensius observaverit. Eidem Zodiaci trigono subjecti Syri & Idumæi audaces perhibentur. At quid Syris unquam fuit servilius? quid Idumæis mollius? qui sua beati opulentia luxuque non admodum curaverunt de movendis bellis. Quam siticulosa Africa communionem habet cum piscibus? Quam Asia mollis & effœminata cum Tauri ferocia? Quam barbara Scythia cum justitiæ & religionis Libra? Inde somniabat Cardanus velut ab eburnea porta, quòd Paganismus ceperit originem in Trigono terreo: Mahumedica lex in Trigono aqueo: Judaica lex in Trigono aërio: Christiana lex in Trigono igneo, & proinde sint Pagani mendaces, vitiorum mancipia, luxuriosi, Muhammedani crudeles, libidinosi, illusores, Judæi loquaces, avari, mercatores, Christiani justi, probitatis amantes, *libro de supplemento Almanach, cap. 22.* Constat, quòd mutaverint hactenus mutentque semper Zodiaci signa proprias sedes, ac stellæ fixæ post conditum mundum quartam ferè orbis octavi partem decurrisse comperiantur: Attamen eadem est secundùm Planetarios ævi nostri vis ac potestas domiciliorum in hominum nativitatibus regundis, quæ erat olim, cùm primùm cœlestis machinæ decursus & influxus notabantur à Chaldæis dæmonum cultoribus. Id quod intolerabile est.

XIV. Nicolaus Copernicus restaurando veterem Eudoxi & Aristarchi Samii opinionem de terra in orbem mobili, stante cœlo, *lib. 2. Revolut. cœlest. cap. 3. lib. 5. cap. seqq.* perinde Rerumpublicarum conversiones & occasu ab Eccentrici motu in terræ globo dependere arbitratur. Quæ quidem sententia paucis refellitur, posuit enim velut certum principium, vim eam, quam stellis eruditi cuncti adscribunt, terræ inesse, adeoque terrena cœlestibus, corruptibilia imperare æternis. Nec minus absurdum est, quòd terræ varios siderum motus imponit, stellas verò fixas partim mobiles, partim immobiles, Solemque immobilem in centro statuit, denique terrarum globum à centro longissimè seducit, & in cœlo collocat. Quæ omnia cum sacris literis tum rationi sanæ contradicere, demonstrabimus in Physicis Institutionibus. Nunc ad alia pergemus.

COROLLARIUM.

Diatriba singularis de Prærogativa Regum & Principum.

SUMMARIA.

1. *Prærogativæ argumentum.*
2. *Imperator Dominus mundi.*
3. *Imperatoris excellentia.*
4. *Rex Romanorum.*
5. *Papæ confirmatio.*
6. *Rex Franciæ.*
7. *Rex Hispaniæ.*
7. *Prærogativa Franciæ.*
9. *Rex Angliæ.*
10. *Veneti & Ligures.*
11. *Electores Imperii.*
12. *Autor Cerimonialis Romani.*
13. *Ordo Regum Europæ.*
14. *Sicilia & Portugallia.*
15. *Scotia, Ungaria, Navarra.*
16. *Cyprus, Bohemia, Polonia, Dania, Suedia.*

17. *Britannia & Burgundia.*
18. *Principes Imperii.*
19. *Dux Austriæ.*
20. *Sabaudia & Mediolanum.*
21. *Veneti & Electores.*
22. *Venetorum prælationes.*
23. *Electores & Cardinales.*
24. *Bavaria, Lotharingia, Genua.*
25. *Conclusio rerum.*

I. BReviter hanc doctrinam proponit Besoldus *lib.2. Doctr. Polit. cap.*10. à quo petemus verba, & notis additis illustrabimus. Sic verò ille: *Pertinet porrò ad cõsiderationem vicinorum, Rerumpublicarum inter ipsas dignitatis prærogativa, seu præminentia sessionis, quæ majoritatem, non superioritatem inducit.*] l.d.dist.7. Est videlicet aliqua dignitas, neque verò est potestas unius in alterum. Nititur verò prærogativa illa cum Privilegio tum Consuetudine. Privilegium est, ut vel Imperium melioris orbis habuerint, vel cum Imperio conjuncti olim ab eo leges moresque vivendi acceperint. Hinc ipse Deus commendat Nebucadnesaris dignitatem, quòd sit arbor magna in medio terræ, cum pulchris ramis & fructibus multis, sub qua umbram captarent bestiæ agri, & in ramis ejus habitarent aves cœli, denique ex ea cibum perciperent animantia omnia, *Dan.*4.8.*seqq.* Erat ille cum amplissimo Imperio per Orientem, partesque Europæ ad columnas usque Herculis invaserat, teste Strabone *lib.*17.*Geograph.* Hinc idem Imperiis aliis accrevit, & post eum Persæ, tum porrò Macedones sub Alexandro Magno, obtinuerunt dignitatem Imperialem, præ Regum aliorum potestate celebriorem semper habitam. Alexandri successores in Asiæ, Africæ, Europæ partibus uti minores eo, ita reddiderunt Parthis antiquam gloriam, quam isti postliminio receptam, cùm libertatem armis paratam retinebant, semper usurpare voluerunt velut Orientis Imperatores. Itaque Parthorum Reges vocabant sese Reges Regum, Plutarchus *in vita Luculli*, Suetonius *lib.*4.*cap.*5. & nummus Regis Arsacis apud Johannem Tristanum *Commentariis de Imperio Romano*, *tom.*2.*pag.*83. nec non Inscriptio Romana apud Gruterum *in Volumine*, *pag.* 288.*num.*2. Ejus rei argumentum manifestum est, quòd missus à Parthorum Rege Legatus Oribazes ad Romanos, præcedentiam sessionis dando Syllæ Consuli, tantum commoverit Regis animum, ut domum revocatus & jussu Regis interfectus fuerit, teste Plutarcho *in vitis*. Sed hæc valebant meritò, dum Romanus populus non suberat Imperatori, nec Majestatem habebat, postquam verò sub Principis unius potestatem concesserunt, prærogativam sibi meritò usurpaverunt, qandoquidem Asiæ, Africæ, Europæ potentes omnem Macedonici Imperii gloriam inter plures hactenus distributam, in se transtulerunt, Parthis non admodum renitentibus, qui ablata olim bello signa militaria, reddiderunt ultrò, pace stipulatâ, amicitiam redimendo, uti est in veteribus nummis apud Abrahamum Gorlæum *tab.*16.*num.*7. Antonium Augustinum *tab.*13.*num.*11. Sebastianum Erissum *Expositione ad nummos Cæsaris*, *pag.*37.39. In cujus rei memoriam Augustus condidit Martis Ultoris delubrum, & Janum Quirinum clausit, uti referunt Suetonius *lib.* 2. *cap.*21.22.29. & nummi veteres apud Levinum Torrentium *Commentariis ad h. l.* *pag.*

*pag.*79.85. Antonium Augustinum *tab.*13. *num.* 21. Consuetudo inter Reges alios promiscuè judicat, eaque nititur potentiæ antiquitate & rerum gestarum celebritate. Quòd enim in Conciliis & Curia Romana Legati Regum ad sessionem capiendam invitantur, ratione ejus temporis habitâ, quo Reges ipsi voluerunt Jesu Nazareni fidem suscipere, & Papæ Romani gratiam exambire, velut supremi Rectoris Ecclesiæ, hoc, inquam, notant Tiberius Decianus *Resp.* 19.*num.*183.*seqq.* Martinus Laudensis *libro de Principibus, quæst.*76. Verùm nihil proficit, quandoquidem prærogativa est pars magna dignitatis Regum, neque dignitas potest censeri ab ea, quam quisque profitetur, Religione, quod alio loco prolixè demonstravimus. Et tamen hæc causa non est, quam propter Galliæ Reges *Christianissimi* cognomentum à Papis acceperunt, primusque ita meruit appellari Carolus Martellus, non quidem Rex, sed Regni procurator summus, à quo Papa Romanus petebat auxilium adversus Luitprandum Regem Longobardorum, sed non impetrabat, Spondanus *in Epitoma Annalium pag.*740. Quanquam certum est, honorarium titulum istum dedisse Gratiano Imperatori Ausonium *in gratiarum actione pro Consulatu*, & Papas ipsos Regibus Hispaniæ è familia Gottica, dedisse appellationem Regum Christianissimorum, uti ostendunt Patricius Armacanus *in Marte Gallico, lib.*1.*cap.* 23.24.25. Johannes Jacobus Chiffletius *in Vindiciis Hispanicis, cap.*15. Hunc titulum Galliæ Regi eripere, & in Regem Angliæ transferre voluit Julius II. Papa, ob iras adversus Galliæ Regem Ludovicum XII. conceptas, idque per Decretum in Concilio Lateranensi, teste Guicciardino *lib.*11.*hist. Ital.* Falsum verò est, quòd Regis Hispaniæ stipendiarius, Papæ adulator strenuus Caspar Scioppius *in Consilio Regio, pag.*51. scribit, Carolo Magno demum in Concilio Moguntino datum esse nomen istud, neque ut Regi Francorum, sed uti Imperatori, itaque Capetingos non adscivisse nomen illud, donec Carolus VII. depulso jugo Anglicano, restauraverit vetus cognomen, & sibi velut proprium attribuerit, ut Regibus cæteris Europæ titulo quoque præcelleret. Et ab eadem aula habet Rex Hispaniarum, ut vocetur Catholicus. Primus quidem Alphonsus Castellæ Rex ita appellatus est à Papa Innocentio VIII. deinde omissus tantisper apud alios est, rursum Ferdinandus Arragonius ejectis Mauris, Hispaniæ compos, à Julio II. Pontifice impetravit, ut ipse & posteri ejus usurparent, Spondanus *in Epitoma Annalium, pag.*688. & 739. Innocentius Gentilettus *in Examine Concilii Tridentini, pag.*211.212. Alexander Patricius Amarcanus *l.d.cap.*23.24.25.26.

II. Pergit Besoldus: *Italicèt Imperium Romani Imperatoris haud agnoscere velint alii Reges absoluti, eidem tamen præeminentiam sessionis meritò lubentesque concedunt omnes reliqui Orbis Christiani Monarchæ. Sicque Cassiodorus* lib.1.variar. Epist.1. *Imperium Romanum Regnorum omnium pulcherrimum vocat decus. Et Alphonsus Neapoleos Rex Fridericum III. Imperatorem, cùm aliquando Neapolim venisset, nullo non honoris titulo est prosecutus. Cùm ab Aulicis eo nomine reprehenderetur, respondit:* Vestrum non est de Regibus judicare, nos Reges omnes debemus reverentiam Imperatori, tanquam summo Regi, *Panormitanus*

in Apophtegmatis Alphonsi. *Quin & in Aula magni Turcorum Regis, Legati Imperatoris praeferuntur Legatis Persiae Regis aliorumque Saracenorum.*] l.d.dist.8. Scilicet hoc inde est, quia potentissimus ille semper fuit, devictis non solùm populis à bello justo, verùm quoque ad obsequii alicujus speciem redactis iis, qui aliàs armis confisi arroganter agebant, & Romanas aquilas nòn semel fugaverant. *Suetonius* de Augusto: Reges amici atque socii, & singuli in suo quisque Regno, Cæsareas urbes condiderunt, & cuncti simul ædem Jovis Olympici Athenis antiquitus inchoatam perficere communi sumptu destinaverunt, Genioque ejus dedicare, ac sæpè Regnis relictis, non Romę modò, sed provincias peragranti quotidiana officia togati ac sine regio insigni, more clientium præstiterunt, *lib.* 2. *cap.* 60. De eodem est Inscriptio Hispanica:

Orbe.mari.ac.terrâ.pacato.templo.Jani.cluso.&.Rep.po.Rom.optim.Legib.sanctiss.instit.refor.

Gruterus *in Volumine*, *pag.* 149.*num.* 4. Nec minus præclarè de aliis. Hadrianus est Restitutor orbis terrarum, Sebastianus Erissus *Expositione ad nummos Cæsarum, pag.*211. Aurelianus est Restitutor orbis terrarum, apud Johannem Tristanum *Commentariis de Imperio Romano, tom.* 3. *pag.* 249. Constantius Imperator est Dominus rerum ac mundi, apud Ammianum Marcellinum *lib.* 19.*histor.* Postquam Imperatores duo ceperunt esse, ille qui Constantinopoli agebat, prærogativam ultrò concessit alteri, qui Occidentis Imperium regebat, nimirum ideò, qúia hic obtinebat Romam, antiquam Cæsarum sedem, Otho Frisingensis *lib.* 1. *de rebus gestis Friderici Imperatoris, cap.* 23. Baronius *tom.* 9. *Annal. Ecclesiast. An.Chr.*871. *num.*50. Henricus Vallesius *notis ad Ammianum Marcellinum, lib.* 22. *pag.*224.*seqq.*

III. Quæritur hîc: *An Imperator Romanus habeat imperium in Reges & Principes alios?* Respondeo: Affirmant Martha Neapolitanus *libro de Jurisdictione*, *part.* 1.*cap.* 27. Matthias Stephani *libro de Jurisdictione, part.*1.*cap.*1.*num.*4. & ante illos Baldus Perusinus scripserat, eos qui negant Imperatorem Germanorum totius orbis Dominum esse, hæreticos esse, *in l. hostes de captivis & postliminio reversis.* Adferunt testimonium è sacris literis: Exivit edictum à Cæsare Augusto, ut totus orbis censeretur, *Luc.* 2. 1. Et quòd Antoninus Cæsar dicat: Egò sum Dominus orbis, *l.*ἀξίωσις 9. *D. de Lege Rhodia de jactu.* Sic illi. Verùm ista nihil probant. Quòd enim Augustus orbem describi jusserit, figuratum dicendi genus est, ut intelligatur de parte illa orbis, cui imperabant Romani. *Florus* de temporibus illis: Jam pené toto orbe pacato, majus erat Imperium Romanum, quàm ut ullis externis viribus extingui posset, *lib.* 4. *Historiæ Romanæ, cap.*2. Et *Petronius*: Orbem jam totum victor Romanus habebat, *in Satyrico, pag.*73. Indidem est, quòd Antoninus Cæsar *in Rescripto ad Eudæmonem Nicomediensem* dixerit, ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ad quæ verba prolixè commentantur Johannes Seldenus *lib.* 1.*Maris clausi, cap.*25. Jacobus Godofredus *libro de Dominio maris, cap.*7. Dicit *Johannes Bodinus*, verba illa ad pompam, & dignitatis amplificandæ causa dicta esse, quandoquidem perspicuum est, Romanum Imperium, quo tempore

maximè

maximè floruit, id est, Trajano Principe, vix trigesimam orbis terrarum complecti potuisse partem, *lib. 1. de Republica, cap 9.* Subest tamen aliquid veri, quando constat, Imperium Romanum olim fuisse amplissimum & florentissimum, cujus fines per Orientem & Occidentem latè protendebantur, uti breviter describit Justus Lipsius *lib. 1. de Magnitudine Romana, cap. 3.* Quando verò distractio Imperii deinceps secuta est, non desiit quidem Imperium esse, attamen non ita illustre fuit, utpotè in plura Dominia divisum, inter se, quod potestatem concernit, prorsus separata. Extra illud multæ nationes erant, sed quòd Imperium complectebatur florem humani generis, erat satis, reliqua extra illud Barbariæ ferè deputabantur. Remansit ergò dignitas, at potestatem quisque populus attribuit sibi, postquam ab Imperii finibus sese exemit, ut rectè docent Bartholomæus Chassanio *in Catalogo gloriæ mundi, considerat. 28. part. 5.* Franciscus Victoria *Relectorum part. 5. sect. 2. 3.* Hugo Grotius *lib. 2. de Jure pacis & belli cap. 22. dist. 13.* Ferdinandus Vasques *in Controversiis illustribus cap. 20. num. 1. 2. seqq.* Arnisæus *lib. 1. de Jure Majestatis cap. 2.* Rationes sunt: (1.) Quia Imperatores Romani Constitutiones suas dirigunt in populos omnes Imperio suo comprehensos, non etiam in alios, qui sunt extra illud. (2.) Quia Imperatores Romani in commerciis exercendis distinguunt eos qui Romano Imperio parent, ab iis, qui Regi Persarum subjiciuntur, & quia alios etiam populos liberos agnoscunt, cum quibus sunt jura belli, captivitatis & postliminii. (3.) Quia meliores orbis partes bello occupaverunt, pari jure perdiderunt, namque portiones Imperii plurimas aut simul aut per intervalla aggressi populi externi, Longobardi, Franci, Normanni, Gotti, Saraceni, Turci, Sarmatæ, Mauri, bello eas acquisiverunt, & ab Imperio aut derelictas aut revulsas retinuerunt. Frustrà satagit Theodorus Reinking *lib. 1. de Regim. secul. & Ecclesiast. class. 2. cap. 8.* ut probet, antiqua jura adhuc valere, & jus præscriptionis Lege civili introductum, inter diversos Reges ac populos non habere locum. *Sic ille.* Quod si admittatur, sequetur magnum incommodum, ut controversiæ de Regnis & Regnorum finibus exstinguantur. Itaque Lacones apud *Isocratem*, velut certissimum & apud omnes gentes confessum ponunt, non minus publicas possessiones, quàm privatas, multo tempore ita confirmari, ut revelli nequeant, cùm ex longo tempore derelictio præsumatur. Jephta Hebræorum Dictator provocabat ad jus possessionis quietæ, adeoque duraverat illa tribus ferè seculis, insuper Ammonitæ nunquam terras illas veluti suas repetiverant hactenus, quod deinde conabantur, injuria certissima erat, *Judic. 11. 13. 14. seqq.* Eodem jure populi exteri in provincias Romani Imperii invaserunt, primò quidem socii, mox conversis rerum vicibus hostes, & regiones quascunque armis obtentas, deinde etiam, cùm bellum pace finiebatur, per expressa pacta sibi confirmaverunt. Quod enim aliquis æquum putavit in causa aliena, idem admittere debet in propria, nisi jus famamque suam condemnare velit, *l. si duo si quis junct. § seq. de jurejurando.*

IV. Pergit Besoldus: *Sic & Rex Romanus vivente Imperatore, ob spem successionis proximam & radicatam, reliquos Reges & Monarchas*

narchas hac dignitatis prærogativa jure vincere videtur.] l.d.dist.9. Respondeo: Benè dicit *videtur*, ut videatur non immeritò dubitare. Reges Romanorum hodiè sunt in respectu ad Cæsares, quod olim erant Cæsares in respectu ad Augustos, nimirum Vicarii quidam, & Legati eorum, ad obeunda munia in provinciis Imperio subjectis, cum potestate. Ergò nullum Regem jure præcedat Rex Romanorum: (1.) Quia titulo unicè gaudet, potestatem verò non habet, adeoque inferior est illis, qui titulum unà cum potestate conjungunt. (2.) Quia spes multum differt à re, quatenus illa meram adfert dignitatem, hæc verò addit potestatem, à qua proximè dependet Majestas. Pro Regis Romanorum excellentia ad Reges alios comparata, pugnant quidem Marcus Antonius Quetta *cons.* 1. Arnisæus *lib.* 2. *de Jure majestatis cap.*4.*num.*1. Johannes Limnæus *lib.*2. *Juris publici cap.* 15. *num.* 43. *seqq.* Reinerus Sixtinus *lib.* 1. *de Regalibus cap.* 4.*num.*9.*seqq.* & nuper Dn.D. Jacobus Andreas Crusius *lib.*3.*de praeced.Reg.& Princip. cap.*3.*dist.* 10.*seqq.* Verùm hos benè refellit Jacobus Gothofredus *Diatribâ de Jure praecedentiae part.*1.*cap.*1.*dist.*12. Satis enim constat, quòd ille habeat alienam jurisdictionem, nec principaliter demandatam, uti adversus Georgium Schönbornerum *lib.* 5. *Institut. Politic. cap.* 19. & Matthiam Stephani *lib.*8.*de Jurisdictione, cap.*11.*part.*2. eruditè disserunt Benedictus Carpzovius *Commentariis ad Legem Regiam Germanorum, cap.*11.*sect.*5. Johannes Wurmserus *Exercitat.*3.*Juris publici, dist.*3. Martinus Rumelinus *Dissertat. ad Auream Bullam, part.*3.*pag.*582.583. & Nicolaus Myllerus *additionibus ibidam, pag.*621.*seqq.* Regerit D.Crusius: (1.) *Quòd ratione dignitatis inter Cæsarem & Regem Romanorum sit differentia parva.* Respondeo: Imò differentia adeò magna est, ut Cæsar habeat majestatem, Rex verò dignitatem, itaque Cæsari æqualis non est, quem vocat Dominum suum, & Majestatis titulo compellat, uti videre est in Recessibus Imperii. Nihil verò tale Imperator tribuit Regi. (2.) *Quòd in Cerimoniali Romano priore loco ponatur Rex Romanorum, & sequatur Rex Galliæ.* Respondeo: Hoc inde est, quia retrò ævi Rex Romanorum cum potestate ampla præerat Italiæ, ob cujus regionis insignem dignitatem accessit ei magna prærogativa, qua nunc caret, quando Regia in Italiam potestas soli Cæsari manet reservata, Principes verò sunt perpetui Vicarii in Ducatibus suis. Ergò hodiè potestatem in Italia non habet, atque à sola dignitate non petitur argumentum solidum pro inferenda prærogativa. (3.) *Quòd Rex Romanorum ideò eligatur, ut Cæsari defuncto succedat, itaque debet honore illo affici, quò Cæsar afficitur.* Respondeo: Ergò exspectat illud, quod non habet: Melior verò sors fuit usque ejus, qui cum majestate possidet, quàm alterius qui cum dignitate aliqua exspectat.

V. Sequitur: *Et adhuc minus obstat sessionis ratione, si Imperator nondum sit à Pontifice Maximo confirmatus. Licèt Gallus eo nomine cedere noluerit Imperatori, uti refert* M Antonius Quetta *cons.* 1.*num.* 15.] l. d. Caroli V. Imperatoris Legatus patiebatur contradictionem de primo loco à Regis Galliæ Legato in Conventu Caletano, An. Chr. 1521. Narrat Bartholomæus Chassanæus *in Catalogo gloriæ mundi part.*5.*consid.* 29. homo in tantum ineptè superstitiosus, ut

ut etiam principii loco adferat, per Christum Petro & successoribus data esse utriusque Regni gubernacula. Quia videlicet hoc Papæ aliqui Decretis promulgaverunt. Cæterùm eidem Servatori dixerat quoque Genius malus, sibi data esse hæc omnia & concedere se posse cui vellet, *Luc.4.6.* Sed non erat verum. Electio sola plenam & liberam Imperii potestatem, nomenque Imperatorium tribuit Imperatori, de coronatione à Papæ manibus fieri solita, proditum est *suprà lib.1.cap.16.dist.27.* & confirmat prolixius Johannes Hervvardus *Apologia pro Ludovico Bavaro, pag.* 121. quòd illa non faciat Imperatorem, sed tantùm commendet Imperatori populos Italiæ, velut subditos Imperii. Et quòd hodiè negligitur, cum damno Imperii est, à quo sese exemit Papa, atque sibi urbem, populos ditiones Imperio proprias, iniquissimo ausu attribuit.

VI. Pergit: *Ac sunt porrò obviæ passim de sessione disceptationes, ac celebris imprimis est Galli & Angli cum Hispano. Ille autem inciviliter aliquantum Hispaniæ universæ, aliarumque potentissimarum in utroque orbe Monarcham eo jure censent, ut tunc fuit, cùm Castiliæ angustiis includerentur.*] l.d dist. 10. Galliæ Regis prærogativam acriter tuentur Theodorus Gothofredi *libro de Præcedentia Regis Franciæ*, David Blondellus *libro de ampulla Rhemensi*, Johannes Bodinus *lib.1. de Republica cap. 9.* Rationes adferunt istas: (1.) Quia toto terrarum orbe nullius Imperii tanta vetustas, aut tanta series Regum ejusdem stirpis inveniri potest, quanta in Regibus Francorum, sive Christianos, sive Tartaros, sive Turcos, sive Æthiopes sive Indos, sive Barbaros spectes, unde *Baldus:* quamvis Germanorum Imperio subditus, Reges Francorum laudis & gloriæ coronâ Reges omnes superare, dixit apud Oldradum *in Consiliis, num.69.* (2.) Quia Imperium Germanicum olim fuit penes Reges Galliæ, virtute Caroli M. natione Galli, & Gallorum opibus armisque partum, deindè per intestinas seditiones & peregrinorum invasiones avulsum, itaque Ottones Germaniæ Reges, domitâ Italiâ, Pontifice Maximo ad obsequium redacto, nomen Imperatoris ejusque dignitatem acceperunt. (3.) Quia Senatus Venetus decreto publico Regis Galliæ Legatum prætulit Regis Hispaniæ Legato, An.Chr.M.D.LVIII. Et Pius IV. Pontifex Romanus velut è cathedra pronunciavit, Reges Francorum esse primogenitos Ecclesiæ, & hujus patrocinium suscepisse constanter. Ac satis constat aliunde, quòd Galliæ Reges authoritatem Pontificum à contemptu vindicaverint, opes auxerint, potentiam stabiliverint. (4.) Quia cùm Legatus ab Hispania in aula Cæsaris Ferdinandi contenderet, & cum Legato Francorum eodem ordine & gradu consisteret, aut alternis diebus anteiret ac sequeretur, utramque conditionem recusavit Buscheтus Legatus Gallorum. Quod cùm Henricus II. Rex Francorum intellexisset, rescripsit, tanti ponderis esse dignitatis prærogativam, ut nihil ab eo in isto rerum genere fieri aut dici debuerit, nisi quod in mandatis haberet. Ferdinandus Imperator, ne vel Francis vel Hispanis favere videretur, utrorumque Legatos à concionibus & consessu publico arcendos putavit. (5.) Quia Rex Galliæ nemini obnoxius est, neminis Vasallus, adeoque libertates Ecclesiasticas uni sibi vindicat, neque earum usurpationem à Papa Romano, velut domino superiori,

riori, impetrat: Contrà Hispanus per tempus benè multum fuit vasallus Papæ ligius in Regnis Siciliæ, Neapoleos, Sardiniæ, & hodienum est vasallus Francorum in Comitatu Carolosiæ, parte Burgundiæ, Arnoldus Ferronus *lib.* 8. *Historia Gallicæ*. Ecclesiastica jura per Hispaniæ Regna administrat è Regis instituto. Papæ nomine, Archi-Episcopus Toletanus. (6) Quia Regis Galliæ Legati primum locum semper obtinuerunt in Constantiensi, Basileensi, & Lateranensi Conciliis, nec non in Tridentino Oecumenico, ubi primò omnium Hispaniæ Legatus Claudius Ferdinandus Comes de Luna movit litem, Regis sui potentiâ quotidiè augescente fretus, nec tamen obtinuit, itaque cùm cedere nollet, nec posset cogi ut sequi vellet, seorsum ab ordine Legatorum omnium locum occupavit, uti referunt Petrus Suavis Polanus *in Historia Concilii Tridentini, lib.* 8. *pag* 825. 832. 847. 848. Thuanus *lib.* 35. *histor.* Natalis Comes *lib.* 14. *histor.* Petrus Justinianus *lib.* 14. *&* 15. *hist. Venet.* Johannes Baptista Adrianus *lib.* 18. *histor.* Petrus Cavitellius *in Annalibus Cremonensibus, An. Chr.* 1564. Innocentius Gentilettus *in Examine Concilii Tridentini*, *lib.* 4. *pag.* 211. 212. Tandem in aula Imperatoris Maximiliani II. gentilis sui impetravit Rex Hispaniæ, ut Legatus suus primum locum sortiretur, & Legatus è Gallia postponeretur, tanti res visa Colignio Admiralio, quam bello in Hispaniam proferendo ulcisci deberet Rex suus, Thuanus *lib.* 49. *histor.*

VII. Hispaniarum Regis eminentiam propugnant Camillus Borellus *libro de præstantia Regis Catholici*, Ferdinandus Valsques *præfatione ad Quæstiones illustres*, Jacobus Valdesius *libro de dignitate Hispaniæ*, Johannes Jacobus Chiffletius *tom.* 1. *cap.* 9. 10. *seq. Vindiciarum Hispanicarum*, Alexander Patricius Armacanus *in Marte Gallico lib.* 1. *cap.* 2. *seqq.* Rationes adferunt: (1.) Quòd Rex Catholicus longè latèque imperet in Legione, Castilia, Murcia, Valentia, Arragonia, Granada, Balearibus, Navarrha, aliisque per Europam, Asiam, Africam, Americam regionibus. *Respondeo:* Succurrit illud, quod olim Antiochi Magni Legato, coram Lucio Quinto Romano, potentiam Regis sui ex nominibus gentium ostendendenti, Dahas, Medos, Elymæos, Cadusios jactanti, respondebat Quintus: *Atqui omnes illi Syri sunt*, Livius *lib.* 45. *histor.* Perinde cùm Valdesius nominat Legionem, Murciam, Valentiam, Castiliam, Granadam, Navarrham, quid Gallus reponat aliud, quàm illud: Atqui omnes illi Hispani sunt! Sunt populi unius à Mauris distractæ regiones, & Regnorum tituli magis quàm Regna. Denique: Latissimum Imperium arguit quidem Regis ejus divitias & studium acquirendi, sed non conciliat simul dignitatem & prærogativam. (2.) Quòd Hispania ad fidem Servatoris conversa est operâ Jacobi Apostoli & Pauli, serius verò Gallia fidem accepit, uti refert Johannes Vasæus in Chronico Hispaniæ, An. Chr. 67. *Respondeo:* Utraque illa prædicatio est dubia valdè, neque sacris literis confirmari potest: Jacobi verò etiam prædicatio expresè negatur, facta esse ab ipsis præsulibus Hispaniæ. Factam esse, contendebat Episcopus Compostellanus in Synodo Lateranensi, An. Chr. 816 ut digniorem præ Roderico Episcopo Toletano locum sortiretur. Sed muliercularum trivialibus sermonibus niti illam Jacobi apud Compostellanos prædicationem,

nem, affirmabat Rodericus, & obtinebat causam. Baronius legendarum plurium quàm rerum verè gestarum descriptor, iter Hispanicum Jacobi confirmat, secutus authoritates Bedæ, Turpini, Isidori Hispalensis, *notis ad Martyrologium Romanum, pag.* 329. Rursum verò spernit omnia ista, negatque, *tom. 9. Annal. Ecclesiast. An. Chr.* 816. Reponant eâdem fide Galli, quod Lucas Evangelista, & Lazarus Mariæ frater, quem Servator à mortuis excitavisse legitur, apud ipsos prædicaverint Evangelium, uti referunt Epiphanius *Heresiologo cap.* 51. Ado Viennensis *in Chronico*, & post illos Baronius *notis ad Martyrologium, pag.* 470. 561. (3.) Quòd facta insignia ediderunt Reges Hispaniæ pro Ecclesia & hujus capite Papa Romano. *Respondeo:* Nec minus, aut fortè magis etiam Galli pro Ecclesia, pro Papa, adversus Barbaros & hæreticos decertaverunt. Quid simile potest adferri ab Hispano, quod mereatur conferri ad Gallorum gesta adversus Mauros Hispaniæ domitores, Narbonensis Galliæ invasores, eo tempore, quo Carolus Martellus, præliabatur pro Europæ salute? Quid magis stabilivit Papæ opes in Italia, Germanici Imperii provincia, quàm victoriæ Pipini & Caroli Magni Galliæ Regum, adversus Longobardos Papæ hostes irreconciliabiles? Quid magis erigere poterat Ecclesiam in spem amplissimæ frugis, quàm Godofridi Bulionæi expeditio facta in Orientem, vindicata Palæstina, fractæ opes Turcorum? De quibus omnibus vide relationes nostras in Recensu historiæ universalis *lib.* 13. *cap.* 1. *dist.* 6. 7. *cap.* 2. *dist.* 1. *lib.* 20. *cap.* 1. *dist.* 2. *seqq.* Adferat Hispanus unicam ab omni memoria celebrem pugnam maritimam adversus Turcos in Corinthiaco sinu obtentam, eventu bonam, successu inutilem, quando potentiam Barbarorum non diminuit, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.* 20. *cap.* 2. *dist.* 18. Strages Americanorum & per corporis diros cruciatus obtrusa eis religio, ne quidem referri merentur, ubi de rectè & piè factis sermo est, quibus Christi gloria promovetur. Roma direpta & ad paupertatem redacta sub Carolo V. an eis honori fuerit? Sicilia erepta & annua pensio quinquaginta millium aureorum interversa, (super quibus miserè conqueritur Cardinalis Cæsar Baronius *libro de Monarchia Siciliæ*, & *in Apologia adversus Columnam*, an ab iis referri poterit ad patrimonium locupletatum? De utroque negocio diximus in Recensu historiæ universalis, *lib.* 11. *cap.* 1. *dist.* 2. 3. An ita Hispani beare soleant amicos suos, viderint ipsi. (4.) Quòd Reges Hispaniæ nunquam faverint hæreticis, sed per utrasque Pyrenæorum montium fauces ex vicinis provinciis in Hispaniam irruere conantes propulsaverit, inque Indiam navigare volentes represserit. *Respondeo:* Et tamen vel invitis Hispanis ad Indos navigant hæretici, quos ipsi falsò vocant. Cæterùm non laudet ingenuus quisque, ob religionis melioris studium, millia multa hominum, Papâ jubente, Hispano exsequente, occisa esse, multò minus ob crudelissimas eorum persecutiones, Regem præ aliis Regibus excellentem velle esse, quando facta sævissima nemini conciliant aut honestam famam, aut dignitatem. (5.) Quòd Reges Hispaniæ nunquam cum infidelibus fœdus iniverint. *Respondeo:* Sed Gallus aliquando fœdus inivit cum Turcis, ad debellandum hostem communem, uti diximus *lib.* 2. *cap.* 11. *dist.*

6. Et quid tum? Longius petita sunt ista, ac ut prærogativam evincant.

VIII. Galli pro Regis sui excellentia adstruenda hæc etiam adferre solent: (1.) Quòd Clodovæus sacro lavacro perfusus, tria lilia acceperit cœlitùs, Regum Galliæ, Robertus Gaguinus *lib. 1. Historiæ Francicæ, cap. 3.* (2.) Quòd Rex idem oleo per columbam cœlitùs ad Remigium Episcopum allato, unctus fuerit, uti referunt Hincmarus *in vita Remigii*, Aimonius *lib. 1. histor. cap. 16.* Dionysius Petavius *in Rationario temporum, lib. 7. pag. 406.* (3.) Quòd Galliæ Reges habeant donum miraculosum sanandi per contactum strumas, uti seu dubitant, seu affirmant Scipio du Plaix *in Canonisatione Ludovici Sancti*, Andreas Laurentius *libro de strumis.* Eleganter hæc omnia proponunt Franciscus Garassus *in sacris Rhemensibus Ludovico XIII. dicatis, pag. 150. seqq.* Renatus Chöppinus *lib. 3. de domanio Galliæ, cap. 8. num. 1. seqq.* Stephanus Forcatulus *lib. 1. de Philosophia & Imperio Gallorum, pag. 59 seqq.* Verùm quia plurima horum fabulosa esse, certis constat indiciis, apud Johannem Chiffletium *libro de ampulla Rhemensi*, Patricium Amarcanum *lib. 1. de Justitia armorum Regis Galliæ, cap. 2. seqq.* atque omnibus iis non adeò magnum pondus inesse deprehendatur, nos quidem omittimus, quando aliàs satis dignitas Regum Galliæ probatur.

IX. Besoldus pergit: *Et planè absurdum videtur, quòd Anglus, qui Gallo cedit, Hispano sessionis litem movet.*] l.d. Non est absurdum, quin prærogativa jure meritò debetur Anglo, uti Robertus Wingfeld & Jacobus Howellus *libris de prælatione Regis Angliæ* editis demonstrant. In Conventu Bononiæ An. Chr. 1600. inter Legatos Reginæ Angliæ & Regis Hispaniæ oborta est quæstio de potiori loco in sedendo atque incedendo. Pro Hispaniæ Rege allegabatur, uti solet, tum quòd amplissima Regna haberet, tum quòd illâ familiâ oriundus esset, quæ Imperatores Germaniæ progeneraverat. *Respondebatur:* (1.) Quòd ob pluralitatem regionum non mereatur præferri aliquis, si nulla alia causa per se valida ad præcedendum adsit: Regna Hispaniarum esse meros titulos à Mauris excogitatos: Indiam per latrocinia & atrocissimas inermium hominum Regumque strages occupatas: Belgicam & provincias Italiæ malis artibus ab Imperio revulsas hactenus retineri: Lusitaniam per fas nefas occupatam, exclusis veris & legitimis hæredibus. (2.) Quòd Angliæ Regum dignitas Electoribus Imperii perinde maxima visa fuerit, ut Eduardum III. Angliæ Regem, celebrem ob res fortiter in Gallia actas, evocaverint ad Imperatoriam majestatem accipiendam, qui tamen contentus honorifica Principum de se opinione, gratias egit, neque in Germaniam venire voluit, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib. 11. cap. 2. dist. 4.* Cæterùm pro Angliæ Rege adferuntur causæ istæ: (1.) Quòd Angliæ Regnum multò antiquius sit, quàm Hispaniæ, quando quidem constat, Regnum Castellæ, cujus titulum Hispanus reliquis anteponat, præ Angliæ Regno esse nuperum, Comites enim, non verò Reges habuisse, ante An. Chr. 1017. postquam Legionensis Regni provincia hactenus fuerat, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib. 14. cap. 2. dist. 3. 4. 5.* (2.) Quòd Regi Angliæ primum locum attribuerint Pontifices, Latinorum sacrorum

rum Domini, & Castiliæ Reges paruerint decreto. Julius II. pro Henrico VII. adversus Ferdinandum V. Castilianum pronunciavit in Concilio Lateranensi, & pronunciatum illud statuti perpetui instar esse voluit, postquam *in libro Cerimoniarum Curiæ Romanæ* describi jussit. (3.) Quia in Constantiensi, Basileensi, Senensi Concilis priorem sedem nactus fuerat Rex Angliæ, & ob id Julii II. Papæ testimonium, uti privatum & à partium studio profectum haud debebat accusari. Referunt ista Johannes Mariana *lib.21. histor. cap.6.* Petrus Matthiæ *lib.7. de rebus gestis Henrici IV. Galliæ Regis, pag.652.* Stephanus Garibai *in Compendio historico de Regibus Hispaniæ lib.11. cap.7. lib.16. cap.23.* Emanuel Meteranus *in Historia Belgica lib.13.* Robertus Jonstonus *lib. 8. rer. Britannic.* Ad Concilium Tridentinum non venit Legatus ab Angliæ Rege, quando inter Concilii ejus natales differendos, & nondum repertos moriebatur Rex Henricus VIII. Curiæ Romanæ infensus, Latinorum sacrorum retinentissimus. Ediderat librum suo & Procerum Regni nomine descriptum adversus Concilium à Papa evocandum, cujus nec ille potestatem convocandi habeat, ut tum loco parum tuto congreget, tum tempore, quo bellum in Italia ardeat. Se quidem ex animo cupere Synodum universalem Christianam, sed ad Pontificiam Synodum neque venturum, neque Legatos esse missurum, quippe cui nihil magis commercii sit cum Romano Episcopo, aut illius Edictis, quàm alterius cujusdam Episcopi. Concilia olim Regum authoritate congregata, eumque morem hoc tempore præsertim restaurandum, quo de aulæ Romanæ defectibus tàm graves instituuntur querimoniæ. Non esse novum atque insolens Pontificibus, fidem fallere. Id verò sibi eò diligentius cavendum, quem Papa acerbissimè oderit, cum ob profligatam ex suo Regno tyrannidem ipsius, tum propter ablatos annuos census ei dependi solitos. Itaque cùm de vero Concilio plerique omnes judicio præditi desperent, sibi optimum videri, ut in suo quisque populo Princeps religionem emendet, quâ si quis meliorem rationem expediat, se minimè recusaturum. Narrant Johannes Sleidanus *lib. 11. histor.* Innocentius Gentillettus *in Examine Concilii Tridentini lib.2. pag.28. & 78.* Petrus Suavis Florentinus *in Historia Concilii Tridentini lib.1. pag.93.95.* Successorem habuit filium suum Eduardum VI. qui Ducis Somersetensis avunculi curâ, Protestantium doctrinam, quam ipse amplectebatur, percepit, & Latina sacra toto Regno abolevit, uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib.15. cap.1. dist.14.*

X. Pergit: *Nota est etiam hac de re, quæ fuit olim Venetorum & Ligurum contentio.*] l.d.dist.11. Scripsit in Venetiarum laudem Jacobus Sannazarius:

Viderat Hadriaticis Venetam Neptunus in undis
Stare urbem, & toti ponere jura mari.
Nunc mihi quantumvis Tarpejas Jupiter arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tibrim præfers, urbem adspice utramque,
Hanc homines, illam dic posuisse Deos,

lib.1. Epigr. pag.154. Multa evincunt, quòd Veneti debeant habere potiorem locum adversus Ligures vanos. Sunt enim origine antiquiores; potentiâ celebriores; meritis

erga Cæsares, Reges, Papas copiosiores; suffragiis Regum & Principum ampliores; libertatis perfectæ exercitio præstantiores, uti prolixius referunt Donatus Janotius *libro de Republica Veneta*, & ad illum Nicolaus Crassus *in annotatis*, Theodorus Grafwinkelius *libro de libertate Veneta*. Et constat ordine: (1.) Quia cœperunt in turbis illis cùm Attila Rex Hunnorum vastabat Italiam, adeoque exsulum familiæ eò collectæ, urbem condiderunt in paludibus, quæ cum suis opibus ferè semper nixa Barbarorum invasiones à se depelleret, neque à Cæsare Orientis auxilia semper haberet, libertatem bono titulo corripuit, eamque Carolus M. Imperator in Occidente, post Longobardos Italiâ ejectos, pactis datis acceptisque confirmavit, ut testatur Carolus Sigonius *lib*. 4. *histor. Ital.* & nos diximus in Recensu historiæ universalis *lib*. 13. *cap*. 2. *dist*. 3. (2.) Quia obtinuerunt Regna, provincias, urbes Imperii Orientalis, velut suas, & contra hostes quoscunque armis suis defenderunt. (3.) Quia Imperium Orientis in militia socia acquisiverunt Balduino Flandro, Turcos & Saracenos terrâ marique cladibus maximis affecerunt. (4.) Quia Regum & Principum votis semper anteferri meruerunt. (5.) Quia nullius unquam Regis victricia arma senserunt, aut libertati suæ detrahi permiserunt à Germanis, Gallis, Hispanis, quorum palæstra tot sęculis Italia fuit, nec non communis sepultura. Adeoque per tot mala, & vicinarum nationum servitutem sospes, atque ingentibus inimicitiis Regum, Cæsarum, Paparum, populorum, Barbarorum mille ducentis annis superstes, etiamnum floret civitas, tantum in continentis Imperio (quando maris potentiam sensim illis eripuerunt Turci) legibus armata armis firmata, Liguriæ ipsius domina ferè victoriâ ad fossam Clodiam partâ, nisi pacem gloriosam voluissent anteferre bello prospero, vicinorum cladibus haudquaquam gavisi, uti produnt Marcus Antonius Sabellicus *lib*. 7. *historiæ Venetæ*, Flavius Blondus *lib*. 20. *historiæ Italicæ*, Theodorus Grafwinkelius *libro de libertate Veneta cap*. 19. Lites invicem agitatas eo tempore, quo Petrus Cypri Rex pompam coronationis duceret An. Chr. 1373. describunt, Stephanus Forcatulus *lib*. 3. *de Philosophia Gallorum fol*. 185. Petrus Bizarus *lib*. 17. *Historiæ Genuensis*.

XI. Pergit: *Electoribus aliisque Principibus Germanis Belgici status ob libertatem perfectam, quam usurpant, volunt præferri*.] l. d. Atqui Electorum causa melior est, quando illi præferuntur Venetis atque Helvetiis, non minorem libertatis usum habentibus, atque illam habent Belgæ fœderati. Imò à Venetis superantur Ordines Belgii fœderati, namque hi quidem Comitatus & Ducatus possident, Veneti obtinuerunt Regna olim, quamvis nunc minima horum portio sub eorum potestate contineatur. Ducibus ergò pares æstimentur, & verbo: Ubi olim Dux Geldriæ sessionem habuit, ibi ipsi velut Geldriæ regentes Domini hodienum esse censeantur. Prout quoque definitum est *in Capitulatione Leopoldi Cæsaris art*. 5.

XII. Sequitur: *Ordo autem Regum Principumque Christianorum An. Chr.* 1504. *sub Pontifice Julio II. talis erat: Imperator Cæsar, Rex Romanorum*.] l. d. dist. 12. Ordo ille est descriptus in Cerimoniali Romano, *Paridis de Grassis*, quem Julius II. Papa designaverat magistrum Cerimoniarum in aula Romana. Cæterùm quæ de Imperatore & Rege

Rege Romanorum sciri oporteat, diximus *suprà dist. 2. 4.*

XIII. Sequitur: *Galliæ, Castiliæ, Arragoniæ, Portugalliæ, Angliæ, discors cum tribus præcedentibus.*] l.d. De his omnibus diximus, quæ sufficere possint, *suprà dist. 6. seqq.* Cæterùm Legionis & Castellæ Regna separata quondam, tunc etiam sibi litem fecerunt, cùm unita sunt, & in titulo auctor alterum alteri præponi deberet. Pro Legione dicit Carolus Molinæus *Commentariis ad Consuetudines Parisienses tit. 1. dist. 29. num. 5.* inductus ratione illâ, quòd Legionis Regnum sit antiquius, itaque etiam nobilius, & priore loco meritò statuatur. Verùm illud refellit Ludovicus Molina *lib. 2. de primogenit. Hispan. cap. 14. num. 49.* & pro Castella adfert rationes: (1.) Quia Castellæ Regnum sit amplissimum longè, quamvis recentius; itaque nobilius altero, quod origine quidem antiquius est, sed finibus angustioribus includitur. (2.) Quia Legionis Regnum dotis nomine pervenit ad Castellæ Regem, adeoque Castellæ accessorium veluti meritò cedat ei, quæ Regem viventem adhuc & potentiæ suæ compotem haberet, à quâ alterum Regnum cuperet protegi & novis viribus muniri. Hæc ille contra Gallum, ut ait, virum exterum & Hispanicæ observationis ignarum, ut minus tutò jus diceret in foro alieno.

XIV. Sequitur: *Siciliæ, discors cum Rege Portugalliæ.*] l.d. Cessavit lis hodiè, postquam Siciliæ Regnum est cum Hispaniæ Regnis aliis conjunctum. Non tamen desunt rationes, propter quas mereatur Sicilia præferri, videlicet, quòd antiquius, quòdque nobilius semper fuerit, uti constat ex iis, quæ diximus in Recensu historiæ universalis *lib. 14. cap. 4. dist. 1. seqq. lib. 19. cap. 1. dist. seqq.*

XV. Sequitur: *Scotiæ, Ungariæ, Navarrhæ, qui tres inter se sunt discordes.*] l.d. Hæc quoque discordia exspiravit hodiè, postquam Scotia accessit Britanniæ Magnæ, Ungariam captâ Budâ ad minorem potentiam redegit Turciæ Sultanus, Navarrham occupavit Hispanus, legitimo ejus Regni Domino expulso, qui fugiebat in Galliam, ubi amplas clientelas & gentiles habebat, ut diximus in Recensu historiæ universalis *lib. 14. cap. 3. dist. 3. lib. 15. cap. 1. dist. 17. lib. 17. cap. 1. dist. 7.* Cæterùm potior ratio esse debuerat Ungariæ, populi nobilissimi, & Imperio Germanico amicissimi, quando antiquissimos habuit Reges; & fortiter multa egit in bellis sacris adversum Turcos, Europæ depopulatores; & provincias amplissimas occupavit; & Imperatores quosdam dedit, Sigismundum, Albertum, Ferdinandum. Scoti obscuri semper, & longo tempore Barbari, & non semel Anglorum fiduciarii. Denique Navarrheni memoriæ recentissimæ, nullisque rebus gestis imprimis celebres.

XVI. Sequitur: *Cypri, Bohemiæ, Poloniæ, Daniæ.*] l.d. Cyprus dudum est in potestate Turcorum, ut non possit de præcellentia contendere. Et ubi Suedia? *Respondeo:* Continetur illa sub Dania, quando eundem Regem habebant eâ tempestate Dania, Suedia, Norvagia, videlicet Johannem magnis virtutibus nobilem. Aliàs diversa Regna erant, & hodienum sunt. Suedi gens pervetusta & nobilis, Germanicæ originis, perinde ut Dani, eorum vicini, sed gentilitiæ virtutis tenaciores. Horum gesta antiquiora Scriptores vernaculi commemorant, Regnum

seriem prolixam ab ipso Magogo Nohæ sive Jani Prisci nepote deducendo, uti refert Hugo Grotius *Prologo ad Historiam Gothicam, pag.* 9. 10. & contestatur Johannes Magni Upsaliensis *lib.* 1. *Historia Gottica, cap.* 1. 2. 3. Attamen res gestæ plerorumque obscuræ sunt, neque mirum videri debet, eorum famam compluribus seculis illustrem minus exstitisse, quod Imperii Romani splendor viresque orbem terrarum complexæ, populos illos, quibuscum armis certabant, uti sunt Galli, Britanni, Hispani, Germani, Sarmatæ, Pannonii, solùm celebres præstarent, reliquos ultra mare sitos eoque obscuriores dimitterent. Arcadii & Honorii Cæsarum tempore fatalis illa omnium gentium toto orbe commigratio hos quoque agros prope mare Germanicum sitos commovit. Gotti enim, gens merè Germanica, uti morum & linguæ commercium ostendunt, tunc ad Vistulam & Danubii ostia habitantes, Italiam, Hispaniam, Galliam occupaverunt. Eorum pars aliqua cum Vandalis ad mare Balthicum accolis in Scandiam abiit, & Varegos, veteres incolas terris illis exegerunt, ut ad provincias remotiores concederent, ubi nunc sunt Finnones & Lapponi, antiquorum Suedorum magnæ reliquiæ. Cum Rossis Slavorum potentissimis, & Danis Gutorum Saxonum è Cimbrica Chersoneso posteris, perpetua ferè bella gesserunt, sæpè victores, non ratò etiam victi. Postquam melioris doctrinæ lux ad eos pervenit Cæsarum ope, qui Carolo Magno successerunt, præconem fidei nostræ, imprimis habuerunt Ansgarium Monachum Corbejensem, eratque tunc ævi Biornus Rex, Johannes Loccenius *lib.* 2. *histor. Sued. pag.* 41. Gentis suæ Regum dignitatem adversus multos alios Reges, Galliæ Rege excepto, ostendere volebat Nicolaus Ravallus Archi-Episcopus Ubsaliensis in Concilio Basil. Legatus, ab Erico Rege eò missus, de quo narrat Johannes Magni Gottus *lib.* 16. *historia cap.* 28. Rationes adferebat: (1.) Quod Suediæ Regnum è Scandinaviâ suâ amplissimas & potentissimas gentes in Orbem emiserint, Getas Scythasque, qui Cyrum Persiæ Regem magnum bello vicerint atque occiderint, qui Darium Hystaspis Persam, Philippum Macedonem, Decium, Volusianum, Valentem Cæsares fugaverint. (2.) Quod Suedi & Ostrogotti recentiores Winulis, Turcilingis, Herulis permisti Imperium Occidentis obtinuerint post Cæsaris Valentiniani tempora (3.) Quod Hispaniæ Regnum Vestogotti occupaverint, legibusque sanctis rexerint donec Maurorum impetu & discordiis civilibus opprimerentur. (4.) Quod Italiæ RegnumOstrogotti condiderint & habuerint, donec ad Longobardos, gentiles eorum transiret (5.) Quod Angliam domuerint ipsi AngulorumSaxonum pariter atq; Normannorum progenitores, qui populi olim Scandinaviâ egressi fuerant. Hæc illi. Atqui nimis liberalis Ravallas fuit in laudibus gentis suæ referendis, quandò Gotti illi tantorum facinorum anthores, non erant *Varegi* (quomodò in antiquis Rossorum litteris Suedi appellantur) sed Germani ad Danubium & Vistulam accolæ: neque veteres Scythæ atque Massagetæ qui Cyrum occiderunt, sunt nostri Germani, multò minus Varegi tantis terrarum spatiis à mari Caspio remoti sed erant Nomades Caspiani: neque illi Angliæ invasores fuerunt alii, quam Saxones è Cimbricâ, socii Normannorum, qui habitant Nor-

Norvagiam, eò profecti olim è vicinâ Gutiâ. Normanni isti Romanum Imperium ductore Godofredo lacessiverunt, piraticam exercendo in Frisiæ & Bataviæ oris, Galliæ partem à nomine suo dictam Normanniam, Carolo Calvo Rege tradente, obtinuerunt, porrò Angliam à Saxonibus Cimbris hactenus possessam, sub Wilhelmo Conquæstore ingressi Regiam familiam multorum seculorum decursu florentem propagaverunt. Demum cum Tancredo Bomite magnæ virtutis profecti in Italiam, pulsis Mauris, incoluerunt Apuliam, Calabriam, Regum potestate usi orbe toto inclaruerunt. Hæc nihil ad Suedos, qui proprium decus immortalis gloriæ habent, ut non sit opus ementito. Verissimum certè est, quod Suediæ Rex præ Daniæ Rege habeat prærogativam. Rationes sunt: (1.) Quia est regnum Suediæ antiquissimum, & Dan primus Danicarum Insularum Rex erat filius Humbli inter Suediæ proceres clarissimi, Scaniæ præfecti, teste Johanne Magni *lib. 1. historiæ Gotticæ cap. 5.* quod frustrà negare conatur Johannes Stephanius *notis ad Saxonem Grammaticum lib. 1. pag. 28.* & Johannem Gottum falsitatis postulat, videlicet ne vanus Danus generoso Suedo natalium suorum splendorem debere videatur. Atqui cur ille Gotto exprobrat velut dictum ipsius quod multis ante Gottum annis commemoraverat Ericus Daniæ Rex *in historica narratione de origine gentis Danorum, & de Regibus ejusdem gentis?* (2.) Quia est regnum amplissimum, ac fortiter sese defendit adversus Rossos crudeles. (3.) Quia est regnum nobilissimum, itaque vicini populi Regum imperia ferre assueti, ab eis petiverunt Reges, uti Cimbri Danum, Norvagi Haquinum, Poloni Sigismundum bellis clarissimum, victoriis felicissimum. (4.) Quia semper fuit cum successione ad posteros traductum, & verò Dani ad nostra usque tempora elegerunt. (5.) Quia semper favit libertati neq; voluit committere, ut culpâ suâ aliorum miseria augeretur, itaq; Austriacos in militiâ sociâ principalem ductum sortiendo, victoriis plurimis domuit, & Germaniæ res per eos afflictas, qui fidem utilitati postponebant, erexit, perjuros depulit. Cæterùm antiqua lis recrudnit in Epulo Norimbergensi, quod præbuit Octavius Piccolomineus Dux Amalphitanus post conclusam Germaniæ pacem A. C. 1660 ubi Suedis primum locum atribuit, Gallis ultimum, repugnante multùm Galliæ Regis Legato, quanquam frustrà uti refert Joh. Jacobus Chiffletius *libro de Ampulla Rhemensi cap. 17. 18.* Rectè factum, an secus inter viros armorum peritos, juris negligentes!

XVII. Sequitur: *Dux Britanniæ Burgundiæ.*] l. d. Cessavit lis, postquam Britanniæ ducatus cum Regno Galliæ, nec non Burgundiæ ducatus cum eodem Regno, Comitatus Burgundiæ cum Hispaniâ unitus est interventu pactorum matrionalium uti diximus in Recensu historiæ universalis *lib. 13 cap. 4. dist. 9. 10.*

XVIII. Sequitur: *Bavariæ, Comes Palatinus Rheni, Saxoniæ Dux, Marchio Brandenburgensis.*) l. d. Gomes Palatinus prærogativam illam, & quidem optimo jure, uti probat Marquadus Freherus *libro de Originibus Palatinis cap. 15.* Nunc aliter est, postquam bello Bohemico pariter ac Germanico victus ille, Palatinatum superiorem, ditionum suarum partem unà cum Electoris Dapiferi prærogativâ concessit Duci Baraviæ, itaque

Bava-

Bavariæ Dux primo loco deinceps sedet, Comes Palatinus ultimo, qui est orbis rerum humanarum, Lundorpius *in Actis publicis Tomo 3. pag. 73. 74. seqq.* Adolfus Brachelius *lib. 2. bello Germanico pag.* 85. Carolus Caraffa Aversanus *commentario de Germania restaurata pag.* 175. *seq.* Petrus Piasecius *in Chronicis Europæ pag* 559. *seqq.* W. Beckerus *in Synopsi Iuris publici lib. 3. cap. 7. sect.* 14.

XIX Sequitur: *Dux Austriæ.*] l. d. De hujus dignitate, quâ inter alios imperii Principes eminet, postquam Archiducis titulum ei donavit Fridericus III. Imperator, vide Johañem Cuspinianum *in historia Austriaca fol.* 32. *seqq.* Regnerum Sixtinum *lib. 1. de Regalibus cap. 4. num.* 31. 32. Joh. Limnæum *lib. 4. Juris publici cap. 9.* Gerhardum de Roo *in Annalibus Austriæ lib. 4. 5 seqq.*

XX. Sequitur: *Sabaudia Mediolani.*] Sabaudiæ Dux litem de præcedentiâ movit Venetis, adeoq; causam ejus aversus Venetos agere non dubitavit Barthol. Chassanæus *in Catalogo gloriæ mundi part.* 12. *consider.* 58 sed nullo cum successu, uti *peculiari libro* ostendit Theodorus Graswinkelius. Mediolanum accessit Hispaniæ Regi à Caroli V. Imperatoris temporibus, qui Ducatium possidet, uti feudum liberum Imperii. Diximus in Recensu historiæ universalis *lib. 13. cap. 3. dist.* 22.

XXI. Sequitur: *Venetiarum.*] l. d. Voluit populus iste adversus Electores de prærogativâ contendere, & obtinuit A. C. 1630 in aula Ferdinandi Cæsaris, ut Legatus à Senatu populoque Veneto missus rescripto publico juberetur præferri Legatis Electorum Principum in Aula Cæsarea & Comitiis Imperialibus. Verum Electores decretum illud velut in Aulæ privatis deliberationibus conceptum, & non requisitis iis ad quos pertinebat scire ista quæ agebantur, vulgatum rejecerunt: (1.) Quia contradiceret *Aureæ Bullæ Tit. 3. 4. 5.* ubi Principes Electores parem cum Regibus honorem sortiti dicuntur. (2.) Quia Principes Electores meritò honorem suum tueantur, cum eligant Imperatorem tota Europa maximum (3.) Quia Imperatores superioris ævi noluerint detrahere quicquam honori Principum Electorum, itaque Rudolfus II. Cæsar petenti Legato à Florentiæ Duce misso, ut Electorum Legatis præferretur, repulsam dedit (4.) Quia in Concilio Tridentino Venetorum Legati inferiorem præ Electoribus locum acceperunt, Thuanus *lib. 8. historiar.* Petrus Justinianus *lib. 14. historiæ Venetæ.* Hæc illi, ad quæ replicabant Venetus (1.) Quod statuta Aureæ Bullæ concernant solùm Imperiales quosdam Actus solennes uti est cum primis electio & coronatio Imperatoris in aliis conventibus aliter esse, potius decere ut Electores Imperatoribus subjecti concedant suprematum Venetis, libero populo & nemini subdito. (2.) Quod jus eligendi Cæsarem non conciliet prærogativam, nisi velimus ut nobiles Poloniæ & patricii Veneti digniores sint præ comitibus & Principibus Germaniæ, quandoquidẽ illi Regem Ducemque eligant, hi ad eligendum Cæsarem non admittantur. (3.) Quod Florentiæ Dux multò inferior sit præ Venetiarum Duce, & recentior (4.) Quod in Concilio isto non adfuerint Electorum secularium Legati, & spiritualium Legati in scamno alio consederint. *Respondebant* Electores: (1.) Quod conventus in aulâ Cæsaris tàm essent Imperiales Actus, quàm conven-

tus

tus alii pro eligendo & coronando Imperatore. Ac quamvis Veneti liber populus essent, populus tamen essent in quo nulla majestas fulgeret, nemo dignior nobilis quam ut ei quivis Imperii nobilis familiæ splendore conferri posset. Unde ergò prærogativa Legati exoriatur? (2.) Quod tantò digniores sint Electores Principes, quantò Imperator excellit præ Venetorum Duce, Rex præ nobili. Ducem Venetorum prosapiâ Nobilium oriundum esse, Cæsares allegari è Germaniæ Principum familiis, quæ pleræque in majoribus suis Reges factis celebres, potentia non modicos, habeant. (3.) Quod sufficiat, Cæsarem noluisse, ut aliquo modo Electorum dignitas ab exterorum populorum Legatis iminueretur (4.) Quod Legati à Bavariæ Electore omninò adfuerint, & honesta petita de conjugio sacerdotibus permittendo, de que calice sacro Laicis dando secum attulerint, quanquam à Pontifice sacrorum mangone haut impetraverint, uti patet è Petri Suavis Florentini *historia Concilii Tridentini lib.6. & 7. pag. 586. 754. 793.*

XXII. Veneti ad adstruendam prærogativā suā has adferebant rationes: (1.) Quod Regum æquales ferè essent, utpote Regnorum Cretæ & Longobardiæ compotes, quæ non essent aut fuissent unquam in potestate Imperii Germanici. (2.) Quod Electores subjecti Imperio Germanico agnoscerent in se potestatem Imperatoris: Veneti verò juris sui essent, ut superiorem neminem agnoscerent. (3.) Quod Duces eorum insignirentur paludamento Regio, sceptro & corona, adeoque splendorem eximium præ Electoribus Principibuus haberent. *Resp.* (1.) Cretam haud acceperunt velut Regnum quomodò olim Jovis & Minois tempore fuerat: sed velut provinciam Imperii Græcorum, adeoq; Veneti præfecerunt ei semper Prætorem, nunquam verò Vice Regem, neque talem imponere possunt, velut qui Optimatum reguntur imperio, in quo Majestas nulla est. Longobardiæ portionem aliquam obtinent, eamque Imperiali jure obligatam, solum quod Cæsaris indulgentia non permittit, ut jus suum usurpare velit. (2.) Quis neget, Venetos in potestate Imperii futuros, cum vellet Cæsar? Libertas ergo precaria est, perinde uti Ligurum, quicquid garriant Martinus Laudensis *libro de privilegiis & rescriptis quæst. 9. & libro de Principibus quæst.* 123. Cæpolla *libro de servitutibus rusticis cap. 26.* Berthaginus *libro de gabellis part. 1. cap. 6.* aliique Jureconsulti Transmontani, atque horum sectatores pedanii, Julius Pacius *libro de dominio maris Veneti*, Theodorus Graswinkelius *libro de Libertate Veneta.* Sane inter omnes constat, quod Patavium, Vicentia, Verona, sint civitates ab Imperio revulsæ, & quidem malis artibus, à quibus præscriptio non existit. (3) Sunt beneficia Imperatorum nostrorum, à quibus ornamenta ista acceperunt, uti referunt de Sebastiano Ziano Duce, quod à Cæsarea Friderico Barbarosa indutus fuerit veste Regali; perinde uti olim Romanus populus solebat Togam purpuream, Ducum triumphalium ornatum, donare pro summo munere sociis Regibus. Livius *lib.10. histor.* Plutarchus *in Antonio* Tacitus *lib. 4. histor.* atque exempla sunt 1. *Maccab.* 10. 19 62. 64. *cap.* 11. 58. *cap.* 14. 44. De Sebastiano Ziano hoc produnt Caspar Contarenus *l.b. 2. de magistratibus Romanorum*, Carolus Sigonius *lib.4. de Regno Italiæ.* Certè Sigismundus Imperator literis ad Amadeum Sabau-

diæ Ducem exaratis Venetos proclamabat rebelles, teste Antonio Fabro *in Consultatione pro Ducatu Montisferratensi p.* 20. Nemo verò est rebellis, qui non est jure subditus.

XXIII. Quod Electores Principes habeant digniorem locum præ Cardinalibus Ecclesiæ Romanæ, luculenter ostendit Joh. Freinshemius *diatribis quinque de praecedentia Electorum Romani Imperii*, adversus Bartholomæum Chassanæum *in Catalogo gloriæ mundi part.*4. *Considerat.*9,10.*seqq.*

XXIV. Sequitur: *Bavariæ, Lotharingiæ, Genuæ.*] Id Bavarus hodiè accipit locum primùm, uti diximus *suprà dist.*18. An jure translata fuerit ad illum prærogativa, disserebat nuper, & in gratiam Comitis Palatini etiam negabat Joachimus Rusdorffius *in Vindiciis causæ Palatinæ cap.* 25. Genuæ Dux hoc unum obtendit, quod cum sceptro & corona prodeat tunc cum inauguratur, quandò Corsicæ Regnum Liguriæ subjectum est. Verum quid de talibus judicarii debeat, è præcedentibus satis apparet.

XXV. Sequitur: *Jus autem praecedentiæ vel ex usu atque consuetudine, & pariter ex potentia, dignitate, aliisque consimilibus circumstantiis æstimari solet.*] dist. 13. Pluribus exemplis hoc illustrat Dn. D. Jacobus Andreas Crusius *lib.* 1. *de praecedentia Regum & Principum cap.* 5. *&* 6. Joh. Freinshemius *libro de praecedentia Electorum Imperii Romani diatriba* 2. *dist.*13.14 *seq.* & confer illa quæ diximus *suprà dist.* 1. Nos hic quidem finimus.

SOLI DEO GLORIA.

MONITIUNCULA.

Quæcunque menda, cum primis in Hebræis vocabulis, irrepſerunt, Authoris abſentiæ, non verò negligentiæ ejus, imputabis. Sunt prætereà in Græcis & Latinis. Corrige Lector & ignoſce illis, qui in culpâ ſunt.